


SL

~~7. a. 3. 7.~~



R. 3835

de la cony^a de sta^a de granada B. d.

IOANNIS DRIE-

donis à Turnhout sacræ Theologiæ


professoris apud Louanienses,

De concordia liberi arbitrii, & prædestinationis diuinæ,

Liber vnus.


EIVSDEM.

De gratia & libero arbitrio. Libri II.



BIBLIOTECA HOSPITAL REAL GRANADA	
Sala:	A
Estante:	45
Numero:	88

In solc posuit tabernaculum suum



*Louanij
& officina Bartholomei Grauij
1547*

Cum gratia & priuilegio.



Tenor priuilegij Cæsarei.

CAROLVS QVIN-

tus diuina prouidentia, fauente clementia, Romanorū

Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, Castellæ, Legionis, Aragonum, Nauarræ, Neapolis, vtriusque Siciliae, Hierusalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiae, Insularum Balearium, Sardinia, Fortunatarum & Indiarum, ac terræ firmæ maris Oceani, & cæt. Rex, Archidux Austriae, Dux Borgundiae, Lotharingiæ, Brabantiae, Limburgiæ, Lutzenburgiæ, Geldriæ, VVirtenbergæ, & cæt. Comes Habsburgi, Flandriæ, Tirolis, Arthesiæ, & Borgudiæ: Palatinus Hannoniæ, Hollandiæ, Zeelandiæ, Ferrettis, Kiburgi, Hagenaldi, Namurci, & Zutphania: Landtgrauius Alfatia. Marchio Burgouiae, & sacri Romani imperij, & cæt. Dominus Frisiæ, Territorij Traiectensis citra & ultra Insulam, Molinæ, Salinarum, Tripolis, Mechliniæ, Groningæ, & cæt. Dominator in Asia & Africa. Vniuersis præsentibus literis inspecturis ac audituris salutem. Exhibita fuit nobis supplicatio à Bartholomeo Grauiio librario Louanienfi iurato, & secundum nostram proximam ordinationem typographo, qua indicabat se imprimere cupere omnia opera Ioannis Driedonis à Turnhout magna sua cura correctæ, & à Domino Ruardo sacre Theologiæ professore, Academiae Louanienfis Camcellario & Decano S. Petri comprobata. His rebus moti, illius supplicationi consensimus, annuimus, & tribuimus his nostris literis, vt eadem opera Ioannis Driedonis excudere pergat, excusos vendat, & distrahat per omnes nostras ditiones, vt latius patet in literis illi à Cæsarea M. concessis. Anno millesimo quingentesimo quadragesimo sexto, primo Octobris, Imperij nostri. 27. Regnorum autem nostrorum Castellæ, & aliorum trigessimoprmo.

IN PLANO STABAT.

Per Cæsarem ad relationem
Consiliariorum.

Et signatum à P. de Lens.

Index rerum ac sententiarum in

HOC LIBRO CONTENTORVM, PRIORE NVMERO

folium, posteriore, verò folij faciem
designante.

¶ A

Acceptor personarum quomodo in nulla re est
Deus. folio. 19. facie. 2.
Anima rationalis tunc à Deo creatur, cum quis
in hac vita nascitur. fol. 11. fa. 1.
Antichristus potest & saluari, & non nasci.
fol. 43. fa. 2.
Ambrosius quomodo accipiendus, scribens
prædestinationem esse secundum præsci-
entiam fidei præuisa & operum futuro-
rum. fo. 4. fa. 2. fo. 7. fa. 2. fo. 8. fa. 1. 20. fa. 1.
Cur Ambrosius contra Pelagij Hæresim minus
apertè scripserit quàm August. fo. 21. fa. 2.
Anselmi dictum, Homo non habet gratiam, non
quia Deus non dat, sed quia homo nõ vult
accipere, exponitur. fo. 19. fa. 2.
Augustinus nondum Episcopus credidit fidem
præuisam esse causam prædestinationis.
fo. 11. fa. 1.
Augustini sententia de prædestinatione consen-
tit cum sententijs omnium veterum. fo. 23.
fa. 1. & sequen. 55. fa. 2. 57. fa. 1.
Augustinus ante natam hæresim Pelagij quædam
scripsit, quæ Pelagiani pro se facere falso ia-
ctabant. fo. 22. fa. 2. 23. fa. 1.
Quid in Augustino obseruandum contra Manti-
chæos disputantem. 52. fa. 1.
Augustinum Luterus citat non intellectum.
52. fa. 2.
Augustinus parum attentis videri possit secum
pugnare. 57. fa. 1. 58. fa. 1.
Augustini dicta quædam exponuntur. 59. fa. 1.
& sequentibus.
Augustini sententiam de prædestinatione, Pro-
sper credidit cõtrariam esse sententijs ali-
orum patrum. 7. fa. 2. 11. fa. 2. 23. fa. 1. 55. fa. 1.
Auerrois error de creatione mudi, & mutatio-
ne voluntatis diuine. 45. fa. 1.
Argumenta, quibus in materia prædestinationis
diuine irretire se vulgus solet. 15. fa. 2. 36. fa. 2.
39. fa. 1. 40. fa. 2. 49. fa. 1.
Argumenta octo, quibus probari videtur De-
um prædestinare propter præuisa opera
bona. 6. fa. 2. & sequentibus.
Soluuntur, 17. fa. 1. & sequentibus.
Argumenta contra liberum arbitrium ex præ-
destinatione. 30. fa. 2. & sequent. 31. fa. 2.
34. fa. 1. 36. fa. 1.
Soluuntur. 42. fa. 2. & sequent. 47. fa. 2. & sequen-
63. fa. 1. & sequent. 65. fa. 1.
Argumenta pro libero arbitrio, sed contra præ-
destinationem. 31. fa. 1. 33. fa. 1. 35. fa. 1.
Soluuntur. 44. fa. 1. 51. fa. 2. 57. fa. 2. & sequent

¶ B

Bonauentura de causa prædestinationis scripsit
quiddam non oprime. 11. fa. 2. 64. fa. 1.
Resellitur sententia eius. 13. fa. 2.

¶ C

Prædestinationem habere causam in homine
prædestinato, dupliciter potest intelligi.
10. fa. 2. 13. fa. 1.
Totius prædestinationis nulla opera sunt causa
meritoria. 11. fa. 2. 17. fa. 2. 29. fa. 2.
Sunt effectus aliqui prædestinationis, quorum
opera sunt causa meritoria. 11. fa. 2.
17. fa. 2. 29. fa. 2.
Prædestinationis causa efficiens & finalis. 12. fa. 2
vide infra vocabulum Prædestinat.
Quo sensu dicere possis prædestinationis esse
causam aliquam. 23. fa. 2.
Causa prædestinationis non est obedientia præ-
uisa. 12. fa. 2.
Cause vocabulum dupliciter vsurpatum à Theo-
logis. 10. fa. 2. 12. fa. 2. 24. fa. 2. 29. fa. 1.
Causa cur inter paruulos, hic baptizatur, ille
non. 28. fa. 2.
Causales coniunctiones in scripturis quomodo
vsurpentur. 51. fa. 1.
Preces iustorum non sunt causa impetratoria
totius effectus prædest. 25. fa. 2.
Præscientia peccatorum aliquo sensu potest di-
ci reprobationis causa. 27. fa. 2.
Potest esse causa à Deo præuisa, propter quam
hunc & nõ illum ad iustificationis gratiam
elegit, sed non propter quam hunc & non
illum prædestinauit. 13. fa. 2. 16. fa. 1. & 2.
Primus effectus prædestinationis nullam habet
causam præuisam. 29. fa. 2.
Chrysostomus exponitur, scribens prædestina-
tionem esse secundum præscientiam fidei, &
operum futurorum. 4. fa. 2. 7. fa. 2. 8. fa. 1. 20.
fa. 1. 22. fa. 1. 57. fa. 2. 22. fa. 2.
Chrysostomus scripsit ante natam Pelagij hæ-
resim. 22. fa. 2.
Chrysostomum Oecolampadius adulterauit,
ibidem.
Chrysostomi regula, quòd ad materiam liberi
arbitrii pertinet, 55. fa. 1.

¶ D

Diligere scribitur Deus hominem hunc aut il-
lum vario sensu. 4. fa. 1.
Dilexit Deus Iacob quo sensu. 4. fa. 2.
Diligendo hominem, triplex boni velle ei pos-
sumus. ibidem.

INDEX.

Dialecticorum distinctio de necessitate conse-
quentis & consequentiæ, valde conducibi-
lis est in hac materia. 39. fa. 1.
Distinctionem eandem & ex scripturis intelle-
xerunt veteres, folio eodem.

¶ E

Eligere quid sit in hac materia, 3. fa. 1.
Electio ex massa perditionis, non est propter vl-
lam diuersitatem reuertam in ipsi qui eligun-
tur, ab ipsi qui non eliguntur. ibidem.
Eligit suos Deus, non quia tuturi sunt sancti, sed
vt faciat eos sanctos, 3. fa. 1. 5. fa. 1.
Eligit nos absque meritis nostris Deus, vt habe-
mus vitam æternam: sed electos peruenire
vult ad vitam æternam non absque meritis
nostris, 3. fa. 2.
Electi non trahuntur à solo Deo, 16. fa. 1.
Electus potest esse non electus, sed non potest
incipere non esse electus, 40. fa. 2.
Electorum Deo maior cura est, quàm reproborum,
46. fa. 1.
Laus Dei alios eligentis, alios reprobantis, ante-
quam quidquam boni aut mali egerint, in
quo sit litæ, 12. fa. 2.

¶ F

Fauftus Gallia episcopus quomodo accipien-
dus in libro de gratia & libero arbitrio,
21. fa. 2. 22. fa. 1. 55. fa. 1. 56. fa. 1. 57. fa. 1.
Absq; omni fide homo orare non potest, 53. fa. 2.
Fides aliter fit in homine à Deo, quam opera
bona, 54. fa. 1.
Ad fidem nemo se præparare potest absque spe-
ciali tractu diuino, ibidem.
An ad accipiendum fidei gratiam præparet se ho-
mo nondum credens, faciendo quod in se
est, 53. fa. 1.
Intellectus huius, Deus adest omnibus facienti-
bus quod in se est, 52.
Credidit homo si velit, sed vt velit facit Deus,
54. fa. 1. 45. fa. 2. 22. fa. 2.
Cur non omnes quibus Christus prædicatur,
credant, 54. fa. 2.
Actus credendi est à Deo, intellectu, voluntate,
auditi, & prædicante, 52. fa. 1.
Si credideris, saluus eris, sed vt credas opus est
adiutorio præuenientis Dei, 23. fa. 1. 54.
fa. 1. 45. fa. 1. & 2.
Error Vitalis, negantis credere esse opus Dei,
48. fa. 2.
Fides nullo modo tribuenda est libero arbi-
trio aut quibusuis meritis præcedentibus,
12. fa. 2.
Prædicato Euangelio possumus & per liberum
arbitrium Deo adiuuante credere, & ex no-
bis non credere, 20. fa. 1.
Item, an nunc credere quis possit pro suo arbi-
trio. 48. fa. 1. 51. fa. 2. 52. fa. 1. 64. fa. 1.

¶ G

Summa fidei nostræ de gratia Christi, 20. fa. 2.

Gratia Dei fuisset opus homini ad consequen-
dam vitam æternam, etiam si non peccasset
Adam, 37. fa. 1.
Si per naturam, aut vllam legem homo lapsus
resurgere posset sine gratia Christi, Christus gra-
tis mortuus esset, 45. fa. 1.
Gratia Dei præueniens, & cooperans, 47. fa. 1.
Gratia Christi consequimur, non solum dona
habitualia, sed actualibus etiam instincti-
bus monemur, 46. fa. 2. 47. fa. 1.
Gratia Dei, non est naturalis vlla & ingenita li-
bero arbitrio vis, 47. fa. 1. 48. fa. 1.
Gratiæ habitus non est superfluus, 65. fa. 1.
Naturales potentie cur non pertineant ad gra-
tiam, eodem fo.
Gratia data homini in statu innocentie, differt
ab ea quæ nunc datur, 46. fa. 1. 60. fa. 1. &
2. 61. fa. 2.
Regula ad quam scripturæ & scripta patrum ac-
cipienda sunt, vbi bona opera tribuunt li-
bero arbitrio, non commemorata gra-
tia, 51. fa. 2. 55. fa. 1.
De gratia Christi non aliter senserunt veteres,
quàm præsens ecclesia, nec aliter Augusti-
nus quàm Ambrosius, Chrysostomus, &
alii, 20. fa. 1. & sequent.
Gratiæ carentiæ, non Deus, sed homo sibi est
causa, 19. fa. 2.
Causa non appositionis gratiæ est Deus, & ta-
men falsè dicas, quòd Deo auctore gratia
homini non apponitur, ibidè.
Gratiam primam dari propter præuisa merita, a-
liquo sensu vere dicitur, 20.
Etiam si præuideat Deus vilitates quasdam in
vniuerso, propter quas inter duos æquali-
ter indignos, alterum magis quàm alterum
ad primam gratiam ordinat, tamen illas cu-
riose scrutari non licet, 23. fa. 2.
Iustificationis gratia causam habere potest à libe-
ro arbitrio, sed non meritoriam 24. 11. fa.
2. 12. fa. 1.
Iustificantis gratiæ preces iustorum sunt sepe
causæ impetratoriæ, sed non meritoriæ,
25. fa. 2.
Nemo potest se præparare ad iustificationes, aut
fidei etiam initia, absque gratuita Dei mo-
tione, 25. fa. 1. 54. fa. 1.
Vt præparetur homo à Deo, nulla præcedit in
homine voluntas bona, 57. fa. 1.
Verè dicimus, incipere, credere, obedire, inuo-
care, nostra opera esse, sed non absque gra-
tuita misericordia & motione Dei nos
præuenientis, 22. fa. 2.
Motio hæc gratuita, natura prior est motu vo-
luntatis credentis, 26. fa. 1.
Motio hæc contingit & ipsi, qui manere pergunt
Deo rebelles, eodem. fa. 2.
Inter duos æqualiter indignos, æqualibus instin-
ctibus à Deo tractos, quorum alter obe-
dit, alter non, aliquid adhuc discriminis est
ex parte Dei trahentis, 27. fa. 1.
Qui Sic trahitur vt obediat, non habet cur glo-
ricetur aduersus eum, qui nõ obedit. ibidè.

INDEX.

Cur non omnes ita trahantur vt obediant, ibidem, 48. fa. 2. 54. fa. 2. 58. fa. 2. 19. fa. 1
 Ante gratuitam Dei motionem, est alius modus quidam, quo dirigit Deus liberum arbitrium, 25. fa. 1
 Inter dona Dei, quædam sunt in homine, non ab homine, quædam & in homine & ab homine, 54. fa. 1. 46. fa. 2. 47. fa. 1. & 2. 59. fa. 1
 Vt respiciat homo, ex gratia Dei habet: vt peccet ex se habet, 41. fa. 2
 Vita æterna & gratis datur, & ex merito, Corona iustitiæ, eadem est & corona gratiæ, 24. fa. 1
 Gratia Dei nunquam deest ijs qui digni sunt, sed dignum se nemo facit absque Deo, 23. fa. 1. 45. fa. 1. 54. fa. 1
 Quod ab ira Dei nemo nisi ex Dei gratuita misericordia liberatur, maxime lucet in paruulis, 12. fa. 1
 Gratiam dat Deus etiam ijs, quos nouit illa abusu, 64. fa. 1
 Conseruatio gratiæ acceptæ, gratuitum Dei beneficium est, 65. fa. 1

¶ H

Hæresis dicentium prædestinationem habere causam opera bona, antequam nasceremur à nobis facta, 10. fa. 2. quæ refellitur, 11. fa. 2
 Hæresis dicentium nullum opus bonum esse causam meritoriam vilius effectus prædestinationis, 11. fa. 1. quæ refellitur, eodem, fa. 2.
 Hæresis dicentium opera præuisa, & ante acceptam primam gratiam à nobis facta, causam esse prædestinationis, 11. fa. 1. quæ refellitur, 12. fa. 1
 Hæresis dicentium fidem præuisam esse causam prædestinationis, 11. fa. 1 quæ refellitur, 12. fa. 2
 Hæresis dicentium bonum vsum gratiæ, vt à libero arbitrio futurum, & à Deo præuisum, causam esse prædestinationis, 11. fa. 1 quæ refellitur, 13. fa. 1
 Hæretici nostri temporis falso infamant Ambrosium, Chrysostrum, & alios, quasi senserint cum Pelagio, 20. fa. 1. 22. fa. 2. 23. fa. 1
 Hæresis dicentium gratiam Christi nihil aliud quam auxilium esse, quo facilius mandata obserues, 31. fa. 1. 44. fa. 1
 Hæretici docentes omnia euenire ex necessitate, sibi non constant, 39. fa. 1
 Henricus de Gandauo nõ optime sensit de causa prædestinationis, 11. fa. 2
 Refellitur eius sententia, 12. fa. 1
 Hieronymus quid senserit in prædestinationis materia, 21. fa. 2. 22. fa. 1

¶ I

Deus neminem impellit ad peccandum, 2. fa. 2
 Indurare, 2. fa. 2. 14. fa. 2. 66. fa. 1

Iustitiam habere, est effectus Dei prædestinantis: eandem non habere, est effectus Adæ peccantis, 6. fa. 1
 Iustificatio nullum habet humanæ volûntatis meritum, 11. fa. 2. 12. fa. 1. 24. fa. 2
 Nemo adultus iustificatur absque motu propriæ voluntatis, 26. fa. 2. 59. fa. 1
 Qui creauit nos sine nobis, non iustificat nos sine nobis, 59. fa. 1. 54. fa. 1. 46. fa. 2. 47. fa. 1. & 2.
 Quomodo præcedit aliquid in peccatore, quomondum iustificatus, dignus sit iustificatio-
 ne, 25. fa. 2
 Quomodo iuste Deus dilexit Iacob, & Esau o-
 dio habuit, 24. fa. 1
 Nemo nisi iustitia æquissima Dei exigente dam-
 natur, 14. fa. 2
 Iusto iudicio pereunt etiam qui de Christo nihil vnquam audierunt, 29. fa. 2
 Iusto iudicio poterat Deus relinquere totum ge-
 nus humanum in damnatione, ibidem.
 Res quam iurauit Deus, potest non euenire, 43. fa. 1

¶ L

Liberum arbitrium si non esset, iudicium Dei su-
 per genere humano non esset iustum. Nec
 vlla esset operum nostrorum aut laus, aut culpa,
 In præfatione, 30. fa. 1
 Omnis liberi arbitrii rectus vsus est prædestina-
 tionis effectus, 13. fa. 1
 Deus libero arbitrio vtitur vt instrumêto, pro-
 ducens in ipso impetus honestarum affec-
 tionum, non coacta necessitate, sed spon-
 tanea voluntate, ibidem. 50. fa. 1. 15. fa. 1
 In opere bono non rectè distinguitur inter id,
 quod fit ex libero arbitrio & id quod à gra-
 tia, & tamen bonus vsus liberi arbitrii præ-
 parans ad gratiam est aliquo modo à libe-
 ro arbitrio, quo non est à gratia, 13. fa. 1. & 2
 Ex libero arbitrio esse culpam hominis docetur
 ex cap. 9. Pauli ad Rom. 15. fa. 1
 Vide vocabulum scriptura.
 Inibi ex eodem docetur & opera bona esse ex li-
 bero arbitrio.
 Credere, diligere, mandata seruare, sic sunt Dei
 dona, vt eadem sint & liberi arbitrii opera, 41. fa. 2. 44. fa. 1. 45. fa. 2. 47. fa. 2. & sequentibus
 Liberum arbitriũ semet determinat ad opus bo-
 num, sed vt se determinet facit Deus, 45. fa. 1. 54. fa. 1. 22. fa. 2
 Quid interest inter liberum arbitriũ ante Adæ
 lapsum & post lapsum, 46. fa. 1. 60. fa. 1. &
 2. 61. fa. 2
 Liberum arbitriũ quomodo post lapsum etiam
 Adæ est vis media, 46. fa. 1
 Vt homo absente lumine habet potentiam visu-
 uam, ita anima absente Christo habet po-
 tentiam naturalem videndi & operandi ea
 quæ sunt salutis, sed non antè operabitur
 quam cum adierit tam Christus, 46. fa. 1
 2. 49. fa. 1
 Tam culpa quam iustitia est aliquo modo in ho-
 minis arbitrio, 48. fa. 1. 51. fa. 2. 20. fa. 2

INDEX.

Liberum arbitrium non impeditur à gratia, sed
 confirmatur, 59. fa. 1
 Quod quidam recipiunt Christum, quidam non
 partim est ex libero arbitrio, partim ex iu-
 dicio Dei volentis hoc modo notam face-
 re misericordiam suam & iustitiam, 48. fa. 1
 51. fa. 2. 52. fa. 1. 64. fa. 2
 Deus sicut liberè facit quod facit, ita præuidet se
 liberè facturum esse, quod facturus est,
 38. fa. 2. 43. fa. 1
 Liber vitæ, 42. fa. 1
 Lutheri argumentum friuolum, quo concludit
 omnia ex necessitate euenire, 38. fa. 2.
 50. fa. 1
 Item quo concludit liberum arbitrium in bono
 opere tantum pati, 46. fa. 2. 48. fa. 2
 Lutherus citat Augustinum non intellectum,
 52. fa. 2
 Lutherus quæ maximè re falsus est in materia li-
 beri arbitrii, 64. fa. 2
 Vide infra vocabulum scriptura,

¶ M

Totum meritum nostrũ est à gratia, & totum
 per liberum arbitrium, 13. fa. 1
 Misericordia Dei quid sit, 15. fa. 1

¶ O

Odio nostro velle possumus homini triplex
 malum, 4. fa. 1
 Odium quid Paulo ad Romanos nono, Esau
 odio habuit, 4. fa. 2. 13. fa. 1. 21. fa. 1
 Odire scribitur Deus vario sensu, 4. fa. 1
 Infantes habet ex parentibus, propter quod De-
 us eos odit, 17. fa. 1

¶ P

Prædestinationis materia frequentissime in scri-
 pturis proposita, in initio præfationis.
 Prædestinationis materia bene intellecta quas vti-
 litates afferat ibidem.
 Prædestinationem diuinã licet etiam vulgò tem-
 pestiuè & commode exponere. Quædam
 tamen inutiliter vulgò de illa exponeren-
 tur ibidem. 21. fa. 2. 41. fa. 1.
 Prædestinationis vocabulum in scripturis vete-
 rum multiplex est, 1. fa. 2. 3. fa. 2. 20. fa. 1. 21. fa. 2
 Prædestinationis proprie dicte definitio, 2. fa. 1
 37. in fine.
 Prædestinatio, præscientia, prouidentia, quid dif-
 ferant, 1. fa. 2
 Prædestinationis effectus multiplices, 11. fa. 2
 Quicquid gratiæ datur homini, & quicquid ab
 eo bene fit, id omne proficitur ex præde-
 stinatione, 25. fa. 2
 Summa fidei nostræ de prædestinatione & libe-
 ro arbitrio, 37. fa. 1
 Quod obediimus euãgelio meritoriu non esset,
 nisi Deus hominem ad illam obedientiam
 destinasset, 26. fa. 2

Prædestinat nos Deus, non quia scit nos creditu-
 ros, aut mandata seruatuos, 4. fa. 2. 10. fa. 1
 11. fa. 1. 12. fa. 1. 57. fa. 1
 Secundum quem sensum dici potest, quod Deus
 martyres prædestinat propter præuisa in
 ipsis opera, 17. fa. 2
 In prædestinato nullum est meritũ bonum, pro-
 pter quod apponit illi Deus primam gra-
 tiam, 16. in fine.
 Non quia obediturus erat Paulus, ideo prædesti-
 nat⁹ est, sed ideo obediturus erat, quia præ-
 destinatus ad obediendum, 26. fa. 1
 Deus alios prædestinat, alios reprobatur, non pro
 simplici suo beneplacito absque vlla ratio-
 ne, 59. fa. 2. 63. fa. 1. 64. fa. 1
 Vide supra vocabulum, causa, & infra vocabu-
 lum voluntas.
 Prædestinatorum certus est numerus, 51. fa. 2
 Deus neminem prædestinare incipit, quod iam ta-
 men iustificare incipit, 6. fa. 1. 45. fa. 1
 Sancti precibus non obtinent, quæ nõ sunt præ-
 destinata, 29. fa. 1
 Oramus non vt prædestinatio mutetur, sed vt fi-
 at quod Deus non nisi orantibus nobis fa-
 cere decreuit, ibidem.
 Preces Ezechie quid in vita eius prorogãda ef-
 fecerint, 44. fa. 2
 Cur Deus hunc prædestinet, illum reprobet, nõ
 li vestigare si non vis errare, 57. fa. 2. 29. fa. 2
 54. fa. 2. 57. fa. 2
 Fac Deum te non prædestinasse, non habes tamẽ
 cur queraris, 50. fa. 2. 51. fa. 1
 Prædestinatio pendet ex Dei gratia, etiam si nul-
 la esset in massa generis humani immundi-
 tia, 14. fa. 2
 Quid respondendum ijs, qui interrogat cur De-
 us sapiẽtiam & iustitiam suam notam face-
 re voluit prædestinando & reprobando,
 30. fa. 1
 Deus neminem prædestinat ad culpam, 41. fa. 2
 Falsum est Deum creasse alios vt sint vasa hono-
 ris, alios vt sint vasa contumeliæ, 37. fa. 1
 Prædestinatum esse, non est proprietatis vlla inse-
 parabilis à prædestinato, 43. fa. 2
 Qui est prædestinatus potest esse reprobatus,
 38. fa. 2
 Fieri non potest, vt prædestinatus sit reproba-
 tus, 40. fa. 2. 42. fa. 1. 44. fa. 2
 Omnem quem Deus prædestinat potest nunquã
 prædestinasse, 40. fa. 2
 Sperare iubemur nos esse prædestinatos, 41. fa. 1
 & 49. fa. 2.
 Deus multa non præscit futura, quæ potest præ-
 scire esse futura, 37. fa. 1
 An aliud quam quod Deus ab æterno præuidet
 fieri potest, 42. fa. 2
 An Deus quod præscit, potest non præscire,
 43. fa. 2
 An necessaria propositio, Deus præuidit Anti-
 christum esse futurum, 43. fa. 1
 Deus sicut libere quod facit, facit: ita præuidet se
 libere facturum esse quod facturus est, 38.
 fa. 2. 43. fa. 1

INDEX.

An omne præscitum à Deo, necessarium est esse, 43. fa. 1. 44. fa. 2
 Cum præscientia Dei, stat rerum contingentia, fol. 49. fa. 1
 Sicut Deus multa præscit non futura, ipsi tamen possibile, ita quæ futura præscit, nõ ob hoc sunt absolute necessaria ibidem.
 Differentia inter præscientiam diuinam & humanam, 50. fa. 2
 Aliud est Deum permittere hominem peccare, aliud deserere hominem, 5. fa. 1
 In Adam nullum fuit opus malũ, propter quod permisit illum Deus cadere, 17. fa. 1
 Adam permisus est cadere, quia talis creatus fuit qui peccare posset & non peccare, ibidem.
 Ante primum peccatum nullum est in homine malum meritum, propter quod permittitur cadere, 17. fa. 1. 26. fa. 1
 Perseuerantiæ bonum quale datur prædestinatis, 60. fa. 1. 61. fa. 1. 62. fa. 1
 Perseuerantia duplex apud Augustinum, 40. fa. 2. 61. fa. 1
 An prædestinatus indeclinabiliter agitur à gratia, 60. fa. 2
 Prosperi epistola expenditur, 55. fa. 1

¶ R.

Reprobare quid in scripturis, 2. fa. 1
 Reprobare quid apud tractatores prædestinationis, ibidem.
 Doctores fere reprobare dicunt, quod Paulus odire & indurare, ibidem.
 Indurare, ibidem.
 Reprobationis definitio, 2. fa. 2
 Reprobationis duplex intellectus, 28. fa. 1
 Secundum vnum rectè dicas reprobari aliquem propter præuisum peccatum, secundum alterum non rectè dicas, ibidem.
 Aliud est reprobum fieri, aliud reprobatum, 39. fa. 2
 Reprobatio non adfert necessitatem voluntati, 38. fa. 1
 Reprobando Deus non facit hominem carere gratia, aut peccare. Tantum non sic adiuuat vt habeat gratiam, 2. fa. 2
 Reprobati voluntas potest à Deo ad bonum excitari, sic vt bonum etiam operetur, 49. fa. 1.
 Reprobatus potest non esse reprobatus, ibidem.
 Reprobatus potest se corrigere cum Dei auxilio, 49. fa. 1. & 2

¶ S.

Scripturæ interpretandæ regula necessaria, 17. fa. 2.
 Ratio concordandi scripturas in hac materia, 28. fa. 1
 Scripturarum concordia dicentium Deum populum suum non deserere, & rursus deserere & execrari, 29. fa. 2

Scripturæ docentes, prædestinationem non adferre necessitatem voluntati, 38. fa. 2
 Scripturæ explicantur quæ significare prima specie videntur necessitatem voluntatis humanæ, 40. fa. 1
 Scripturæ docentes Deũ prædestinare non propter præuisa opera bona, 9. fa. 2. 10. fa. 2
 Scripturæ quomodo accipiendæ quæ tribuunt voluntati humanæ opera bona non commemorata gratia, 51. fa. 2. 54. fa. 2
 Scripturæ significantes Deum expectare peccatores vt resipiscant, quomodo intelligendæ, 54. fa. 2
 Scripturæ voluntatis Dei, in vocabulo voluntas. virtutes illæ quæ si in Tyro & Sydone factæ fuissent quæ sint, 20. fa. 1
 Scripturæ docent multa esse Deo possibile, quæ non sunt futura, 49. fa. 1
 Paulus ad Roman. nono, varij intellectus olim, 7. fa. 2. & sequentibus. 20. fa. 1. 28. fa. 1. 55. fa. 2
 Idem caput expensum, 13. fa. 2. & sequentibus. 28. fa. 2. & sequentibus
 Ex eodem capite ostenditur liberum arbitrium, vide lib. arbitriũ, 15. fa. 1. 56. fa. 2. 48. fa. 2
 Parum attentis videri possit Paulus ibi secum pugnare, 57. fa. 1. & 2
 In eodem capite quid sit indurare & odium, vide vocabula, odium, & indurare, 66. fa. 2
 Quo sensu execantur quidam à Deo, 2. fa. 2
 Pauli locus, Deo misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci, 24. fa. 1. 25. fa. 1
 Vasa honoris & contumeliæ quomodo Paulo dicta, 15. fa. 2. 37. fa. 1
 Pauli locus, Ne forte reprobis efficiar, 42. fa. 1
 Pauli locus, Certus sum quia neque mors, neque vita poterit nos separare à charitate quæ est in Christo Iesu, 61. fa. 1
 Pauli locus, Christus dedit se redẽptionem pro omnibus, 64. fa. 2
 Quomodo dictum, Hoc est opus Dei vt creditis, 47. fa. 1
 Quomodo Deus ab initio fecit hominem rectũ, 45. fa. 1. & sequentibus
 Quomodo dictum, Cõsydera opera Dei, quod nemo corrigere potest. Et illud, Qui ex Deo est non potest peccare. Et illud, Propterea non poterant credere, 51. fa. 1. & sequentibus.
 Quo sensu Deus illuminat omnem hominem, 17. fa. 2. & sequentibus
 Segregatio duplex in scripturis, 3. fa. 2

¶ V.

Veritas Dei quid, 15. fa. 1
 Vocatio duplex in scripturis, 22. fa. 1. 15. fa. 1
 Vocari nullum habet meritum humanæ voluntatis, vide iustificari, 11. fa. 2
 Vocat nos Deus, non cogit, 15. fa. 1
 Voluntas Dei in scripturis multiplex, 18. fa. 1
 Voluntas diuini beneplaciti, 17. fa. 1
 Deus quædam vult consequenter, 16. fa. 2
 Voluntatis diuine huius miserentis, & aliud indurantis generalis ratio ex Paulo, 28. fa. 2

INDEX.

Speciales rationes huius voluntatis sunt nobis occultæ, ibidem.
 Voluntatis diuine abyssus est vera, 40. fa. 2
 Voluntas diuina ab æterno se determinauit ad omnia quæ facit & facturus est Deus, 64. fa. 1
 Voluntas qua alios prædestinat, alios reprobat, nõ est irrationalis, 13. fa. 2. & multis sequentibus, vide supra vocabulum causa & prædestinatio.
 Qua voluntate Deus neminem vult perire, sed omnes saluos fieri, 18. fa. 1. & 2. 5. fa. 2
 Voluntas Dei qua se equaliter quantum in se est habet ad omnes, 18. fa. 2. 19. fa. 1
 Deus ab æterno voluit bona opera causam esse vitæ æternæ meritoriam, 29. fa. 2
 Deo nihil potest esse causa, vt ab æterno aliquid velit, 16. fa. 2. 23. fa. 2
 Deus non potest incipere velle aliquid, 45. fa. 1
 Deus videt se non posse mutare voluntatem suam, 38. fa. 2
 An vna volitio in Deo natura prior est alia, 16. fa. 2
 Vnica in Deo volitio, 10. fa. 2
 Vult Deus in rebus creatis vnam esse causam, & meritum alterius, 10. fa. 2. 16. fa. 2. 63. fa. 2. 17. fa. 1. 23. fa. 2
 Voluntati Dei tribuit scriptura salutem nostram: nostræ autem damnationem peccatum, & mortem, in præfat.
 Virtutẽ nemo habere potest, nisi volens, in præfat.
 Iustitiam, quæ ex Deo est, habet quisquis vult, sed vt velit facit Deus, in præfat.
 Vt velimus Deus operatur in nobis sine nobis, 47. fa. 1.
 Quod peccamus non fit volente Deo, permitte tamen, 17. fa. 2
 Hæc locutio, Quia iustus perseueraturus est, Deus vult ei dare vitam æternam, quem sensum habeat, 16. fa. 2
 Item hæc, Quia Deus vult huic dare vitam æternam, vult ei dare perseuerantiam, ibidem.
 Item hæc, Deus quia vult hoc, vult istud, ibidem.
 Cum voluntate Dei stat rerum contingentia, 46. fa. 1
 Deus nihil aliud à se vult necessariò, ibidẽ.
 Deus libera voluntate vult ea quæ fiunt ab hominibus, fieri contingenter, 44. fa. 1

FINIS.

IOANNIS DRIE-

donis à Turnhout sacræ Theologiæ

professoris apud Louanienſes, De concordia liberi arbitrij & prædeſtinationis diuinæ, præfatio ad lectorem.



De diuina prædeſtinatione ac reprobatione tractaturus videbor forſitã ſtudioſis lectoribus, de his rebus tam arduis, tamq; ſublimibus non debuiffe ſermonẽ facere, ſed à ſcribendo oportuiſſe in totum abſtinere, præſertim cũ ſcrutari arcana diuinæ voluntatis, de hisq; diſſerere, temerarium, ſpinofum magis, ac ſine fructu, videatur eſſe quàm frugiferum. Verũ hic in primis candidiſſimi lectores, vt ſciatis, quemadmodum de his rebus diſſerere ſit ſpinofum, ac inutile, quẽadmodum autem ſaluberrimũ ac neceſſarium, vos admonitos & conſyderantes eſſe cupio. In ſacris literis per omnem locum nihil tã multiformiter, tamq; varijs ſermonibus eſſe repetitum, atq; exaggeratum, quã diuinã voluntatẽ nunc ſecundũ iudicium ſuæ miſericordiæ & gratiæ, nunc ſecundum iudicium ſuæ iuſtitie operantem. Quod quãm verum ſit, facile deprehendet quiſq; diligenter conſyderãs doctrinã Pauli, aliorũq; Apoſtorũ, Euangelium Ioannis, ſcripturas prophetarum omnium tribuentium ſaluacionem noſtram Deo, illius voluntati, illius gratiæ & miſericordiæ: nobis autem noſtrãq; volũtati, peccatũ, damnationẽ, mortem, ac interitum. Deus igitur quia ſua prædeſtinatione ſecundũ iudiciũ ſuæ miſericordiæ gratiam largitur indebitam, reprobatione autem, negans illã, infert poenam peccato dignam: conſequens eſt huiusmodi doctrinã de prædeſtinatione, & reprobatione diuina, non ſolũmodo nõ eſſe ſpinofam, atq; inutilẽ, ſed per omnem modum frugiferam ac vnicuiq; pectori verẽ Chriſtiano euulgãdam, tam ad depreſſionem, quãm humiliationẽ ſuperbiæ liberi noſtri arbitrij, tum in commendationẽ glorię, laudis, gratiæ & miſericordiæ Chriſti, tum ad illuſtrationẽ diuine iuſtitie, quemadmodum Paulus vas electionis ad Ephesios primo, Prædeſtinauit nos inquit in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum ſecũdum propositum voluntatis ſuæ in laudem gloriæ gratiæ ſuæ. Diuina igitur prædeſtinatione, ſi ſcriptura ſacra illuſtrat gratiam, reprobatione autem ſeu odio, diuinam iuſtitiam, quid quæſo vtilius, quãm de his diſſerere, quibus cognitio ſit, vt miſer homo ſuam miſeriam & captiuitatem agnoſcat: Dei gratiam, bonitatem, ac miſericordiam ſibi eſſe neceſſariã videat, ſine quorũ duorũ ſciẽtia miſer homo manſiſſet in tenebris perpetuis, qui neq; aliter verus, ſyncerusq; potuiſſet eſſe Chriſtianus, niſi harum rerum intelligentiã vtcunq; intus ſenſiſſet, agnoſcens ſe genitum eſſe vas contumeliæ, ſeq̃e non poſſe fieri vas gratiæ & honoris, niſi per voluntatem Dei, gratuito ac miſericorditer prædeſtinantis, hoc eſt præparantis, eligentis, & redimentis: quem, etiam ſi Deus in damnatione, qua propter peccatum eſt dignus & reus, vellet dimittere, nihil iniuſtẽ ageret, reddens ſupplicium peccato debitum. En vides candidẽ lector huiusmodi dogmata de prædeſtinatione ſanctorum continere fidei noſtræ Chriſtianæ rudimenta & merito euulganda, ac per vniuerſum mundum, vt ſpes fuerit ſalutis, ſicuti Euangelium Chriſti, prædicanda. Et non ſolum non eſſe ſpinofa & inutilia, aut inſalubria plebi, ſed & neceſſaria, idonea etiam, digna, & apta quibus tempeſtiuẽ prædicatis commodiſſimẽ in fide Chriſtiana ſtabiliantur, corroborentur, nutriantur, foueantur hominum ſimplicium pectora. Verũ quia ſunt qui huiusmodi prædeſtinationis

Diſſerere de prædeſtinatione & reprobatione diuina, non eſſe ſpinofum aut inutile, ſed frugiferum ac ſaluberrimum.

P R A E F A T I O.

tionis ac reprobationis dogmata duriffimẽ tractant, referentes omnia, quæ ſunt ſupra humanum genus ad nudam, & ſimplicem voluntatem diuini beneplaciti, tacitis diuina gratia, & iuſtitia: tacitis peccatis & captiuitate totius humani generis: ingerentes etiam nihil eſſe vim liberi arbitrij, nihilque vnquam fuiſſe, neque quicquam aliter quàm factum eſt, potuiſſe fieri. Quemadmodum docet Lutheranorum verſutia, quam in alijs libris ſatis reprobauimus. Oportet doctrinã de huiusmodi reb⁹ ſicuti & de quibuſlibet myſterijs Chriſtianæ fidei tẽperare aptis tempeſtiuiſq; ſermonibus, ſummaq; erga diuinã miſericordiam, & iuſtitia, reuerẽtia ad vtilitatẽ auditorũ elucidare præſertim hoc tumultuoſo ſeculo, cauſa hac perducta in medias turbas, hæreticis eccleſiam de hac ipſa re vndiq; perturbãtib⁹, & arbitrantibus liberũ arbitrium propter diuinam prædeſtinationem ac reprobationem nihil eſſe, in libris ad omnem populũ etiam indoctũ laicũ, & puſillum muliercularum cœtũ, ingerentes ſententias, aut falſas aut duriffimẽ, & inſalubriter dictas, imbecillitati humanæ non accommodatas, quibus & affertũr, vel torpor, atq; ſegnities audiẽtib⁹, & lectoribus, vel plus deſperationis, quãm exhortationis ad accipiendam in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum veram fiduciam. In hac re verum dicere interdum, inquit Augu. non proficit in bonum, ſed obeſt plurimum. Neceſſarium proinde eſt vt plerũq; verum aliquod taceatur propter incapaces, quemadmodum ait Saluator, Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò. Quafi paruulis, inquit Apoſtolus, in Chriſto lac vobis porum dedi, non ſolidum cibũ, quẽ nondũ poteratis. Alia eſt ratio verum dicendi, Alia verò eſt ratio verum tacẽdi. Inter cauſas verum tacẽdi, vna hæc eſt, ne priores faciamus eos, qui non intelligunt dum illos volumus facere doctiores, qui intelligunt. Inter cauſas autem verum dicendi, vna contingit, dũ aliqua queſtio, vt dicatur verum impellit, & tunc ſermonẽ ſalubri oportet accommodare ſententias, ne hi qui nondum capere poſſunt aliqua falſitate induantur. Dolofi & imperiti medici eſt medicamentum etiã vtile ſic alligare, vt non proſit, ſed obſit. Olim & hætenus ſemper fuit non prudentiũ, ſed ſtolidorum hominum querela dicentium ſine me, ita viam. Qui ad vitam prædeſtinatus eſt, perire non poteſt. Siue curram ſiue dormiam, quod me Deus præſciuit, & prædeſtinauit, hoc ero. Quare laborabo, quod futurum eſt fiet. Verũ hi in ſeipſis habent quo deprehendant ſe imprudenter facere querimoniam. Dicant quæſo, cur ipſi præparãt agros, quærunt cibum & veſtitum, cur ignem, & aquã fugiũt. Si decreuerit Deus, veſtiet, paſcet, ſaluabit, & fiet ſeges in agro. Si nemo vulneratus, aut eger dicit, Vt quid vulnera foueam oleo? vt quid medicum vocem? quod futurũ Deus voluit fiet, ſi victurus ſum non moriar. Cur igitur clamãt impij, Nolite admonere nos, nolite corripere. Si vult Deus iuſtificabit nos. Cur non potius ſuum apponunt ſtadium in bonis illis, quæ niſi volentes habere non poſſunt. Nemo poteſt eſſe bonus, & iuſtus niſi volens. Huius autem corporis bona in tantum, arbitrio noſtro non ſubduntur, vt ſape illa habere etiam non poſſimus, cum deſyderamus. Sani ac diuites eſſe non ſemper poſſumus cum volumus, Sobrij autem, caſti, & humiles non poſſumus eſſe, niſi volentes. Nullus quando vult, aut naſcitur, aut creſcit ſecundum corpus. Ex aqua autem & ſpiritu quiſque renaſcitur quando vult, ſi vult creſcit, id eſt, proficit ſecundum animam, & ſi vult, rectẽ viuunt, quamuis autem vt beneuolus, rectẽque volens quiſque efficiatur Deus ſua gratia præueniens in corde illius operetur, id tamen tam ſuaui operandi modo agit, vt eundem in libero ſuo relinquat arbitrio, nõ adimens eidem declinandi ad vitia poteſtatem. Facit Deus vt homo ſit pauper & ſeruus velit nolit, à iuſtitia verò, & à ſalute æterna neminem reiicit volentem & deſyderantem. Nobis ergo de diuina præde-

Sunt qui prædeſtinationis & reprobationis dogmata duriffimẽ tractant.

Verum dicere pro loco & tempo, non pro perſonæ qualiſcunq; qualitate.

prædestinatione liberoq; arbitrio tractaturis cauendum est, ne dum vltra quam par sit, Dei gratiam honestare, atq; illustrare contendimus, liberum arbitriū tollere videamur, & rursus, ne dum liberum conamur defendere arbitrium diuinæ gratiæ iniuriā faciamus. Tam enim hæresis est negare liberū rationalis creaturæ arbitrium, quàm tollere Dei gratiam, & vtraq; iam olim ab omnibus sanctis atq; patribus orthodoxis damnata hæresis. Si non esset liberum hominis arbitrium, non esset iustum Dei iudicium super genus humanum secundum vniuscuiusq; opera, prout gessit in corpore siue bona, siue mala. Hoc autem falsum, & contra doctrinam apostolicam. Sic enim argumentatur Augustinus hæreticorum malleus. Cæterum si propter Dei præscientiam ac prædestinationem impediretur liberum hominis arbitrium, non fuisset etiam liberum arbitrium sub innocentia statu ante peccatum, hoc autem falsum, & contra scripturas apertissimas, quemadmodum demonstret idem Augustinus, ex eisdem scripturis in libro de natura & gratia, docens primum liberum arbitrium, quod homini datū est, cum primum creatus est reclusus, potuisse peccare & non peccare. Si autem primus homo fuisset à Deo conditus, vt non potuisset aliud esse quàm qualis fuit ab initio institutus, neq; præmia illi Deus, neq; supplicia statuisset, neq; enim fuisset vlla illius hominis culpa, si non fuisset ei voluntas ad peccandum libera. Sine libero voluntatis arbitrio neq; peccare, neq; iuste viuere quispiam potest. Et quemadmodum Deus non idcirco caret libero arbitrio, quod ipse ab æterno præsciuit atq; proposuit facere quicquid facturus est, ita & homo nō ideo caret libero arbitrio, quod

Deus illum ab æterno, aut reprobauit, aut prædestinavit. Sic igitur de præsciētia diuina, prædestinatione, ac reprobatione sentiamus, vt simul studia, labores, & merita in voluntatibus hominum concedamus, quod quemadmodum fiat in sequenti libro eadem Dei gratia adiuuante conabimur explicare.

Ioannis Driedonis à Turnhout

sacrae Theologiæ professoris apud Lou-

nienſes. De Concordia liberi arbitrii & prædestinationis diuinæ lib.

CAP. I.



VNT iam, sicuti fuerunt & olim, improbi diuinæ gratiæ defensores, contradicentes quidem Pelagianæ hæresi, eorumq; erroribus, sed dum insipienter id faciunt, incidūt & ipsi in duo præcipue mala, quibus sunt anathematizandi. Vnum quod catholicos patres, & totum doctorum scholasticorum cœtum, Pelagianorum nomine criminantur. Alterum quod etiam ipsi alio peruersitatis genere insaniētes hæresim noui erroris inducunt, dum propter diuinam prædestinationem, reprobationem, in durationem, excœcationem, & id genus alia, quæ in scripturis legimus, arbitrantur nullum esse hominis arbitrium, & sublatam esse voluntatem, & hominum opera non prodesse ad salutem, sed omnia pendere ex sola voluntate Dei aut prædestinantis, aut reprobantis: Dei enim prædestinatio, inquit, est immutabilis, inuariabilis, ineuitabilis. Si Deus ex humano genere ab æterno quos voluit elegit, & preparauit vt essent vasa misericordiæ, quibus præparatum est regnum cœlorū ab origine mundi, nec aliter fieri potest, quā decreuerit Deus, conſequens videtur omnia, vt aiunt Lutherus suiq; complices, de necessitate absoluta euenire. Ostēsurus igitur hisce in rebus sacrarum scripturarum, omniumque veterum, & recētorum catholicorum doctorum sententias, in vnitatem fidei conſpirare, præsentem librum in duas partes diuidemus. In priori parte tria sumus tractaturi. Primum quid huiusmodi nominibus in scripturis sacris & doctrinis ecclesiasticorum patrum designatur. Secundum, vtrum in homine aut prædestinato, aut reprobato, sit causa aliqua vel meritoria, vel preparatoria ex libero hominis arbitrio originem habens præuisa, propter quam Deus illum ab æterno prædestinauerit ad vitam æternam, istum verò reprobauerit. Hoc autem discutere, confert ad intelligendum liberū hominis arbitrium à prædestinationis gratia non discordare, sed neque tolli, neque perire per eam. Nam si Deus ab æterno prædestinauerit suos electos gratis, secundum propositum voluntatis suæ. Reliquos autem reprobauerit absque vlla operum ratione, absque vlllo liberi arbitrii merito, absque vlla præparatione per humanam voluntatem futura, quemadmodum tradit apostolica doctrina, & ecclesiastici docuerunt tractatores. prima fronte videbitur liberum hominis arbitrium esse sublatum, nec quicquā valere cuiquam ad suæ salutis aſſequutionem. Et ita vera forsitan videretur detestanda illa hæreticorum sententia, qua dicitur liberum arbitrium esse rem de solo titulo. Si verò dixerimus in homine prædestinato, esse vel causam, vel dispositionem per liberum hominis arbitrium futurā, à Deo præuisam, propter quā Deus hos prædestinavit, illos autem reprobauit, aduersari videbimur apostolicæ sententiæ ita dicentis, Iacob dilexi, Esau autē odio habui, non ex operibus, sed ex vocante Deo & misere, & antequam nati essent dictum est, maior seruiet minori. Non enim est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis. Deus cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Considerandum est igitur, an ab hominis voluntate sit ratio aliqua, aut prædestinationis, aut reprobationis diuinæ. Tertio loco quantum breuiter potuerimus quasdam inanes argutias, argumentaque contra diuinam præ-

destinationem & reprobationem elaborata dissoluemus, declaraturi varias doctorum interpretantium sententias sibi esse in fide consonas, quantum ad gratiam & liberum attinet arbitrium. In secunda parte concordabimus varias scripturæ sacræ & sanctorum patrum sententias, quæ hisce in rebus inter se contrariari videntur, soluemusque; utriusque hæresis argumenta multis scripturarum & sanctorum patrum testimonijs, nunc contra liberum arbitrium sumptis medijs ex prædestinatione & reprobatione diuina, nunc contra prædestinationem & reprobationem sumptis medijs ex defensione liberi arbitrij. Primum igitur de nominum hæc materiam concernentium interpretationibus & distinctionibus dicamus. Sciendum est primum, quod verba quibus in hac materia utitur scriptura, præscire, providere, proponere, eligere, prædestinare, diligere, odisse, & reprobare, & illa veniunt hic interpretanda. Differunt autem præscientia, prouidentia, & prædestinatio. Prouidentia diuina, & prædestinatio, sunt eorum duntaxat operum, quæ Deus facturus est. Prædestinatione, ait Augustinus, Deus præscit ea quæ ipse facturus est, & largiturus super homines, vel sine ipsis, vel cooperantibus ipsis ad assequendam vitam æternam, dicente scriptura, Quos prædestinavit, hos & vocauit, & iustificauit. Præscientia autem est tam eorum quæ ipse facturus est, quàm eorum quæ ipse facturus non est, dicente scriptura, Quos præsciuit, hos & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui. & alibi. Præsciui furorẽ tuum contra me. Prouidentia verò diuina est omnium rerum, dicente scriptura, Tua autem pater prouidentia ab initio cuncta gubernas. Prædestinatio generaliter dicta, idem est quod prouidentia, quam secundum vsum Theologorum habeatur, vt species prouidentie. Vnde prædestinare nomen sortitur à destinare, quod est mittere, ordinare aut deputare aliquid in finem aliquem seu terminum. Quemadmodum rex suum legatum destinare dicitur, & sagittator in scopum sagittam. Et ita prædestinare generaliter acceptum transit in hominem, quàm in alia alicui fini addicta, deputata, seu preparata. Verum obtinuit vsus in scripturis, & apud Theologos, vt non alia quævis Dei opera, sed homines soli ipsi dicuntur prædestinari ad gratiam, vel opera bona in presententi & ad vitam æternam in futuro. Prædestinationis ergo nomine generaliter accepto Deus dicitur prædestinare hominem ad omne illud, quod præuidit se facturum in homine, siue per iustitiam, siue per misericordiam. Et sic acceptam prædestinationem describit beatus pater Fulgentius. Prædestinatio, inquit, Dei nihil aliud est, quàm preparatio operum, quæ Deus in æterna sua dispositione aut misericorditer, aut iuste se facturum præsciuit, secundum quam significationem Deus non solum prædestinavit suis electis regnum cælorum, sed & reprobis prædestinavit, & preparauit carcerem suppliciorum. Et hoc modo dicit Paulus vasa iræ apta, & preparata in interitum. In interitum inquam supplicij, non in interitum peccati. Quamuis enim ecclesiastici patres ex scripturis sacris diuinitus edocti admittant, quod Deus prædestinauerit sui preparauerit iustorum opera, pro quibus & illos coronat, nequaquam tamen admittunt, quod Deus prædestinauerit impiorum opera, pro quibus condemnat illos, ipse enim non est author peccati, neque preparat, neque deputat homines, vt faciant mala opera, quamuis facientibus mala, æterna supplicia preparauit ad Romanos. 9.

Sunt autem in scripturis sanctorum de prædestinatione, & electione loquentium diligenter consideranda quoniam pacto accipiuntur ipsa prædestinationis & electionis vocabula. Nam secundum acceptionem quandam Deus elegit & prædestinavit electos propter præuisa fidei opera. Prædestinavit inquam, id est, vitam æternam illis preparauit, & hunc in modum reperies Chrysostrumum

Augustinus.

Ad Rom. 8.

Prædestinare
bisariam acci-
piunt.

& Ambrosium sæpe fuisse locutos, sicuti infra latius sumus ostensuri. At prædestinationem specialiter acceptam, de qua nunc differendum est, describit Augustinus, ita dicens, Prædestinatio est preparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur. Homo proprie preparari, dirigi, ac prædestinari dicitur in illa quæ ex suis naturalibus consequi non potest. huiusmodi sunt gratia & gloria. Inter gratiam, inquit idem, & prædestinationem hoc interest, quod prædestinatio est gratiæ preparatio. Gratia verò est ipsa donatio, quæ est ipsius prædestinationis effectus. Nam prædestinatio est diuina voluntas proponens suo tempore misereri hominis, hoc est, segregare hominem ex perditionis massa, & facere eum in hac vita dignum, cui post hanc transitoriam, largiatur vitam æternam. Ex quibus liquet nomine prædestinationis tria designari, videlicet propositum Dei æternum, siue electionem ante mundi constitutionem: deinde temporalem in hac vita effectum, qualis est vocatio, segregatio ex perditionis massa, regenerationis lauacrum, remissio peccatorum, iustificatio. Et vt vniuersaliter dicam, tota congeries operum, quæ facit Deus, aut in homine, aut per hominem ordinata in vitam sempiternam. Atque ita tertium nomine prædestinationis designatum est vita æterna, quæ est postremus prædestinationis effectus, ac finis omnium præcedentium. Tria hæc innuit Apostolus dicens, Quos prædestinavit, hos & vocauit, quos vocauit, hos & iustificauit, quos iustificauit, hos & magnificauit. Primum æternum, videlicet diuinum propositum cum sit ipsa diuina essentia immutabilis, neque causam habet, neque meritum. Alterum videlicet effectus prædestinationis in hac vita causam habet Deum, sed non hominis meritum, intelligendo totalem in hac vita prædestinationis effectum. Tertium autem, utpote glorificatio habet efficientem causam, Deum ipsum, & in adultis meritum. Quamuis enim nulla potest esse causa, quæ moueat Deum ad volendum, qui quicquid voluit ab æterno voluit, hac tamen sua voluntate æterna & immutabili Deus in operibus seu effectibus creatis, vult vnum opus, vnumque effectum, esse alterius causam, sicuti vult ignem esse causam caloris, Ita & vult opera tum bona, tum mala esse causas meritorias premiorum aut suppliciorum. Verbum autem reprobare in sacris literis generaliter acceptum, significat damnare, contemnere, & aliquid tanquam vile atque indignum reijcere. Sic legitur Deus reprobare consilia principum fatuorum, & prudentiam hominum huius sæculi, & nationes filiorum alienorum, deferens illos tanquam argentum reprobum, & terram reprobam, cuius finis est in combustionem: sic & Iudæi Christum lapidem reprobauerunt. Ex hac significatione generali sacræ Theologiæ interpretes specialem quandam significationem accipientes conuenientem solis hominibus, quibus ab æterno preparatus est infernus propter originale, vel actuale peccatum, vsi sunt reprobationis vocabulo, secundum significationem quandam quodammodo oppositam prædestinationi specialiter acceptæ: vt quemadmodum Deum prædestinare hominem, est Deum velle misereri illius, preparando ei gratiam qua liberetur à culpa, & perueniat in vitam æternam. Ita Deum reprobare hominem, seu odisse hominem, est Deum non sic velle misereri illius per gratiam, qua liberetur à culpa, & perueniat ad vitam æternam. Et sic reprobare ab Apostolo Paulo, ad Romanos non o, appellatur indurare & odire. Veruntamen ita acceptum reprobationis vocabulum, non sic Deum habet pro causa efficiente illius effectus propter quem homo damnatur. Vnde nec apta erit descriptio, si dixeris reprobationem esse æternam Dei voluntatem proponentem suo tempore aggregari hominem in perditionis massam, & facere eum in hac vita, vel indignum regno

Prædestinatio-
nis descriptio se-
cundo modo ac-
cepta.

Reprobare.

Quid sit odire,
& indurare, ad
Rom. 9.

celorum, vel dignum carcere suppliciorum. Nam ad opera mala, quibus homo dignus fit gehenna, iustus Deus, neque vocat, neque instigat, neque suggerit, neque excitat motum prauæ concupiscentiæ.

Proinde quod in scriptura sacra Deus dicitur indurare, excæcare, aggravare: non est ita accipiendum quasi Deus, vel immittat rebellionem cordis contra Deum, aut duritiam, cæcitatem, malæ voluntatis obstinationem, vel suggerat, aut impellat in aliquid per quod homo aut fiat, aut factus sit indignus vita æterna, & dignus gehenna, vel sua sponte primum deserat animam iustam, vt cadat & peccet, alioquin scripturæ scripturis repugnarent, dicentibus, quia Deus odit iniquitatem, & quod ipse non est volens iniquitatem. Nemo cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur. Deus enim intentator malorum est. Vnusquisq; verò tentatur à sua concupiscentia abstractus & illectus, quæ concupiscentia nõ est à Deo patre. Vnde à Christo, desyderia mala appellantur diaboli opera, Vos, inquit, ex patre diabolo estis, & desyderia patris vestri vultis facere.

Ex scripturis sacris est manifestissimum, peccatum intrasse in mundum non per Deum bonum mundi conditorem, sed per vnum hominem, Adam peccatorem, vt inquit Paulus ad Romanos quinto, & textus habet Genesis secundo, & Sapientiæ primo.

Indurat ergo homines Deus, & excæcat, non duritiam voluntatis, non cæcitatem infidelitatis impartiendo, sed duritiam voluntatis, & mentis cæcitatem, quæ ipse non condidit in humana natura, non auferendo, & lumen fidei per spiritum sanctum non immittendo. Indurat, inquit Augustinus, & excæcat eos quorum corda emollire & illuminare noluerit.

Sed hic ne propter variam vocabulorum acceptionem paralogizemur, operæ pretium est considerare, quod aliud est permittere hominem ex innocentia cadere in peccatum: aliud est, illius, postquam cecidit, nolle misereri: aliud dimittere hominem lapsum, deserendo eum, ire secundum desyderia cordis illius. Primum facit Deus absque vllis meritis illius, qui peccare finitur, vt patet in Adam & Eva ab innocentia statu deficientibus. Secundum itidem fit super eum, quando factus est miser malis meritis, sed cum eo cuius Deus vult misereri, plerumque communibus. Tertium autem facit Deus propter malum hominis meritum iratus. Et sic dicitur dimisisse omnes gentes ingredi vias suas, quemadmodum & in Psalm. loquitur, Non audiuit populus meus vocem meam, & dimisi eos secundum desyderia cordis eorum. Quoniam autem pacto Deus hominem interdum tentet atque induret inducendo & efficiendo aliquid ex quo induratur homo, superiore libro satis prolixè declaratum est.

Reprobatio igitur sic potest definiri. Reprobatio est diuina voluntas permittens rationalem creaturam aut peccare, aut habere peccatum, præparans pœnam peccato debitam. Reprobatione Deus permittit, sed non facit hominem peccare, neque enim Deus fecit genus humanum peccare, aut esse perditionis massam, aut vasa contumeliæ, quemadmodum Paulus Apostolus irrefragabili doctrina docet ad Romanos, peccatum in hunc mundum intrasse per vnum hominem Adam peccantem, quod & manet in vniuersiuique hominis natura ab Adam propagata. Videant igitur Lutherus suiq; complices impij blasphematores, qua ratione doceant Deum impulsisse & impellere ad peccandum. Naturarum conditor est Deus, vitiorum autem in naturis instigator est diabolus. In hominibus verò eorum propagator est Adam, qui & omnes posteros massam fecit perditionis. His de prædestinationis & reprobationis nominibus prælibatis, pergamus ad reliqua vocabula.

Eligere,

Eligere, generali sermone significat voluntatis actum, secundum quem eligens quisque de quauis multitudine segregat ac separat aliquid ad vtilitatem, emolumentum, aut bonum quoduis vel eligentis, vel eius quod eligitur. Sic apud morales philosophos multis vijs seu medijs ad finem aliquem assequendum, excogitatis acceptio vnus præ alijs, vocatur electio. Sic electio personarum est, cum ex multis personis nobis propositis, vnam aut alteram segregamus, & præficimus ad honorem, dignitatem, officium, vel vtilitatem. Vnde Paulus Apostolus dicitur segregatus in euangelium Dei. Et Saluator ad Apostolos, Ego vos duodecim elegi apostolos, & vnus ex vobis diabolus est: vbi scriptura non de electione ad vitam æternam loquitur, sed de electione ad apostolatam. nam Iudas electione prædestinationis non erat electus, quamuis ipse forsitan electus erat ad gratiam, & scriptus in libro vitæ secundum præsentem iustitiam, sed de hoc vide Ambrosium in commentarijs ad Romanos octauo & nono cap. In hac autem materia prædestinationis, electio secundum quam prædestinati sunt ab æterno ad vitam æternam electi, est diuina voluntas suo tempore discernens seu segregans de mundo vnumquemlibet, & separans eundem ex massa perditionis, faciens eum vas in honorem, tandem statuens illum immaculatum in conspectu Domini. Quemadmodum ait Saluator, Ego elegi vos de mundo, vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Et Apostolus, Elegit nos ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati.

Dilectio qua Deus suos diligit electos, si sit diuina voluntas, qua vult homini bonum gratiæ in presenti, & bonum gloriæ in futuro, idem est quod prædestinationatio. Si autem sit voluntas, qua Deus vult prædestinato salutem æternam, tum prædestinatio non est idem cum electione aut dilectione, sed præsupponit vtraque hæc. Effectus electionis, est finalis gratificatio. Idcirco & idem sunt prædestinati, qui ab æterno dilecti ad vitam æternam, & ab æterno electi, id est, præordinati, vt sint ex massa perditionis segregati. Cæterum & hic sciendum, quod electio hæc, aut segregatio ex perditionis massa, non est propter aliquam diuersitatem inuentam in his, qui separantur. Nam iuxta fidem catholicam, & Apostolicam doctrinam per vnum hominem peccatum intrauit in vniuersum genus humanum. Omnes enim nascuntur æqualiter iræ filij, nisi præueniat gratia prædestinantis Dei. Secus autem solet contingere in electionibus huius vitæ ad dignitatem, prælaturas, & officia, vbi eliguntur cæteris præstantiores in moribus, vita aut scientia. Omnes autem homines ex Adam nati, sunt æqualiter in Adam peccante damnati. Et idcirco præueniendo omnem diuinæ electionis effectum gratuitum, omnes nascuntur ad accipiendam gratiam iustificationis æqualiter indigni. Hoc igitur interest, inter electionem qua ab homine, & inter eam, qua à Deo ad fidei gratiam quispiam eligitur. Quòd electio secundum quam eligit homo, est ex consideratione bonitatis aut excellentiæ illius, qui eligitur. Electio verò diuina, qua prædestinati secundum æternum Dei propositum ex massa damnationis eliguntur, vt sint vasa in honorem, est principium & causa bonitatis illius qui eligitur. Deus elegit prædestinatos ex massa perditionis, non quia inuenit eos dignos, qui segregentur, sed elegit eos, vt illos faceret dignos, præparans eosdem, vt iustificentur, & tandem sancti ac immaculati constituantur in vitam æternam. Elegit nos Deus, inquit Apostolus, vt essemus sancti. Elegit nos, inquit Augustinus, non quia futuri eramus sancti per liberum arbitrium voluntatis, sed elegit nos faciens nos sanctos, præparansque nos & faciens conuertere nos ad ipsum corda nostra, vnde segregatio

a iij passua

Deus neminem ad peccatum impellit.

Deum quomodo indurat.

Reprobationis definitio.

Electiois descriptio.

passiua est temporalis effectus diuinę electionis eterna. Est autem segregatio gemina. Equidem est segregatio quãdam, secundum quam separatur bonus à malo, qualis erit in finali iudicio cum Deus separabit oues ab hædis, propter diuersa operum merita, dicens hædis, Discedite a me maledicti in ignem aeternum.

Esfuriui enim & non dedistis mihi manducare, & cæt. Et hæc habet merita huius vitæ. Est & alia, qua segregatur malus à malo, vt efficiatur bonus. Et huiusmodi segregatio passiua, est prædestinationis diuinæ effectus, nullum habens meritum, de qua loquitur Apostolus ad Romanos nono, Deus cuius vult miseretur, & quem vult indurat: miseretur, inquam, illorum, quos ex vasis iræ & contumeliæ, facit vasa misericordiæ, gratis iustificans illos, nõ ex operibus iustitiæ, quæ ipsi fecerunt, sed secundum suam misericordiam per fidem in sanguine Iesu. Indurat autem eos, quos vasa iræ, & contumeliæ deserit. Scire tamen oportet, quod Deus quosdam ab aeterno elegit, id est, statuit segregare, ita vt velit eos facere iustos absque libero eorum arbitrio, aut cooperante, aut consentiente, præparans illis vitam aeternam tribuendam absque vllis operibus, seu meritis propriæ voluntatis. Et talis electio patet in paruulis, qui recepto regenerationis lauacro, antequam habeant vsum rationis, moriuntur. Quemadmodum facit tales iustos, absque vllis præparationibus, aut iustitiæ operibus, id est, absque cooperantibus eorum liberis voluntatibus. Ita faciet eos gloriosos absque vllis bonorum suorum operum meritis. Quosdam verò ex damnatorum hominum massa aeternæ suæ gratiæ iudicio ita elegit, vt faciat eos iam iustificatos, facere fructus bonorum operum, & accumulare merita, quibus mereantur cœlestis regni præmia. Quemadmodum ait saluator, Ego elegi vos de mundo, & posui vos, vt eatis & fructum afferatis. Item, In domo patris mei mansiones multæ sunt. Vnde & dies futuri iudicij in scripturis appellatur dies retributionis, quia tum iuxta Paulum Apostolum, quisque recipiet, prout esset in corpore. Et Apostolus, Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Fecit siquidem Deus tales accumulare sibi merita bonorum operum, quibus mereantur præmia in regno cœlorum, sed non facit eos exercere vlla opera, quibus mereantur iustificari ex illius gratia.

Præmittit enim Deus interdum sui spiritus iacula ac inspirationes, quibus tracti homines ad iustificationis gratiam sese valeant præparare. Omnia tamen huiusmodi præparamenta, sunt diuinæ prædestinationis & electionis quidam effectus, & ita omnibus prædestinatis competit verissima sententia apostolica, asserens quemlibet saluum fieri gratis, ex fide, non ex se, quia donum Dei est, & non ex operibus, vt ne quis gloriatur. Neque enim ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, inquit Paulus, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Vnde & saluator, Non me vos elegistis, sed ego elegi vos, vt eatis & fructum afferatis.

Ex supra dictis, ne in hac materia propter variam vocabulorum acceptiōnem fallamur, operæ præmium est nonnulla considerare. Primum quod nunc de prædestinatione loquimur, secundum quam homines sunt prædestinati, non angeli, qui saluantur absque Christi merito, non liberati ab vilo culpæ malo. Deinde quod de prædestinatione hominum differentes loquimur, accepta in ea significatione, qua vtitur venerabilis Augustinus, in libro de prædestinatione sanctorum, disputans contra Pelagij hæresim, accipiens nomen secundum vsum scripturæ docentis nos esse prædestinatos, & electos, vt essemus sancti absque meritis nostris, secundum propositum diuinæ voluntatis. Tertio confy-

considerare conuenit, quod hæc prædestinatio significat diuinam voluntatem in ordine ad gratiam, gloriam, & personam, cui gratia, & gloria est præparata

Cæterum in scripturis sanctorum obseruare oportet an nomina ista prædestinatio, præparatio, electio, miseratio, iustificatio passiue sint dicta, an actiue, miseratio, iustificatio, præparatio in homine qui iustificatur sunt ipsius diuinæ prædestinationis effectus. Quinto considerare conuenit, quod aliud est non habere gratiam, aliud autem priuatum esse gratia. Non habere gratiam est pura negatio & potest intelligi in creatura rationali absque vllius culpæ merito. Nam si rationalis creatura condita esset absque gratia dignificante ad vitam aeternam, consequens esset, quod, non habere gratiam non fuisset propter illius culpam.

Priuatum autem esse gratia, est ex culpa eius qui gratiã deseruit semel acceptam. Potest nihilominus etiam non habere gratiam esse ex culpa illius, qui illam nunquam accepit, si sese ad illam accipiendam non præparauit, sicuti potuit accidisse in Adam, de quo apud quosdam est controuersia, an fuerit creatus in gratia dignificante illum ad vitam aeternam, de quo tamen nulli est dubium quin fuerit creatus in originali iustitia. Aliud proinde est Deum huic non apponere gratiam. Aliud est Deum ab illo subtrahere gratiam. Rursus aliud est carentia gratiæ, Aliud est ad gratiæ impressionem suscipiendam duritia, ineptitudo, inhabilitas, seu indignitas, quia hæc est peccati sequela, illa verò potest esse sine peccato. Deus si homini qui nunquam peccauit non apponeret gratiam qua peruenire posset ad vitam aeternam, nullam ei faceret iniuriam. Proinde etiam si massa humani generis, ita esset media, vt nulli foret damnationi obnoxia, & Deus ex illa quos vellet assumeret ad gratiam, & vitam aeternam, quos autem vellet, sic dimitteret, adhuc superuacuum ac curiosum esset, rationes, aut merita quarere ex quibus alij assumuntur, alij autem deseruntur, quanto minus nunc, quando vniuersitas humani generis damnationi est obnoxia, scrutari oportet rationes diuinæ voluntatis, ex hac vniuersitate alios prædestinantis, alios verò deserentis.

Deinde & hoc considerandum ex superioribus, quod alia est permissio qua permissus est primus homo peccare, seu cadere ab innocentia statum in foueam peccati, alia est dimissio, qua homo iam lapsus dimittitur ire secundum suam ipsius desideria praua. Illa permissio videlicet Adæ erat, non propter vllum ipsius meritum, sed secundum condecentiam sapientiæ ac bonitatis Dei talem naturam instituentis, sicque eam gubernantis, vt peccare posset, & non peccare, de quo Ecclesiastici. 15. Deus ab initio fecit hominem rectum, & reliquit illum in manu consilij sui, vt ad quodcunque vellet extenderet manum. Hæc autem dimissio videlicet qua dimittitur homo destitutus auxilio gratuito, poena est antecedentis peccati. Postremum conuenit considerare variam acceptiōnem diuinę dilectionis & odij. Secundum quendam odiendi modum, apud sanctos legimus Deum neminem odire nisi propter mala ipsius merita. Secundum quendam autem reperimus Deum odire hominem, non propter illius merita. Sicut autem diligere est velle bonum, ita & odire est velle malum.

Potest autem concipi triplex malum, videlicet priuatio naturalis esse, malum culpæ, & malum pœnæ. Ad primum malum Deus nullam creaturam odit, neque tale malum vult Deus vlli creaturæ, quam diu conseruat eius esse. Neque enim posset res vlla permanere in naturali esse, si nõ ipse vellet. Sic loquitur scriptura, Nihil eorum odisti, quæ fecisti, quomodo enim posset permanere, nisi tu voluisses. Alterum item malum, quod est culpæ, permittit Deus esse aut fieri, sic tamen suauiter

Contra eos qui
negant merita.

An carere gra-
tia, possit esse, si
ne culpa.

Triplex bonum
& triplex ma-
lum in scriptu-
ris.

suauiter cooperans homini dum peccat, vt etiam ad ipsum actum seu motum peccati producendum concurrat, quia impossibile est peccatum vllum esse aut fieri contra omnipotentem & efficacem voluntatem diuinam. Ad malum autem pœnæ odit Deus hominem propter malum culpæ in homine. Sic Deus ab æterno iniquos odio habuit, volens illis malum supplicij, propter meritum peccati. Sicut autem triplex malum, ita & triplex bonum, videlicet bonum naturalis esse, bonum gratiæ in presenti, bonum gloriæ in futuro seculo. Quorum priora duo sunt sine merito. Tertium autem potest esse merces operum, & corona iustitiæ. Idcirco accepto dilectionis vocabulo, secundum voluntatem, qua Deus vult homini hoc postremum bonum, admittere possumus quod Deus ab æterno dilexit Iacob propter bona in ipso præuisa opera, quia ab æterno voluit dare Iacob in futuro seculo mercedem suorum operum. Deinde ipse Deus quia nemini vult malum culpæ, neque malum supplicij nisi propter meritum peccati, Idcirco etiam possumus concedere, quod Deus ab æterno odio habuit Esau, præparans illi malum supplicij propter præuisum in illo peccatum. Verum non sic accipiuntur dilectionis & odij vocabula in epistola ad Romanos nono. Quod si nomine dilectionis designetur diuina prædestinatio, qua Deus vult misereri hominis, præparando eum in gratiam, qua segregatus ex massa vili fiat vas in honorem dignum regno cœlorum, nomine autem odij significetur diuina reprobatio, qua Deus non vult misereri hominis, non statuens præparare eum in gratiam, qua segregetur ex massa vili in vitam æternam, tunc sicut dilectionis nullum est præuisum in prædestinato opus, propter quod est ab æterno dilectus, Ita nullum est præuisum in reprobato opus propter quod est ab æterno odio habitus. Et in significatione ista videtur accepta vocabula ab apostolo Paulo cum dicit, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Sic dilectio est voluntas in presenti seculo miserendi, & benefaciendi in vita futuri seculi. Odium autem est voluntas indurandi, id est deserendi in duritia, seu in malitia, & propter malitiam inferendi supplicium in seruuolo fatuo, de quibus subiicit. Deus cuius vult miseretur, & quæ vult indurat. Proinde odio habere, de quo Apostolus ibidem. Esau autem odio habui non significat solius dilectionis carentiam, sed & inferendi supplicij significat voluntatem. Hæc quilibet sacre theologiæ studiosus debet in doctrinis Chrysostomi, & Ambrosij diligenter obseruare ne fallatur, & putet doctrinam eorum accipientium prædestinationem sanctorum secundum præsciētiam fidei præuisæ & operum futurorum esse contrariam doctrinæ Augustini ex scriptura sacra demonstrantis sanctos ad gratiam in presenti, & gloriam in futuro esse ab æterno dilectos, electos, prædestinatos, non propter liberi arbitrij fidem, aut opera bona. Sed de hoc latius infra. Jam enim in superioribus libris sæpe diximus, quod omnium bonorum affectuum, operum, studiorum, & virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum sua gratia esse auctorem, & ab eiusdem gratia, omnia hominis merita præueniri, quo

vtique auxilio non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur vt de tenebroso lucidum, de imprudente prouidum, de prauo reatum, de languido sanum fiat. Tanta enim est erga homines bonitas Dei, vt nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, pro quibus largiturus est præmia æterna.

Ex supra

Ex supra dictis sententia præambula, ac vtiles ad intelligendum quoniam pacto Prædestinatio diuina, neque tollat, neque impediatur liberum hominis arbitrium, neque ad peccandum impellat.

NON EST sufficiens prædestinationis descriptio, si dixerimus prædestinationem esse sempiternam voluntatem, qua Deus vult alicui dare vitam æternam propter hoc quod ipse præuiderit infallibiliter, & bona illius hominis opera, & finalem bonæ vitæ statum in quo est moriturus. Nam sic definiens prædestinationem Pelagiani errauerunt dicentes. Præsciuit Deus, qui essent in eum credituri, & qui credentes rectè victuri, per liberum voluntatis arbitrium, & idcirco elegit eos ad regnum cœlorum, quos in sua præscientia præuiderit iustos ex hac vita decessuros. Hanc sane definitionem prædestinationis multis in locis refutat scripturæ, ex quibus Augustinus eandem luculenter confutat dicens, Deum prædestinasse homines ad vitam æternam, quos ipse voluit in hac vita segregare ac sanctificare iuxta verbum Christi ad Apostolos dicentis. Non vos me elegistis, sed ego elegeri vos vt eatis, & fructum afferatis. Sicut & Paulus non dicit, elegit nos, quia eramus sancti, sed elegit inquit nos, vt essemus sancti. Vnde patet quod prædestinationis nomine designatur, non solummodo præscientia diuina super salutem prædestinati, sed & propositum, seu intentio Dei ineffabilisque voluntas præparans media, quibus assequitur homo vitam æternam

Non est sufficiens reprobationis descriptio si dicatur. Reprobatio est sempiterna Dei voluntas, qua Deus præscit futuram hominis culpam, & pœnam culpæ debitam. Nam reprobatio super præscientiam Dei addit diuinam prouidentiam, qua Deus culpam libero hominis arbitrio contractam, ordinat in pœnam debitam. Itaque pœna non solum est præscita, sed & peccantibus diuinitus præordinata, dicente Saluatore, Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius.

Quamuis prædestinatio sit præparatio gloriæ, & eorum quibus peruenitur ad gloriam. Reprobatio tamen non est præparatio pœnæ, & eorum quibus peruenitur ad pœnam. Licet enim Deus præparat peccantibus pœnam, non tamen præparat eorum voluntates ad culpam. Nam Deus non permittit peccata esse vt puniat, sed permittit ea fieri, & res quas in sapientia condidit suauiter disponens sic gubernat, vt eas tamen proprios motus agere sinat. Qui & dedit ab initio homini liberum arbitrium, quo ipse homo peccare posset, & non peccare, quatenus gloriosior inde appareret, si non peccaret cum peccare posset. Permittit itaque hominem per liberum arbitrium peccare, vt sua reluceat iustitia in puniendo. Sed de his sufficienter in superioribus libris actum est.

Aliud significamus cum dicimus, Deus deserit hominem, recedit ab homine, derelinquit hominem, suam gratiam subtrahit ab homine. Aliud cum dicimus, Deus permittit hominem peccare, aut permittit hominem cadere, aut non apponit homini gratiam. Nam hæc posteriora sunt secundum naturam priora prioribus. Prius enim a Deo permittitur homo peccare, ac deinde si permittitur peccauerit, Deus deserit hominem, non tamen homo sic desertus iuste peccat & si illi peccare Deus iuste permittat. Iuste enim deseritur, qui Deum deserit. In superioribus libris iterum atque iterum demonstrauimus, quod Deus ab initio condidit primum hominem rectum, in quo omnes filios eius, quantum in se fuit, rectos fecit. Relictus tamen in manu consilij sui homo potestatem habuit, qua peccare posset, & non peccare si vellet. Sic autem permittitur sua potestate abusus, Deo permittente peccauit.

Igitur

Sententia. 1.

Pelagii error.

Sententia. 2.

Sententia. 3.

Sententia. 4.

Igitur hominem sic peccantem deseruit Deus, quem tamen non desereret, nisi homo prius Deum deseruisset. Deus, inquit Augustinus, neminē, priusquam deseratur, deserit, atque ita permitti cadere in peccatum, nullam habuit causam meritoriam in Adam præuisam, propter quam Deus iratus esset, & permetteret illum ut peccaret. Nam sub statu innocentiae, homo talis erit, qualis erat à Deo conditus, ad imaginem & similitudinem Dei, in vigore liberi arbitrij, nondum vitiatus, nondum cæcus, incuruatus, aut languidus, in eligendis his, quæ pertinent ad vitam aeternam, & ideò tum hominem relinqui in manu consilij sui, permitti quæ viuere secundum propriam voluntatis libertatem, conditio erat naturæ, & non pœna vllius præcedentis culpæ. Talem enim tunc acceperat homo à Deo voluntatis libertatem ut ea peccare posset, & non peccare si vellet. Homo verò postquam seductione serpentis per Euam cecidit talē à Deo acceptis naturalique excellentia, quam acceperat male vsus, hanc libertatem absque peccato viuendi perdidit, & ideò permissus nunc viuere secundum propriam voluntatis libertatem, non valet omnino carere peccato. Proinde permitti nunc hominem suæ voluntati generalique diuini gubernaculi prouidentiam singulis causis secundum conditionem & qualitatem naturis earum convenienter cooperanti est cōditio naturæ, quatenus vitiata & claudicans est facta, in pœnā originalis aut certe actualis culpæ.

Sententia. 5.

Prædestinatio & reprobatio significant diuinam voluntatem, ut causam. Et idcirco prædestinationis effectus assignandi sunt ea quorum Deus est causa, cuiusmodi sunt miseratio, remissio peccati, gratiæ appositio, & vita aeterna quæ procedūt à diuina voluntate lōgè aliter quam reprobationis effectus, cuiusmodi sunt exclusio à regno cœlorum, damnatio ad carcerem suppliciorum. Etenim Deus, cuius propriū est misereri semper & parcere, ex se sumit materiam, velut seminarium miserendi, puniendi verò ex nobis. Deus mortem nō fecit, sed inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Quòd autē iudicat & condemnat nos, quodammodo cogimus eum dicentem per prophetā, Nunquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus, & non magis ut conuertatur à vijs suis & viuatur? Et nolo mortem impij, sed ut conuertatur impius à via sua & viuatur. Non enim delectatur Deus in pœna, qui quodammodo inuitus punit. Rectè, inquit Bernardus, dicitur Deus non pater iudiciorum, vel vltionum, sed pater misericordiarum, non modò quòd pater videatur misereri potius quàm indignari, & quemadmodum pater filiorum misereatur timentium se, sed eo magis, quòd miserendi causam & originem sumat ex proprio, iudicandi vel vlcissendi, magis ex nostro. Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me saluatio tua. Quemadmodum autem punire, & condemnare ad supplicia, non sunt ex intentione primaria, & secundum se, intenta à Deo, ita excludere à regno cœlorum, non apponere gratiam, aut eam subtrahere, aut recedere ab anima, & (secundum effectus gratiæ) ab anima absentē se facere, sunt effectus quidē quodammodo procedētes à diuina voluntate reprobante. In nobis tamen est causa, propter quam iusto suo iudicio, Deus culpam puniens, gratiam non apponit homini, eumque excludit à regno cœlorum. Deus quantum in se est, omnes vult saluos fieri, non voluntate efficaci quæ semper impletur, nec quo modo Pelagius credidit, sed quomodo ecclesia sentit, & scriptura tradit dicens, Deus mortē non fecit. Ipse quasi inuitus recessit ab homine peccante. Inuitus, inquam, secundum eum loquutionis tropum, quo dicit, Pœnitent me fecisse hominem. Adam enim voluntario suo peccato factus à Deo profugus, sibi, suisque posteris paradysum perdidit. Deus quātum in se est, omnibus fuit paratus lumen gratiæ suæ infundere, sed homo ipse, aut sibi claudit oculos suos

Deus, pater est misericordiarum.

los suos propria voluntate, aut clausos habet ex peccato Adæ. Itaque Deus non est causa, qua homo careat gratia innocentiae & iustitiae, quam in Adam acceperat, neque item est causa mortis, neque damnationis primaria. Deus posset quidem dimittere hominem sine gratia absque illius culpa. Nunc quia homo gratiam semel in primis parentibus acceptam, propter peccatum perdidit, dimittitur sine gratia non absque merito culpæ. Et ita habere iustitiam est effectus Dei prædestinantis. Carere autē iustitia, & non habere illam, sunt effectus non Dei reprobantis, sed peccantis Adæ, gratiam Dei in se, & in omnibus posteris suis, aut abijcientis, aut nolentis accipere. Quamuis enim prædestinatus ex diuina prædestinatione operatur bona, nequaquam tamen reprobatus ex diuina reprobatione peccat. Deus reprobando non facit hominē carere gratia, nec peccare, nec quicquam facit in homine, per quod ipse homo indignus sit gratia, sed reprobando hominem, deserit eum, quem non ita iuuat, ut gratiam habeat. Non igitur quia reprobaris à Deo, habes originalem vel actuale culpam, sed quia peccasti ex tua propria vel aliena voluntate. Deus ab aeterno præuidens te finaliter habiturum originalem vel actuale culpam iniustitiam, ab aeterno preparauit pœnam, culpæ tuæ debitam. Pro huiusmodi sententijs sunt penē innumera scripturæ. Vnde Sapientiae primo dicitur, Deus mortem non fecit, nec letatur in perditione viuorum. Creauit enim ut essent omnia, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum, & non est in illis medicamentum exterminij, nec inferorum regnum in terra. Iustitia enim perpetua est & immortalis, Iniustitia autem, mortis acquisitio. Impij autem manibus & verbis accerserunt illam, & aestimantes illam amicam defluerunt, & sponsones posuerunt ad illam quoniam morte digni sunt, qui sunt ex parte illius. Quicumque dicit, per offensam præuagationis Adæ, non totum hominem (id est, secundum corpus & animam) in deterius esse commutatum, sed animæ libertate illesa durante, corpus tantummodo corruptioni asserit esse obnoxium, Pelagij errore deceptus, aduersatur scripturæ dicenti, Per vnum hominem peccatum. &c. ad Rom. 5.

Præscientia, prouidentia, prædestinatio, electio, reprobatio, odiū, &c. id genus omnia sunt realiter idem in Deo, differunt autem nominum significationes, tum propter diuersas relationes ad creaturas, tum propter diuersos effectus à voluntate Dei, suis temporibus prodeuntes in creaturas. Ipsa enim diuina substantia inuariabilis, immutabilis, est dilectio, electio, prædestinatio hominum electorum.

Sententia. 6.

Rursus eadem diuina substantia manens inuariata est æterna hominum reprobationum reprobatio, despectio, induratio. Et ita huiusmodi nominibus non significantur vlla accidentia in Deo, quorum vnum prius, alterum foret posterius, sed significantur ipsa diuina substantia, ut præsciens, prædestinans, proponens aut decernens, tum per se, tum per causam vel naturaliter, vel liberè operatam, producere effectum.

Diuina substantia seu voluntas, quamuis non possit incipere præscire, aut prædestinare aut reprobare aliquem, aut velle aliquid, utique tamen incipit creare, vocare, segregare, iustificare, & glorificare. Deus quidē incepit creare mundum, sed non incepit velle creare mundum. Oportet in huiusmodi sententijs significationes verborum discutere ad intelligendū, cur posset cōtingere, quòd Deus incipiat creare, producere, aut iustificare, cū non incipiat prædestinare aliquem, aut reprobare sicut nec incipit scire, aut velle aliquid nihil sciēs, aut volēs, quòd non ab aeterno sciuerit, & voluerit. Sed quia huiusmodi in lib. de libero arbitrio, & seruo, & in libro de diuina prouidentia sufficienter explanauimus pertransendo huius primi capituli finem facimus.

Sententia. 7.

In superioribus demonstrauius nominum significationes, ostendentes ex scripturis sacris prædestinationem esse æternam Dei voluntatem, immutabilem, infallibilem, secundum quam ipse suis electis in hac vita præparauit gratiam, & in futuro sæculo vitam æternam. Reprobationem verò æternam Dei voluntatem qua permittat hominem in peccato vsque ad finem vitæ, præparans illi propter peccatum, sempiternam mortem. Iam superest, vt in hoc secundo capite discutatur, Vtrum in prædestinato, vel reprobato sit causa vel ratio præuisa, propter quam, Deus in sua præsciētia ab æterno istum prædestinauerit ad vitam æternam, alium verò reprobauerit. Vnde & hoc vnum est in quo præcipue turbantur huius mundi homines, gratiam per dominum nostrum Iesum non intelligentes, quod dicimus, Deum pro suæ voluntatis beneplacito quosdam ab æterno prædestinasse, alios reprobasse, non habita consyderatione ad vlla vel merita, vel præparamenta futura à liberis hominum voluntatibus. Et probatur quibusdam argumentis quod sit aliquid præuisum à Deo, futurum, à liberis hominum voluntatibus. Primum. In scripturis passim sanctorū meritis, seu bonis operibus, laboribus, pugnis, passionumq; toleratijs, merces promittitur & palma, brauium, seu corona iustitiæ. Gaudete & exultate, inquit Christus, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Vnde & huiuscemodi propositiōes à sanctis, & ecclesiasticis patribus inueniuntur concessæ. Iustus quia finaliter perseuerat in gratia, ideo Deus vult quod habeat vitam æternam, dicente scriptura. Qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit. Et saluator iudicaturus mundū ad prædestinatos ita loquitur. Venite benedicti patris mei possidete paratum vobis regnum à constitutiōe mundi. Deinde cur sit eis paratum, addit dicens. Esuriui & dedistis mihi manducare. Sed regnum illis fuisse præparatū à constitutiōe mundi non est aliud quàm eos à constitutiōe mundi fuisse ad regnum dei prædestinatos, ergo bona prædestinatorum opera in diuina præsciētia sunt ratio prædestinationis diuinæ. Et hoc videtur plane voluisse Apost. ad Romanos. 2. Gloria autem & honor & pax omni operanti bonum, Iudæo primum, & Græco, Ira, tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum. Deus in die iusti iudicij sui reddet vnicuiq; secundum opera eius. Item ad Romanos. 8. Quos præsciuit inquit hos & prædestinavit cōformes fieri imaginis filij sui. Deinde quos prædestinavit, hos & vocauit, & cætera. Plane videtur Apostolus insinuare præsciētiam Dei sese habere ad prædestinationem perinde atque prædestinatio se habet ad vocationem. Sed prædestinatio est ratio & principium vocationis, ergo præsciētia bona vitæ est ratio prædestinationis. Præterea impius quia finaliter in peccato moritur, ideo Deus vult, quod eat in ignem sempiterni supplicij, dicente scriptura. Stipendium peccati mors. Et saluator ait. Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehēnæ ignis. Item Apostolus. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, luxuria, inuidia, iræ, rixæ, dissentiones, ebrietates, commessationes, & his similia, quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur. Videntur igitur opera mala esse ratio, cur Deus impios homines reprobauerit, ab æterno odierit, & excluderet à regno cælorum.

Argumenta quibus probari videtur Deū prædestinare aut reprobare propter opera præuisa aut bona aut mala.

Argumentū. 2.

Scriptura sacra indistincte, & vniuersaliter docet Deū illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum, Deum velle omnes homines saluos fieri, & ipsum neminem velle perire, Deum non fecisse mortem, eumque nolle mortem vilius peccatoris, sed velle de vnoquoque, vt cōuertatur & viuat. Ex quibus scripturis visum est patribus, consequens esse, quòd diuina voluntas inuariabilis, immutabilis, vna semper equaliter sese habet ad omnia, quemadmodum sol sese habet simili-

bet similiter ad omnium hominum oculos, tamen non omnes equaliter percipiant ipsius solaris luminis influxū propter diuersas oculorum dispositiōes. Nam causa, inquit, propter quam isti percipiunt præsentis solis lumen, alijs in tenebris remanentibus non à solis mutatione, sed ab oculorum consurgit diuersitati, ita sol iustitiæ equaliter præsens est omnium hominum mentibus. Qui & facit solem suum oriri super bonos & malos, & equaliter pluit super iustos, & iniustos, cui equaliter cura est de omnibus. Augustinus tractans illud Psalmi, Deus in medio eius non commouebitur. Equaliter, inquit, omnibus consulit, personas non accipit, equaliter fauet omnibus. Et Apostolus, Qui vult omnes homines saluos fieri, subintellecta conditiōe, si & ipsi velint, inquit Ambrosius, ipse etiam illuminat omnem hominem quantum in se est, inquit Chrysostomus, sed lux in tenebris lucet, id est coram oculis cæcorum, inquit Augustinus, & tenebræ eam nō comprehenderūt. Ego sto (inquit Dominus) ante ostiū, tam electi quam reprobi, & pulso, si quis aperuerit mihi, veniam, intrabo ad illum, & cæt. Ergo Deus quantum in se est, paratus est omnes amplecti. Nam Christus clamat ad omnes, Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Præterea Deus si erga homines equaliter peccatores non equaliter se habeat, est ergo personarum acceptor, cōtra scripturam, quæ sepe clamat, Non est acceptio personarum apud Deum, sed in omni gente, quæ timet Deum acceptus est illi. Præterea omnibus ex æquo sese offert, & dicit. Petite & accipietis, pulsate & aperietur vobis, causa ergo quare non omnes amplectantur, consurgere videtur ex voluntatibus hominum, inæqualiter sese ad accipiendum gratiam habentium. Quemadmodum & saluator significasse videtur in parabola de talentis gratiarum, quæ dispensabantur secundum propriam vniuscuiusque virtutem. Vnde Anselmus, Homo non habet gratiam, non quia Deus non dat, sed quia Deo volente dare, homo non accipit. Et ita consequens est causam propter quam isti illuminantur, cæteris in tenebris remanentibus, non emergere ex voluntate Dei aut prædestinantis, aut reprobantis, sed ex diuersis qualitatibus, conditionibus, dispositionibus rationalis creaturæ, prodeuntibus ex liberis voluntatibus eorum, qui vel eliguntur, vel reprobantur. Et ita consequens erit, quòd æternæ dilectionis, electionis, prædestinationis, & reprobationis sint causæ quædā ab æterno præuisæ, aut originalia videlicet, aut actualia peccata, aut bonus liberi arbitrij vsus, dum pulsanti Deo aperit homo per liberum arbitrium, cordis sui ostium. Videtur ergo propter operum diuersitatem Deus, ab æterno omnium futurorum præsciens, alterū ab æterno elegisse, & prædestinasse, alterum reiecisisse, & reprobasse, quem videlicet, præsciuit fore rebellem. Deinde quod quisque audito euangelio habeat in potestate credere, perinde atque non credere, videtur significasse saluator de Tyro & Sydone dicens, quod vtique credidissent, & pœnitentiam egissent, si prædicatio euāgelij & miracula fuissent illis exhibita. Quod tractans Aug. dicit quosdam habere naturale munus, quosdam intelligentiæ quo credant, & conuertantur si verba Dei audierint, & miracula viderint.

Doctrina Aug. in libris contra Pelagium æditis, & præsertim in lib. de prædestinatione sanctorum desinentis reprobationem & electionem ad gratiam salutarem, non secundum præsciētiam operum futurorum à liberis hominum arbitrij, sed secundum æternum propositum Dei prædestinantis & reprobantis homines, non propter vlla præuisa merita: est contraria doctrina omnium patrum aliter hanc electionem intelligentium, aliterque quam August. capitulum hoc nonum ad Romanos interpretantium. Omnes enim patres, excepto vno Augustino, dilectionem Isaac & Iacob, populique electi in illis designati, odium

b

autem

Confirmatio. 1.

11.

111.

Argumentū. 3.

autem Ismael & Esau, populiq; reprobī in illis designati definiūt esse propter opera futura in illis pręuisa à Deo. Vnde beatus Prosper in epistola ad Augustinū scribentem de electione, quę est secundū aternū Dei propōsitū sic loquitur, Pertractatis, inquit, priorū de hac re opinionibus penē omnīū par inuenitur, & vna sententia, qua propōsitū & prędestinationem Dei secundū pręscientiā acceperunt, vt ob hoc Deus alios vasa honoris, alios cōtumelię fecerit, quia finē vniuscuiusq; pręuiderit, & sub ipso gratię adiutorio, in qua futurus esset, voluntate & actione pręscierit, & quantū ad Deum pertinet, omnibus paratā esse vitā aternā, quātum autē ad arbitrii libertatē ab his eam apprehēdi, qui Deo sponte crediderint. Verbum autē Apostoli ad Romanos dicētis, Cum enim nondū nati essent, aut aliquid fecissent boni aut mali, vt secundum electionem propōsitū Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, Maior seruiet minori, aliter intelligunt considerantes eiusdem capituli caudam. Vbi peruenire ad iustitiam attribuitur merito fidei, & non peruenire ad iustitiā attribuitur proprię arrogantię & incredulitati, Gentes, inquit, quę nō sectabātur iustitiā, apprehenderūt iustitiā, & id quidem ex fide. Omnis enim qui credit in eum, nō confundetur. Israel verō sectādo legem iustitię, in legem iustitię nō peruenit, quia non ex fide, sed quasi ex operibus offendentes in lapidem offensionis. Secundū hęc causam omnes ferme patres intelligētēs superiora eiusdē capituli dicta, aliter q̄ Augustinus, sunt interpretati, nihil commemorātes de prędestinatione illa, qua secundum aternū Dei propōsitum, vnus est electus ad pręparationem iustificātionis gratię, alter verō derelictus, intelligentes in Hismaele, & in Esau, reprobāri arrogantiam Iudæorū in propriis operibus confidentium, ac contemnentium Christum. In Isaac autem & Iacob, fidem, credulitatem & obedientiam gentium commendari, historiamq; hanc geminorū fratrum non propter res ipsas, sed propter ipsarum rerum mysteria tunc futura sub ecclesia Christi describi, dicēte domino in Genesi, Duę gentes in utero tuo sunt, & duo populi in utero tuo diuidentur. Populum in Isaac & in Iacob designatum diligi, quia credit, Euāgelioq; obedit, Populum verō in Hismaele & Esau designatum, odio haberi, in legem iustitię non peruenisse, quia non ex fide, sed quasi ex operibus voluit iustificari, offendēs in Christum. Et ita quod dicitur, Non ex operibus, sed ex vocante, & cetera consequenter exponūt, ex operibus, supple, legis, aut non ex operibus, supple, sine fide & gratia factis, sed ex vocāte, id est, inuitante Deo. Non ergo Apostolus illos, inquit, vult dicere aut propriis operibus fuisse vocatos, aut ad iustitiam sine opere liberi arbitrii peruenisse, aut ad vitam aternam dilectos, aut ad pœnam damnationis odio habitos absque meritis operum pręteritorum, sed negat ex operibus legis, aut ex operibus sine gratia vocantis Dei, Isaac & Iacob, fuisse dilectos ad vitam aternam.

Cæterum neque ob originale malum, videntur Hismael, & Esau damnati, cum & ipsis videatur originale peccatum, circumcisionis sacramento fuisse sublatum, Hismaelem fuisse circumcisum, patet Gen. 17. Videtur itaque in ipsis damnatum, nō quod sunt nati, sed quod sunt operati. Qui post susceptū legitime baptismum delinquit, non in Adā est iniquus aut dānatus, sed in peccato, quod ipse operatur.

Ex his igitur omnibus videtur consequens esse, quod secundum opera pręuisa aut bona, aut mala, sit intelligenda aterna dilectio Dei erga electos, odiumque aeternum erga reprobos. Hanc esse doctrinam ecclesiasticorum patrū Ambrosij, Hieronymi, Chrysostomi, planē videtur. Nam Ambrosius definit dilectionem, electionem, miserationem, indurationem in Deo, secundum eius pręscientiam, interpretans illud, antequam aliquid boni egissent, aut mali, scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Sciendo enim qualis vnusquisq; futurus erat prędixit.

dixit. Nec aliud potest euenire, quā nouit Deus futurum. Hoc ergo dixit quasi pręscius futurorum, nō quasi personarum acceptor. Nam neminem damnat, antequam peccet, nullum coronat antequam vincat.

Deinde exponens, Miserebor cui misertus ero, interpretatur, miserebor eius cui pręscius eram, quod misericordiam daturus essem. Reliquas insuper Apostoli sententias beatus Ambrosius refert ad pręscientiam Dei pręscientiam, qualis videlicet vniuscuiusque voluntas futura sit. Rursus idem Ambrosius exponens illud eiusdem Apostoli, Deus vult omnes homines saluos fieri, interpretatur, si & ipsi vclint, apertē insinuans priorem esse hominis voluntatem. Pro eadem sententia est Chrysostomus multis in locis. Super Matthæum de operarijs conductis in vineam, Omnes (inquit) ab initio Deus conduxisse voluisset, sed nō omnes eodem tempore paruissent. Paulum etiā à cunabulis vocare voluisset, sed vocatus ille non obtemperasset. Vide & reliqua ibidem. Item super Matthæum homilia trigesima prima, docet scientiā boni & mali, omnibus in creatione esse datam, qua si bene fuissent vsi homines, obtinuissent gratuitam scientiam, vt nocerent mysterium regni Dei, quia hęc specialis scientia datur pro remuneratione bonę voluntatis. Quod ergo non omnes homines habent gratiam, qua cognoscant mysterium regni cœlorum, non est culpa Dei non dantis, sed hominis non quærētis, non festinantis, non laborantis, vt mereatur accipere, quę generalem scientiā datam pro necessitate naturę abscondens in terra, meretur, vt non accipiat hęc specialem scientiam, quę pro remuneratione aut operū, aut bonę voluntatis datur, quemadmodū apud alium Euāgelistā docet Saluator de seruo pigro, qui abscondit talentum domini sui. Idem in homilia de conuersione Pauli, & in alia quadam de laudibus Pauli, multas ingerit sentētias, quibus videtur planē docuisse causam diuersitatis, cur hi sunt prędestinati, illi verō reprobatī, nō esse ex voluntate Dei, sed ex voluntatibus hominum, volentium aut nolentiū obedire Deo parato æqualiter omnes vocare, & ita pręuisa obedientia vel inobedientia, videtur esse aut ratio, aut causa, quare Deus proposuit huic facere misericordiam, illos autem à misericordia excludere. Vnde & ipse Augustinus videtur hac in re sibi ipsi fuisse contrarius. Nam & plana est eius sententia cōtra Porphyrium, dicentis, Christus tunc voluit apparere hominibus, & apud eos prędicare doctrinā euāgelij, quādo & vbi sciebat eos esse, qui in eum fuerūt credituri. Salus religiōis huius per quam solam veram, salus vera veraciter promittitur, nulli vnq; defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit. His enim tēporibus, & his locis quibus euāgelium eius nō est prędicatū, pręsciebat omnes in eius prędicatione tales esse futuros, quales multi in eius corporali præsencia fuerunt, qui in eum etiā suscitatis ab eo mortuis credere noluerūt. Quid ergo mirū si Christus prioribus sæculis apparere vel prędicari noluerit eis, quos nec verbis, nec miraculis suis credituros esse pręsciuit.

Hic iam si dixeris, q̄ Augustinus sententiam hanc retractauerit, & seipsum ad meliorē intellectum sit interpretatus, docēs diuinā gratiā eos, quos elegerit pręuenire atq; subijcere sibi hominū voluntates. Iam videbis Augustinū aliter sensisse, q̄ totam veterum patrum scholā, beato Prospero planē affirmāte. Veteres ea quę de epistola Apostoli Pauli ad Rom. scribentis ad manifestationē diuinę gratię proueniētis, electionis merita ab Augustino proferuntur, à nullo vnq; ecclesiasticorū sic esse intellecta, vt nunc sentiuntur. Profitētur quidē veteres omnem hominē in Adā peccasse, & neminē per opera sua, sed per Dei gratiā, regeneratione saluari, fatentur tamen vniversis hominibus propitiationē, quę est in sacramento sanguinis Christi, sine exceptione esse propōsitā, vt quicumq; ad fidē & baptismū accedere voluerint, salui esse possint, qui aut credituri sunt, atq; māsuri in

Sententia Pro-
sp̄ri dicentis
sententiam Au-
gustini de prę-
destinatione et
reprobatione,
videri contra-
riam dogmati-
bus omnīū san-
ctorum patrū.

Nota sentētias
patrum inter-
pretantium ca-
pituli nonum ad
& cetera.

fide nutanda per Dei gratiam ante mundi constitutionem eos esse prædestinatos, quia illos dignos fore electione Deus ipse præiudicavit. Sic & venerabilis Faustus Gallia episcopus, in libris pro defensione liberi arbitrii & gratiae, videtur reijcere interpretationem illam, coarguens eos, qui ex doctrina illa Pauli de Iacob & Esau, docebant Deum alios prædestinasse, alios autem reprobasse, non habita confyde ratione, nec ad futuram hominis obedientiam, aut inobedienciam, nec ad futuram credulitatem vel incredulitatem.

Quartū argumentum Prædestinatio, seu æternum Dei propositum præsupponit electionem, dicente Apostolo, ut secundū electionē propositū Dei maneret. Sed diuina electio nō potest esse irrationabilis, id est, absq; ratione aliqua. Est igitur ratio aliqua, propter quam Deus vnū eligit, id est, segregat & separat, cæteris in damnationis massa dimissis. Apostolus aut cum dicit, Deus cuius vult miseretur, & quem vult indurat, vtiq; verum dicit. Sed hæc voluntas, inquit August. nō potest esse irrationabilis. Quemadmodū enim de vnoquoque homine dicimus ipse operatur, ipse ambulat, ipse facit quod vult. Sicut dicit August. Dilige & fac quod vis, nō tamen oportet ob id voluntatē hanc in eo non habere causam, vel rationem, & quæadmodum volitio est efficax causā mouēs mēbra in opus in eo qui propter sanitatē ambulat, & verè est dicere, iste ambulat, quia vult, sed tamē ista volitio qua vult ambulare causam habet motiuā, amorem videlicet vel concupiscentiam sanitatis vel finalem ipsam vtiq; sanitatem. Ita & in Deo ratio motiua eius quod est dare prædestinato primam gratiam, videtur esse dilectio, qua diligit illum, volens illi bonum æternæ vitæ, ad quam peruenire non potest sine medio gratiæ.

Quintū argumentum Nomine reprobationis æternæ importantur tria, videlicet æternū Dei odium, temporalis desertio seu obduratio, & finalis damnatio. Sed vnumquodq; horum habet in nobis causam meritoriam, seu dispositionem, quæ originem habet ex libero voluntatis arbitrio. De odio patet, Deus enim neminē odit nisi propter peccata, quæ ipse Deus non fecit, dicente scriptura, Dilige omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti. De temporali desertio patet, Vocauit, & renouisti, volui cōgregare & noluitis, ecce relinquitur vobis domus vestra deserta. De finali damnatione patet, nam illa causam habet malum liberi arbitrii meritum, iuxta doctrinā Augustini tractantis verbū Apostoli ad Rom. nono, Querimus, inquit, meritum electionis & non inuenimus. Nam peccato Adæ meritū vniuersa massa est damnata. Omnes enim sunt filij iræ, & membra damnabilis massæ, à qua etiam si nemo liberaretur, dicere tamē deberem⁹ misericordię Domini quod nō sumus consumpti. Quis enim ei imputabit si perierint nationes quas ipse fecit? nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuisset, & quasi Gommorra, similes essemus. Perditio tua ex te Israel, tantūmodo in me auxiliū tuum.

Ex his igitur consequi videtur, quod etsi nullum sit meritum prædestinationis diuinæ, aliquid tamen esse meritū diuinæ reprobationis, cum aliquid sit propter quod vniuersa massa damnata est, videlicet peccatum. Quod & corroborari videtur per glossam ex interpretationibus sanctorum patrum desumptā, super illo verbo, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Quæ sic habet, in Iacob nihil inuenit amandum, nisi misericordię suæ donum. In Esau nihil odit nisi peccatum, cuius sensus talis videtur. Iacob dilexi ad vitam æternā, propter præiudicium in eo gratiæ donum. Esau verò odio habui propter originale peccatū. Et quamuis secundum historię fidem de Iacob & Esau ita gesta se habeant, vt Esau seruituti Iacob subiacuisse dubium nō sit, Tamen nemo Christianorū dubitauerit Apostolū Paulum in Iacob & Esau geminum populum, fidelem videlicet & infidelem prædestinatum, & reprobatū voluisse intelligere. Præterea diuinæ reprobationis effectus sunt

sunt dimittere hominem absque finali gratia, & eum ab æterno regno excludere, hæc aut sunt pœnæ tum originalis tum actualis culpæ. Deus enim quantū in se fuit in primis parentibus omnibus dedit gratiam, & vitam æternam, sed ipsi parentes hæc beneficia perdidit, & hoc per peccatū. Ergo peccantes in iram Dei lapsi iusto Dei iudicio digni facti sunt, quib⁹ nec gratia finalis in hac vita, nec regnum cœlorum post hanc vitā tribuatur. Sic & docere videtur August. interpretando Apostolum dicentem. Cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Miseretur, inquit, secundum gratiam, quæ gratis datur non meritis, obdurat aut secundum iudicium, quod meritis redditur. De massa quippe damnata facere vas in honorem indebita est gratia, facere autem ex eadem vas in contumeliā iustum est iudicium, Vnde & Apostolus reprobos vocat vasa iræ, in interitū apta. Si ergo Deus quemcunq; reprobat, iuste reprobat, quemcunq; aut prædestinat, pie & misericorditer prædestinat. Fuit igitur causa aliqua, propter quā Esau ipsum reprobauerit, quæ non videtur fuisse alia q̄ merita mala, vel saltem originale peccatum ipsius Esau. Videtur ergo reprobatiōis in præscito esse aliqua causa, vtpote vel originale vel actuale peccatū. Item alibi dicit August. Esau reprobatus fuit iudicio occultissimo, sed æquissimo. Est igitur aliqua causa licet occultissima, propter quam Deus ab æterno reprobauit Esau. Illa causa occultissima, vel est creata vel increata. In creata aut nō potest esse nisi diuinæ volūtatis beneplacitum, & cum hæc sit omnibus manifesta, nō de illa loquitur August. Est ergo aliqua occultissima causa creata in præscito præuisa propter quam Deus ab æterno illum reprobauerit & nō istum.

Apostolus Paulus prius blasphemus, persecutor & contumeliosus in Christū, dicit sese misericordiam consecutum, quia ignorans inquit feci in incredulitate. Ergo videtur ignorantia posse esse ratio qua attendit Deus prædestinet aliquem, condonans peccatum. Præterea constat iustorum precibus plerumque fieri, vt de duobus paruulis æquè indignis, alter regenerationis lauachrum & iustificationis gratiam assequatur. Alter verò iusto Dei iudicio deseratur. Nonnunq̄ etiam ex duobus adultis prorsus indignis videmus interdū iustorum precibus etiam magis indignum à peccatis liberari, & ita gratiam iustificancem consequi. Quæ nisi ita foret, fideles frustra orarēt, frustra q; admoneret scriptura, Orate pro inuicem vt saluemini. Videtur ergo deprecatio iustorum esse ratio aliqua donationis gratiæ iustificantis in altero, adhuc prorsus impio & damnato.

Constat grauioribus irretitis peccatis ob merita suorum peccatorum desereri à Deo, excacari, & indurari, ita vt nullam mereantur indulgentiā, ergo minoribus peccatis obnoxij videntur eligendi ob peccatorum tenuitatem, vel paucitatē, vt alijs desertis ipsi gratiam à Deo consequantur. Vnde August. Præcedit aliquid in peccatoribus quo quis nondū sint iustificati, digni tamen efficiuntur iustificatione. Præterea dicit propheta. Non audiuit populus meus vocem meam, & Israel nō intendit mihi. Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum, Ibunt in adinventionibus suis, &c. ergo inobedientia, contemptusq; diuinæ inspirationis videntur esse causæ ipsius effectus reprobatiōis, qui est dimitti secundum desideria cordis, vel desereri seu derelinqui. Et ita quod non omnibus æquè adsit gratia, videtur obuenire ob culpam humanæ voluntatis sese obduratis, & obstaculū gratiæ facientis. Et confirmatur tertio. Deus præuidens ex duobus æqualiter indignis, alterum futurum obedientem, & suæ salutis cooperaturum prædestinauit illum ad gratiam primam qua moueatur in vitam æternam, Alterum verò rebellem futurum reprobauit, deserens illum vt indignum gratia & regno cœlorum, deputans nihilominus eundem in æternam pœnam. Et hoc videtur insinuasse saluator cum de inuitatis ad cœnam magnam, parabolam contexit, dicens. Amen dico vobis,

b iij vobis,

Historia de Esau & Iacob Paulus secundum spiritum interpretatur.

Argumentum. 6.

Argumentum. 7.

vobis, Nemo virorum illorū qui vocati sunt, gustabit cenā meam. Ac si diceret, quia venire noluerunt, quod tamen habuerunt in sua potestate, vt dicit August. tractans eandem parabolam. Ex quibus consequi videtur, quod causa prædestinationis in prædestinato sit præuisa obedientia voluntatis in prædestinato. Reprobationis verò rebellio, & inobedientia in reprobato. Est igitur aliquid à liberis hominum voluntatibus futurum à Deo præuisum, propter quod prædestinati & reprobatī sint ab aeterno in diuina præscientia ab inuicem segregati.

*Obstaculū ar-
gumentū.*

Ex scripturis manifestum est in iustificatione impij adulti necessariū esse opus liberi arbitrij sese ad accipiendum gratiam iustificantem præparantis, & accommodantis dicente saluatore. Nisi penitentiam habueritis, omnes simul peribitis. Et iudeis interrogantibus Apostolos quidnā facerent. Penitentia, inquit Petrus, agite, & baptizetur &c. Et penitemini, & conuertimini vt deleantur peccata vestra. Et saluator Marci. i. Penitemini & credite euangelio. In quibus scripturis significatur ad iustificationem impij, concurrere motum liberi arbitrij à peccato in Deum ex fide resilientis. Vnde & Augustinus, Qui creauit te sine te, nō iustificabit te sine te. Ergo videtur quod in adultis Deus nō est sic totalis causa insulhoīs gratiæ, quin requiratur dispositio sita in voluntatis potestate. E diuerso, vt supra diximus, videtur Deus non esse causa carentiæ gratiæ in nobis, neq; appositionis eiusdē, sed neq; damnationis nostræ. Sed hæc omnia causam habent hominis malam volūtatem. Quemadmodum saluator dicit, Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & nolui. quasi diceret, Volui te inter electos meos cōgregare, volui tibi gratiam dare, sed nolui accipere. Ergo in libero arbitrio, præuisa obedientia, & rebellio videntur esse causæ motiue in Deo, cur ipse ab aeterno vnum ad primam gratiam prædestinauerit ac elegerit, alium verò reprobauerit. Præterea ad corroborationem horum, videtur facere argumentum Henrici Gandensis in quodlibetis. Ponitur inquam casus, quem tradit Augustinus de ciuitate Dei, de duobus iustis in equali charitate, equaliter tentatis, equaliter etiam adiutis, quorum alter cedens tentationi, in peccatū labitur, alter verò resistit, & in charitate perseverat. Secunda hunc casum dentur & duo equaliter indigni, & pares in omnibus equaliter videlicet vocati, æqualiter etiam ad penitentia intus tracti diuina inspiratione. Contingit alterū assentire, vel non repugnare diuina inspirationi, alterum verò contemnere eandem, non est dubium, quin perseveranti, & non cedenti tentationi, insuper & assentienti, & non contradicenti diuina inspirationi, amplior gratia apponitur. Ergo videtur, quod vsus liberi arbitrij, diuino adiutorio attracti, sit ratio quædam dispositiua, propter quam decens est & congruum, diuinam liberalitatem homini apponere gratiam vberiolem iustificantem videlicet, aut saltem abundantius adiuuantem. Hæc igitur & similia sunt, ex quibus consequens videtur, prædestinationem & reprobationem esse accipiendā secundum præscientiam operum bonorum vel malorum, & ita homines ab aeterno ad gratiā prædestinatos propter præuisa liberi arbitrij opera bona. Reprobatos autem propter præuisum abusum liberi arbitrij abutentis talentis naturæ aut gratiæ acceptis à Deo.

*De duobus æ-
qualiter tenta-
tis cur.*

*Argumenta pro
veritate & con-
traria sententiæ,
quibus proba-
tur Deus præ-
destinare aut
reprobare non
propter nullā
præuisā opera.*


Sed pro veritate & contraria sententiā, sunt scripturæ sacræ. Vnde dicitur ab Apostolo, Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum secundū propositū voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ. In quo etiā nos sorte vocati sumus, prædestinati secundū propositū eius, qui operatur omnia secundum consiliū voluntatis suæ, vt simus in laudem gloriæ eius, &c.

Item qui nos liberauit, & vocauit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam, &c. Idem quoque Paulus
Apostolus

Apostolus ad Romanos. 9. ostendens planè, & ex intentione demonstrās exemplo figuli, quod Deus ex eadem massa humani generis (vbi ab initio generationis humanæ, præueniēdo omnē gratiā, omnia mēbra sunt æqualiter in perditionis massa damnationi obnoxia) quosdam elegit & prædestinauit, nō ex operibus in ipsis, sed ex sua ipsius voluntate faciens illos vasa in honorē remittēs ipsis peccata, nō propter vlla eorū opera, sed ex sola sua clemētia. Et idcirco vocat eos vasa misericordiæ. Quosdam verò in eadē massa pro solius voluntatis suæ beneplacito, indurat, sinens eos vel peccare, vel habere peccatū, nō miserendo eorū, sed deserendo eos in originali, aut actuali peccato, vt videlicet ostēdat irā suā, & potētiā iustitiæ suæ. Docēt quoq; multipliciter scripturæ, non esse in hominibus merita, propter quæ Deus prædestinauerit eos, sed iustificari eos gratis, secundū beneplacitū Dei miserentis. Vnde dicitur, Saluū me fecit, quoniā voluit me. Pro nihilo saluos facies illos. Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suā misericordiā saluos nos fecit. Gratia saluati estis per fidem, & hoc nō ex vobis, Dei enim donū est, non ex operibus, vt ne quis gloriētur. Et vt dicitur ad Ephesios. i. Elegit nos ante mundi constitutionē, non quia futuri eramus sancti, sed vt essemus, inquit Apostolus, sancti & immaculati, & cę. Hoc est, ante mundi constitutionē proposuit segregare nos ex massa perditionis, & ex membris contumeliæ, facere nos membra in honorē, non propter vlla opera præuisa sibi placita. Præueniendo enim omnē Dei misericordiam & gratiā, non est in filiis ex Adam genitis vlla diuersitas, propter quam iste videretur segregāndus ex huiuscemodi massa, ille verò deserendus. Quemadmodū luculentissimè irrefragabilibus scripturæ testimonijs, docuit venerabilis pater Augustinus passim in libris cōtra Pelagianos. Et signanter in libro de prædestinatione sanctorū, & in libro ad Simplicianū. In cuius fine post longam disputationē resoluit suam doctrinā tali cōclusionē. In eligendis, inquit, hominibus ad gratiā salutarē si ad examen huius electionis aliqua cogitatione permittor, nihil habere possum quod intueor nisi vel maius ingeniū, vel pauciora & minora peccata, vel vtrumq; addamus etiam si placet honestas, vtilisq; doctrinas.

Quisquis ergo fuerit vel paucioribus, aut minoribus peccatis irretitus, & acer ingenio, aut honestæ vitæ disciplinis ex politus, eligendus videbitur ad gratiam. Sed cum hæc statuerō ita me ridebit, qui infirma mundi elegit, vt confundat fortia, & stulta mūdī, vt cōfundat sapientes. Nonne videmus, inquit, homines vtriūscue sexus in coniugali castitate viuentes sine querela, & tamen hæreticos vel paganos, vel etiam in vera fide & vera ecclesia sic tepidos vt eos miremur meretriciū & histrionum subito conuersorū, non solum temperantia & patientia, sed etiam fide, spe, & charitate superari. Hæc Augustinus. Minora ergo, vel pauciora peccata, non sunt ratio beneficiorum, quibus prædestinati segregantur à perditionis massa. Nam multos segregat Deus grauissimis oneratos peccatis, dimittis his, qui paucioribus sunt illaqueati. Deinde cur Deus, cuius sapientia omnia præuidet, non segregauit illum, qui grauioribus est illaqueatus peccatis in ætate illa, in qua pauciora habuit peccata, vtputa cum nullum adhuc haberet peccatum, præter originale, quemadmodum multos infantes, qui nihil propria voluntate peccauerunt, absque regenerationis lauachro tollit de medio. Alios verò, qui peccato originali multa graua crimina addidēre, ad regenerationis lauachrum nedum promouet, sed & rapit iam baptizatū, ne malitia mutet intellectum eius, aut ne ficitio decipiat animū illius. Erraret vehemēter qui diceret peccatores adultos, qui originali peccato graua crimina addiderūt esse minus indignos, propter propriū liberi arbitrij vsum. Infante autem nihil adhuc sua volūtate peccantē magis esse indignū, & ita hūc dignū, qui absq; gratia deseratur, illos verò dignos, q iustificētur.

Aliud



*Aliud capitulum, in quo pro solutionibus argumentorum
recitantur hareses & sententia.*

His præmissis superest ostendere prædestinationem esse, non propter vlla liberi arbitrij opera futura in prædestinato præuisa. Sciendum est igitur, quod prædestinationem habere causam in homine prædestinato, bifariam intelligi potest, ratione nominis causæ, & nihilominus bifariam ratione prædestinationis. Nam causa vno modo intelligitur, aut efficiens, seu producens id, cuius est causa, aut motiua inducens aliquem qui incipiat, aut velle, aut nolle aliquid. Alio modo causa potest intelligi, causa meritoria, non efficiens propriè effectum quem meretur, faciens tamen operantem dignum, cui talis effectus exhibeatur.

Prædestinatio similiter vno modo capitur, vt à verbo actiuo, significas actum in prædestinate. Altero modo, vt à verbo passiuo, vel passiuè, pro beneficijs prædestinato suo tempore exhibitis. Manifestum autem est, non esse in prædestinato vllam causam aut efficientem, aut motiuam, aut meritoriam actus prædestinatis, quod ille, vtpote inuariabilis, immensus, sempiternus, in Deo (apud quem non est transmutatio, neq; vicissitudinis obumbratio) nullam habere causam potest. Non enim est consultans quisquam, aut suadens, aut inducens Deum, vt scire, aut prædestinare incipiat, eligere, vel reprobare aliquid, quod neque voluit, neque sciuit, sed vnica, stabili, insuperabili, & immutabili volitione, quod nunc vult esse, hoc ab æterno voluit & sic, & hoc tempore esse.

Discutiendum ergo remanet, an in prædestinato sit aliquod opus præuisum diuinitus, quod sit aut meritum, aut ratio motiua obtinendi à Deo ipsius prædestinationis beneficia, id est dona quibus in præsentis vita præparatur ad gratiam salutarem, qua perueniat ad vitam æternam, ita videlicet quod Deus ab æterno voluerit totum prædestinationis effectum fieri, propter aliquam temporalem causam in prædestinato præuisam à libero arbitrio futuram, eiusdem effectus prædestinationis, aut meritoriam, aut dispositoriã seu præparatoriam. Quamuis enim Deo nihil possit esse causa volendi, Vult tamen ipse in rebus, quas administrat, vnã esse alterius aut causam, aut meritum seu rationem, aut præparationem seu dispositionem, quæ admodum scriptura dicit Dominum castigasse populum suum propter iniquitates illius. Et misericordiam vniciuique; facere secundum merita suorum operum, Aut sicut dicimus Deum velle sanitatem fieri propter ambulationem. Fuerunt hæretici qui dicerent effectus, seu beneficia prædestinationis diuinæ habere causam, bona quædam opera, antequam nasceremur in alia vita facta. Huius hæresis fuerunt Origenes, & sui sequaces, in secundo libro Periarchon, dicentes Deum ab initio omnes rationales creaturas simul creasse, æqualiter rationabiles liberiq; arbitrij. Omnem autem varietatem ac diuersitatem, quam videmus inter ipsas originem trahere ex libero arbitrio earum. Deum quoque dispensare in hac vita vniciuique; pro meritis operum, quæ gessit spiritus eius in præcedenti sæculo. Et ita Iacob dicunt dilectum esse pro meritis, quæ gessit spiritus eius antequam nasceretur in corpore. Esau vero habitum odio pro meritis malis, quæ gessit illius spiritus ante corpoream natiuitatem. Rursus dicunt. Quos Deus præsciuit tales futuros, qui Christo se conformarent, hos etiam etiam malam natiuitatem sint assequuti, prædestinavit ad gloriam futuri sæculi, ex qua rursus, si abutuntur libertate arbitrij, deiciendi sunt in hanc vitam reprobi, donec vel hic, vel in futuro semetipsos denuo purgauerint, facti vasa in honorem. Sed hanc hæresim, inquit Augustinus, destruit apostolus Paulus dicens de Iacob & Esau antequam nati essent, & antequam boni aliquid egissent, aut mali, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante. Dicitur est. Maior seruiet minori. Origenes autem vt huic obiectioni obuiaret interpretatus est Paulum apostolum dicentem, Antequam

Antequam nati essent in hac vita, & antequam boni, aut mali aliquid egissent, supple in hac vita. Et quia secundum eundem Apostolum non est iniustitia apud Deum, idcirco in eo quod secundum prouidentiam antequam nascuntur in hac vita maior suppletur in vtero, odio habetur, seruituti addicitur, minor vero in vtero supplantat, diligitur, & alteri præfertur, credendum est, inquit, Deum dispensasse ex præcedentis vitæ meritis hæc inter fratres diuersitatem. Satis autem vt arbitror disputatum est contra hanc hæresim per nos in libris alijs, nunc supponimus cum ecclesia Christiana, & indubitata fide tenemus animas rationales quotidie à Deo creari cum homines generantur. Vt autem in hac materia veritas amplius elucescat, recitabimus tres hæreses iam olim à catholica ecclesia damnatas. Nihilominus & vnã sententiam quorundam doctorum scholasticorum, quæ contraria videtur scripturæ & doctrinæ beati Augustini, quantum ad hanc materiam prædestinationis.

Prima est iam noua quorundam aduersariorum hæresis, asserentiũ nullum opus voluntatis esse causam meritoriam vllius effectus diuinæ prædestinationis. Dicunt enim, quia voluntas nullum opus bonum producit, quantumlibet etiam adiuta fuerit diuina gratia, sed habet se purè passiuè in omni opere bono. Hæc autem hæresis originem sumpsisse videtur ex reliquijs prauitatis hæreseos Manichæorum sacras noui testamenti scripturas perperam interpretatum. Contra quam prolixè fati egimus in libro de natura & gratia, ostendentes quod liberum hominis arbitrium sit causa bonorum operum adiuuante Deo effectiua.

Secunda hæresis fuit eorum, qui dixerunt bona opera in hac vita diuinitus præuisa vt à libero hominis arbitrio futura ante primam gratiam esse rationem seu meritoriam causam, propter quam Deus hominem prædestinauerit beneficiisq; gratuita prædestinationis suo tempore illi impendere decreuerit. Ista fuit Pelagianorum hæresis per ecclesiam damnata dicentium gratiam esse beneficium Dei conditoris, qui dedit liberi arbitrij potestatem, qua possemus bene agere, & non agere; ante gratiam rectè velle ac incipere bona, vt mereamur à Deo gratiæ dona, & hæc Deum ab æterno præuidisse. Ad hanc hæresim reducitur error aliorum qui non opera bona, sed fidem præuisam dixerunt esse rationem prædestinationis, in quo fuit Augu. ante episcopatum. Interpretado enim epistolam ad Romanos, dixit. Non elegit Deus opera cuiuscunq; in præscientia, quia opera bona ipse daturus est, sed fidem elegit in præscientia, vt quæ sibi crediturum esse præsciuit ipsum elegerit, cui prædestinationis beneficia daret, vt ex fide bona operando, vitam æternam consequatur. Verum hunc suum errorem retractat idem ipse Augustinus in libro retractationum, & in libro primo de prædestinatione sanctorum. Non putabam, inquit, fidem per Dei gratiam præueniri, nisi quia credere non possumus, si non esset Euangelium nobis prædicatum. Vt autem Euangelio prædicato assentiremus, arbitrabar nostrum esse proprium, & nobis esse ex nobis, opera autem bona esse Dei, qui creditibus spiritum sanctum largitur. Hunc meum errorem, inquit, nonnulla opuscula in dicant ante episcopatum scripta. Vnde primo retractationum, dicit se non intellexisse vtrunque tam fidem, quam opera bona dari per spiritum sanctum. Et ita vtrunque esse nostrum, quia non sit, nisi volentibus nobis, vtrunque etiam esse donum Dei misericorditer inspirantis fidem, qua credimus, & credentes rectè operamur.

Tertia fuit hæresis asserentiũ bonum vsum gratiæ dandæ vt à libero arbitrio futurum, & diuinitus præuisum, esse rationem meritoriam beneficiorum diuinæ prædestinationis. Quemadmodum si dux belli det equum militi, quem nouerit eodè bene vsurum, alioquin non daturus, vt equum mereatur eiusdem bono vsu præuiso. Ita Deus prædestinationis beneficia largitur, inquit, propter bonum vsum, his videlicet, quos nouit bene vsuros beneficijs gratiæ. Hic error explicatur in epistola Prosperi cuiusdam ad Augu-

Error Origenis

*Fides præuisa,
non est ratio præ-
destinationis.*

ad Augustinū dicentis, quod pro suo tempore de prædestinationis materia priorum doctorū penè omnium par, & vna inuenitur sententia, dicentium prædestinationem Dei secundum præscientiā eius esse recipiendam, vt propter hoc Deus alios vasa in honorē, alios vasa in contumeliam fecerit, quia finem vniuscuiusque præuiderit & præscierit sub ipso gratiæ adiutorio, in qua quisque voluntate, & vita futurus esset. Has etiā rationes conātur afferre in paruulis, vt inter eos ante discretionem boni & mali morientes, alijs regenerationis lauachrum assequi nō datur, quos diuina præsciētia præuiderit accipiendæ gratiæ fore abusores. Fuit proinde quorundam scholasticorū sententia dicētium, quod bonus vsus gratiæ dandæ, nō vt à gratia, sed vt à libero arbitrio prodiens ab æterno præuisus, potest esse ratio non meritoria, sed motiua, ac congruitatis, ob quam Deus ab æterno decreuerit dare huic prædestinationis beneficia, non illi. Vnde dicunt, quod Deus sua gratia primum mouet humanam voluntatem ad bonum, sic tamen suauiter, vt humana voluntas potest huic motioni resistere. Non videtur autē rationabile, quod Deus resistenti, & non resistenti æqualiter faueat, aut beneficiat. Sentit etiam venerabilis Bonauētura multas posse esse rationes cōgruitatis & decentiæ Deo notas, nobisque incognitas, propter quas Deus futura præuidens, eligit hunc vel illum ad prædestinationis beneficia, quāuis non sint vllæ rationes meritoria. Duobus enim, inquit, similibus demōstratis, multæ esse possunt rationes speciales, cur vnus iustificetur, alter deseratur, quāquam tales rationes nobis sint incertæ. Nam potest esse ratio congruitatis propter præuisionem bonorum operum, vt aliquo modo sunt à libero arbitrio. Potest, vt ait, illa esse ratio, potest & non esse illa, sed alia. Vnde in his sunt iudicia Dei occulta.

Ad hanc sententiam etiam se vertit Henricus Gandensis, dicens, bonum motum gratiæ aliquo modo esse à libero arbitrio, quo non est à gratia, quia liberum arbitrium cooperatur gratiæ. Adiuuatur enim liberum arbitrium à Deo, non vt nihil agat, sed vt liberè & spontaneè aliquid faciat, vocabulo ipso adiuuari significatur, quod is qui adiuuatur, aliquid etiam operetur.

Vt autem valeamus in huiusmodi materia secundum verā, indubitatam, & catholicam fidem, veritatem attingere, Præmittendæ sunt quatuor propositiones, quarum prima erit contra hæresim primā, secunda contra secundam, tertia contra tertiam, quarta vero pro sincero intellectu sententiæ quartæ.

Prima propositio. In homine iustificato multa sunt bona volūtatis opera, vnius aut alterius particularis effectus prædestinationis meritoria, quorum & voluntas humana est causa productiua, sed nō sunt in eo vlla opera totius effectus prædestinationis meritoria.

Hæc propositio ex superioribus erit manifestior, si cōsideremus esse effectus multiplices diuinę prædestinationis, id est, diuinę voluntatis prædestinātis, quales sunt vocari, iustificari, credere, diligere, recte viuere, & vita æterna, quorum effectū quosdā operatur Deus in nobis sine nobis, quosdā vero cooperātibus nobis. Iustificari enim & vocari, nullum habent humanæ voluntatis meritū, multipliciter id scriptura attestāte. Vnde Apostolus, Iustificati gratis per gratiā ipsius. Item, Vocauit nos vocatione sua sancta, nō secundum opera nostra. Item, Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suā misericordiam saluos nos fecit. Nouissimus verò prædestinationis effectus, causam habet in nobis meritoriam, is nempe in scripturis sanctis dicitur corona iustitiæ, merces operū, denarius diurnus, brauiū, palma certaminis. Insuper & eadem scriptura dicit Deum reddere & tribuere vnicuique secundum opera, & secundū merita operū eius. Meretur igitur iustus iustitiæ coronā, vt palmā certaminis, vt mercedē operū, denariūue diurnū, & hoc per bona opera, quæ quāuis sint vitæ æternæ meritoria, nihilominus tamē ipsa vita

ipsa vita æterna gratia est, quia & ipsa opera meritoria, quibus vitā mereamur æternam, Dei sunt dona, & ex Dei gratia, dicēte Apost. Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona volūtate. Non quidē, quasi Deus operetur motū voluntatis bonū, aut opus bonū in nobis sine nobis, operatur nempe ea in nobis, cooperātibus nobis. Vnde dicit per Prophetā, Ego faciā, vt vos faciatis. Euidenter itaq; consequitur, Gratia facit, vt nos faciamus, ergo nos aliquid facimus. Si etiam Deus facit nos rectē velle, & bona facere ex libera volūtate, sequitur quod nos rectē volumus & facimus bene ex libera & spontanea volūtate. Ita superioribus libris ex irrefragabilib⁹ sacre scripture testimonijs, satis (vt æstimo) declarauimus. Sint ergo illic lecta, veluti cōtra hæc Lutherānā hæresim hoc in loco descripta.

Secundum catholicam fidem, creatura rationalis ex Adam propagata, nascitur Deo inimica, vinculo damnationis obstricta, à qua damnatione & inimicitia nemo liberatur, nisi ex Dei misericordie gratuita misericordia. Proinde & ante primā gratiā, nullū facit homo opus bonū, beneficij gratiæ meritiū. Hæc propositio secundū omnes suas partes, in superioribus similiter est declarata ex scripturis dicentibus, Initiū salutis esse nō ex nobis, sed ex Deo, qui dicitur iustificare hominē gratis, gratis quoque liberare, non ex vllō præcedentium operū merito. Non enim possunt esse opera iustitiæ, nisi quæ procedūt ex fide saluatoris, ex cuius merito & voluntaria morte pædet omnis nostra iustitia. Deus sine vllis præcedētibus meritis, cuius vult, inquit Paulus, miseretur, & quē vult indurat. Quē dignatur vocat, & quem vult, inquit Ambro. religiosum facit. Sunt quidem multa iustorū merita, inquit Augustinus, sed vt iusti fierent nulla sunt merita, nec ob id est personarum acceptor Deus, quod ex vna eademque massa, damnationi videlicet obnoxia, liberat istum, deserit illum, cum iustū sit vtrunq; deferi. Agat igitur gratias saluatori quisquis liberatur, quia nō meriti prærogatiua, nō fati necessitate, non temeritate fortunæ, sed altitudine diuitiarū incomprehensibilis sapiētiae & scientiæ Dei, iste saluandus liberatur, ille relinquitur damnandus, habētibus vtrisque; similem damnationis causam, quod in paruulis lucet manifestius. Constat enim vnā & eandem damnationis causam habere omnes paruulos, hæreditariū malum ex Adam trahentes, & tamē vni subuenit baptisma, alteri minime. Nec recurrere est ad parentum vel merita, vel negligentia, tanquā ad causam vniuersalem, quia hoc esset de incertis diuinare, atque iudicium, quod vires nostras excedat, vlturpare.

Videmus enim nonnūquam festinātibus & parentibus & ministris, vt paruulo baptisimus detur, nec tamen dari, Deo deserente paruulum, quē priuat corporali vita anteq̄ regenerationis lauachrū cōsequatur. Videmus præterea interdū Deū gratia regenerationis subuenire filijs infidelium, ac scortatorū, aut meretricū, sanctorum verò parentū interdum filios sine baptismo relinquere. In his tamē nulla fati necessitas, nulla fortunæ temeritas, nulla personæ dignitas est attendenda, sed tantum diuinę iustitię ac misericordię alta profunditas pensanda. Vnde Augustinus. Quemadmodum in paruulis qui originali peccato nullum aliud addiderunt, non est vlla in accipiendā gratia voluntas, cuius meritū præcesserit, vt baptizentur. Alioquin gratia iam non esset gratia. Ita in peccatoribus adultis, qui originali peccato alia peccata addiderunt, nulla est in accipiendā gratia voluntas præuia, cuius meritum præcesserit vt digni sint iustificari.

Quod si hic diuinates dixerimus Deum præscire vniuscuiusque; hominis futurā obedientiam, ac perseuerantiā & illius merito hominē ab æterno prædestinari ad gratiæ beneficia. Hoc statuto, & concessio, Cur ergo Deus quibusdam præstitit vt Euangelium audirent, quos tamen non credituros præsciuit, alijs verò non dedit, qui audientes credidissent. Quemadmodum de Tyro & Sydone dicit saluator.

Si in

Secunda propositio.

De gratia paruulorum.

Obedientia hominis præuisa non est prædestinationis ratio.

Si in Tyro & Sydona factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent. Insuper quare alijs cōceditur ex huius vitæ periculis rapi ne malitia mutet intellectum eorū, aut ne fictio deciperet animam illorum. Alijs vero iustis, & iustificatis in eisdem periculis relictis donec à iustitia cadant? In istis oportet vt cum Apostolo dicamus. Quis cognouit sensum Domini? & cætera. Patet ergo falsam, & hæreticam Pelagianorum esse sententiã, qua afferunt Deum præscire, qualis quisq; futurus sit per liberum arbitrium voluntatis; atque secundum meritum liberi arbitrij, aut bonū, aut malum prædestinare homines ad gratiæ beneficia, vel reprobare ad pœnæ supplicia.

Consimiliter erroneū inuenitur dicere Deum in sua præsciētia elegisse fidem, quam præuidit futurã, vt videlicet quem sibi crediturū præsciuit, illum propter voluntatē credendi prædestinauerit ad gratiæ beneficia. Aut quæadmodum dicūt Pelagiani Deū præuidisse eos, qui viribus liberi arbitrij ex semetipsis essent credituri, & hoc quidem ante mundi constitutionē. Rectē quidē senserunt Deū in sua præsciētia elegisse fidem eorū qui erāt credituri. Verū quod tales sic elegerit quatenus illos adhuc incredulos faceret fideles, intelligere noluerūt. Errauerūt proinde, quia & fides gratis datur à Deo, vt sit principium meritorium. Fides enim nisi data fuerit, homo orare non potest, dicente Apostolo, Quomodo inuocabunt in quem non crediderūt? Item, Quid oremus sicut oportet nescimus. Sicut oportet intelligendum est, videlicet ad obtinendam remissionē peccatorū, aut regnū cælorum. Cum igitur constet initium meritorium, fidem scilicet, dari dēsuper, nullo modo tribuēda est humano arbitrio, aut quibusuis meritis præcedentibus. Vnde euidentis sit, quod nihil meriti habet homo ante fidem, quã nec à se potest habere, sed à Deo solo inspiratur, quīs ipse motus fidei sit actus liberi arbitrij. Vnde Augustinus. Fidem esse donū Dei quibusdam datum, quibusdam non datum, nemo dubitat, qui nō manifestissimis vult scripturæ testimonijs cōtradecere. Sed de his latius in alijs libris tractauimus, ideo ibi dicta contra hanc hæresim hic repetere superfluum duximus. Patet præterea ex supra dictis, quod causa prædestinationis non est vlla in Deo necessitas aut debitum, nec vllum in prædestinato meritum, quia prædestinavit nos, inquit Apostolus, secundum propositum voluntatis suæ. Ad finem vt agnoscētes gratiam nobis factam laudemus, & glorificemus gratiam bonitatis eius. Vnde ait, In laudem gloriæ gratiæ eius.

Scire etiam oportet geminã esse causam beneficij prædestinationis. Vna est efficiens, quæ est ipsa Dei voluntas, pro qua dicit Apostolus, Secundum propositum voluntatis suæ. Altera finalis quã innuit dicens, In laudē gloriæ gratiæ eius, non in laudem nostræ iustitiæ, quia vbi iustitia habet locū, vbi reperitur debitū. Finem autem operatur Deus nō propter aliquod bonū sibi adipiscendum, cum ipse bonorū nostrorū nō egeat, sed propter bonū aliquod alteri cōmunicandum, quemadmodum medicus medicinã parat propter sanitatem non sibi, sed alteri procurandū. Sed quæri potest, Quæ laus erit gloriæ & gratiæ Dei alios gratificare, alios reprobare secū dum nudum voluntatis beneplacitū, exempli causa, Quæ laus erit gloriæ diuinæ gratiæ in eo, quod Esau odio habuit priusquam digna odio perpetraret, nisi dicatur mala opera præuisa in eo fuisse quæ facturus erat propria voluntate, cum naturam quam condidit non odierit Deus, dicente sapiente, Diliges omnia quæ sunt, & nihil eorū odisti, quæ fecisti. Sed horum facilis erit solutio, si dicta Apostoli cōstantur. Cum enim dixisset Apostolus, Qui prædestinavit nos in adoptionē filiorū per Iesum Christum in ipsum secū dum propositū voluntatis suæ in laudē gloriæ gratiæ suæ, statim subiunxit, In qua gratificauit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionē per sanguinē eius, remissionē peccatorū.

Ex quibus

Ex quibus liquet, nos gratificatione, redemptione, atque peccatorum remissione indigere in laudem gloriæ gratiæ suæ. Quam gratiam nemo rectē agnoscit, qui non recognouerit se aut esse, aut fuisse Deo inimicum, & captiuum, & peccatorem, egerēque se remissione peccatorum, non quidem in alia vita admissorum, nec eius solius quod propria voluntate in hac vita commissum est, sed & illius, in quo conceptus natusque est, ita vt cum propheta humiliter dicat. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. De odio verò Esau dicit Augustinus, Deum odio habuisse, non Esau hominē, sed Esau peccatorem, hoc est peccatum, quod ipse non condidit. Bonus vsus gratiæ dandæ, cum sit prædestinationis effectus, nō potest esse ratio meritoria totius effectus prædestinationis. Hanc propositionem multis scripturæ testimonijs probat Augustinus in libro de prædestinatione sanctorum, asserens & concludens, quod Deus non prædestinauerit hominē propter vlla merita aut præterita, aut futura præscita in homine prædestinato. Elegit nos, inquit Apostolus, ante mundi constitutionem, vt essemus sancti. Super quo Augustinus. Elegit nos, non quia fueramus sancti, aut quia futuri eramus sancti, sed vt essemus sancti, elegit, id est, prædestinavit nos à massa dānationis esse separandos. Similiter saluator, Ego posui vos vt eatis, & fructum afferatis. Non dicit. Elegi vos quia fructum eratis allaturi, sed dicit elegi vos vt fructum afferatis, & hoc significauit Apostolus dicens, quia prædestinavit nos gratis secundum beneplacitum voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ. Sciendum etiam quod bene vti gratia danda non est aliud, quàm ex ipsa suo tempore bene operari. Hoc autem tale est quod non possit homo à semetipso habere, sed à prædestinatione diuina. Ex quo concluditur, quod bonus vsus gratiæ dandæ non potest esse ratio prædestinationis diuinæ, quia inter effectus prædestinationis deputatur. Sciendum etiam quod totus prædestinationis effectus ad aliquem particularem hominem applicatus complectitur rationes temporales motiuas, dispositiones præparatorias, rationesque meritorias in Dei præsciētia, quorum vnum alterius potest esse causa, quibus stantibus non concurrat ratio, quare Deus huiusmodi causas earumque effectus huic magis quàm illi applicare decreuerit. Sed de his etiam plura dicta sunt in libro de diuina prouidentia scripturis sacris conformia.

Omnis liberi arbitrij vsus destinatus à Deo, vt medium quoddam efficax aut meritorium, aut præparatorium ad assequendum finalis iustificationis gratiam, est quidam ipsius diuinæ prædestinationis effectus. Patet ex descriptione prædestinationis præmissa, quia sine gratia nemo bene vtitur libero arbitrio. Ex hac propositione sequitur bonus vsus gratiæ siue excitantis siue gratificantis, vt à libero prodies arbitrio nō potest esse ratio motiua diuinæ prædestinationis. Alioquin oporteret in operatione bona distinguere inter illud quod à gratia, & id quod ex libero arbitrio fit, cū tamen totū opus est à Deo totumque à libero arbitrio. Et ita totum meritum nostrum est à gratia, & totum per liberum arbitrium, vt docet venerabilis Bernardus. Notandum tamē, quod liberum arbitriū hominis non vtitur gratia, id est gratuita motione diuina, perinde atque scriptor vtitur calamo. Mouet quippe scriptor calamum, non calamus scriptorem ad scripturæ opus, liberum autē arbitrium præueniens, non Deum mouet in opus bonum, sed contrā Deus vtitur illo, vt instrumentum in ipso, impetus affectionum, cogitationumque producens, faciens nihilominus illud mouere mēbra in opus, non quidem coacta necessitate, sed libera & spontanea voluntate. Habet itaque Deus sese in operibus, veluti is qui languidum in via ducit dirigitque. Vnde & diuina directio effectus est prædestinationis, qua ex Dei intētionē sic mouetur liberū hominis

Propositio
tertia.

Bonus vsus gratiæ dandæ non est prædestinationis causa.

Propositio
quarta.

Vnū est idē opus totum est à gratia, & totū à libero arbitrio.

Sine fide orare
sicut oportet,
nemo potest.

arbitrium qualiter aptum reddatur obedire ad assecutionem gratiæ finalis iustificationis.

Sciendum præterea quòd bonus vsus liberi arbitrij ex diuina prouidentia ordinatus, & excitatus, vt præparatorius ad gratiam iustificationis est aliquo modo à libero arbitrio quo non est gratia gratum faciente, licet non sit à libero arbitrio eo modo, quo non est à gratia prædestinationis. Quia nullus liberi arbitrij vsus ex diuina ordinatione destinatur ad iustificationis gratiam, nisi Deo inuis vocante, & excitante, vt voluntas hominis præparetur. Potest itaque aliqua esse ratio motiua à Deo ab æterno præuisa, propter quam Deus hunc & non illum ad iustificationis gratiam vel ad alium particularem effectum elegerit, quam non possit esse ratio motiua propter quam Deus hunc, & non illum prædestinauerit. Quatenus autem hæc quæ in superioribus diximus fiant dilucidiora, tres ex his colligemus conclusiones. Prima. Inter prædestinatos, & reprobos ab initio nulla est meritorum distinctio, nulla inter eos diuersitas, propter quam iste prædestinetur, vt ex massa perditionis discernatur, ac eligatur, fiatque vas in honorem. Alius verò reprobetur, vt reijciatur, ac deseratur, maneatque ex carnali natiuitate vas in contumeliam. Veruntamen voluntas ista, secundum quam Deus quosdam ex humano genere prædestinavit alijs reprobatis, neque irrationalis est, neque iniqua.

Huius conclusionis vtraque pars, & si ex supradictis satis probata videatur, vt tamen veritas clarius elucescat, vtramque probandam decreuimus ex sententia beati Pauli Apostoli. Ipse enim ad Romanos capite nono vtrumque videlicet tam misericordiam, quam indurationem diuinæ tribuit voluntati, dicens. Deus cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Considerandæ igitur sunt Apostoli sententiæ, ex quibus ad id quod præmissum est, concludendum deuenit. Non omnis, inquit, qui ex circumcissione sunt Israel, hi sunt Israelitæ neque qui semen sunt Abraham omnes filij, quibus facta est promissio, sed qui in Isaac & Iacob siue Israel designantur. Nam veri Abraham filij sunt, non qui filij carnis, sed qui filij sunt promissionis, quos videlicet non voluntas carnis aut sanguinis, sed Dei virtus gignit, per fidem talem, qualem habuit Abraham. Denique qui tales sunt, qualis fuit Isaac ex Sara, & Iacob ex Rebecca, quos Dei virtus, & electio, veros fecit Abraham filios, non ipsa carnis propagatio, aut sanguinis propinquitas, sed neque circumcisio, neque legis obseruatio. Quod factò declarauit Deus in Rebecca ex vno concubitu concipiète geminos, Iacob videlicet & Esau, de quibus antequam nati essent egissentque; quicquam boni aut mali, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, maior seruiet minori. Sicut scriptum est. Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Ac si dicatur, non sanguinis propinquitas, non viri voluntas, non carnis natiuitas, non legis obseruatio, sed Dei vocantis, & miserentis electio discreuit hos geminos, faciens Iacob verum Israelitam, verum Abraham filium, non quòd ex carnali natiuitate, seu sanguinis origine, sed neque operum meritis ab initio magis dignus fuerit quam Esau. Quia neque Esau ab initio fuit magis indignus, quam Iacob. Et ideo neque Iacob propter maiorem dignitatem electus est, neque Esau propter maiorem indignitatem fratris seruituti subiectus est. Quòd si videatur cuiuspiam propter præuisa in Iacob opera bona, bonam voluntatem, & bonum cursum futurum, Iacob esse electum, Esau verò propter præuisa opera mala, odio habitum, Huic contradicit Apostolus, Non ex operibus, inquit, sed ex vocante Deo dictum est, Maior seruiet minori. Super quo Augustinus, Si futura, inquit, opera, vel bona huius, vel mala illius, Apostolus vellet intelligi, nequaquam diceret,

Non ex

Non ex operibus, sed diceret, Ex futuris operibus. Esetque hoc modo soluta quæstio, neque ad eam soluendam, ad hoc veniret, vt diceret quod sequitur. O homo tu quis es? qui respondeas Deo, an non habet potestatem figulus luti ex eadē massa, facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam. Manet igitur secundum electionem propositum Dei in discernendis filiis promissionis à cæteris, vt filij sint cælestis regni, vasque in honorem, quales tamen non facit humana voluntas, sed gratia Dei præuenientis, & facientis eos cælestes ex carnalibus, & voluntariè credere, bene velle, & bene currere, ex proprijs ipsorum volutatibus, quatenus supernæ vocationis brauium apprehendant. Nec tamē est iniquitas apud Deum, licet faciat vni misericordiam, largiendo gratiam in debitam: Alteri verò, & si non magis indigno eam negado, aut deserendo illique pœnam commertam reddendo. Vbi enim concurrunt misericordia & iustitia, ibi nulli fit iniuria. Et hæc conformia sunt doctrinæ Apost. quæstionem in hac materia proponentis atque soluentis, posito quòd non ex operibus, sed ex Dei volutate, electione, virtute, & odio, vel reprobatione pendeat, quòd quispiam sit, aut factus vas in honorem, aut factus vas in contumeliam derelictus à Deo. Interrogat Apost. Quid ergo dicemus? Erit ne iniquitas apud Deum? Erit ne Deus iniustus, aut certe personarum acceptor? Absit, inquit. Moyse enim dixit Deus, Miserebor cui misertus sum, & misericordiam præstabo cui miserebor. Ac si diceret, Misericordiæ beneficium præstabo, cui ab æterno misertus sum, prædestinado illum in adoptionis filium, pro quo habetur in Exod. vnde translatus præmissum verbū est ab Apost. Miserebor cui volueris, & clemēs ero in quē mihi placuerit. Iniquē ergo non agit Deus, quia misericorditer facit. Nemo eū cui misericordia impeditur à miseria alienū, aut miserū esse negauerit. Quapropter cōcludit Apost. in hūc modū omnibus obiectionibus occurrēs. Igitur non volentis, neque currētis, sed miserentis est Dei, quasi dicat, Asserui clementiā, liberari à miseria, in filiū promissionis eligi, vocari, & æstimari in semine Abraham, fieri extra seruitutē peccati, verumque Israelitam, non est volentis hominis, sed Dei miserentis, præuenientis, vocantis, & segregantis in euangelium Christi per spiritū fidei, quæ gratuitum Dei donum est. Nihil insuper prohibet illud Apost. Non est volentis neque currentis, sed miserentis est Dei referri ad id, quod alibi idem Apost. dicit, Deus est qui operatur in vobis, & velle, & perficere pro bona voluntate. Quia nos non facimus, vt incipiamus bene velle & bene currere, cum nos minime faciamus nos iustos vel bonos, sed Deus est qui iustificat. Recte ergo consequitur, quòd bene velle, bene currere, & bene operari non est volentis, sed Dei miserentis. Quod non sic accipiendum est, quasi bene velle, bene currere, non sint opera humane volutatis, sed quæ humana voluntas talia non exequatur, nisi Deus misereatur, suaque virtute præueniat, quos iustificat saluos eos faciens per fidem in Iesum dirumpēs peccatorum vincula, quibus colligati, neque recte ambulare, & currere poterant, neque opera facere vlla Deo grata. Patet ex præmissis, quia non agit iniquē Deus, si cuius vult miseretur, sed neque iniquē agit, si quē odit, indurat, aut deserat. Quod manifestè probat Apost. de Pharaone. Dicit enim (inquit) scriptura Pharaoni, Quia in hoc ipsum excitavi te, vt ostēdam in te virtutem meam, & annuntietur nomen meum in vniuersa terra, Ac si diceret, te Pharaonem idcirco posui, qui es vas iræ, vt in te ostēda mea iustitia illustretur potentia meæ gratia. Sed iam vbi iustitia est, nulla fit iniuria, sed neque vbi misericordia in debita negatur, iniustitia reperitur. Concludit Apost. ita dicens, Ergo cuius vult, supple Deus, miseretur, & quē vult indurat. Obijciat fortassis aliquis dicens. Si Apostolus tam indurare quam misereri tribuit voluntati diuinæ, consequens videtur, vt quemadmodum dicit, Non est volentis, neque

Quævis humana voluntas non facit vas in honorem. vtrique tamen cooperatur voluntariè credens.

Non est volentis neque currentis.

Deus pro sua voluntate miseretur, aut indurat, non agit irrationaliter.

c ij curren

Tam induratio quam misertio diuinæ tribuitur voluntati.

currentis, sed Dei miserentis, ita rectè dicatur, non est volentis neque currentis, sed Dei indurantis. Fateor quanquam durè dicatur quòd hoc ex verbis Apostolicis consequi videatur. Si enim Deus què vult indurat, Videtur quòd indurari nò sit volentis hominis, sed Dei indurantis. Verum id quidè si intelligatur Deus indurare non malitiam voluntati impartiendo, sed deserendo & misericordiam, aut gratià nò apponendo. De priori parte sententię, qua dicitur, Cuius vult miseretur, nullus, nisi qui indignus est gratia, turbatur vel scandalizatur. Nam verus Christicola gratò accipit animo diuina misericordia, si extollatur, si commendatur. Verù ex posteriore Apostolicę sententię parte, qua dicitur, Què vult indurat, paululum infirmitas humanę mētis confunditur, dicit enim infirmus quisq; apud se. Quid conqueritur Deus de homine peccatè: quid arguit, aut reprehēdit peccantem? Voluntati enim eius quis resistit? Horù infirmorù contradictionem sibi ipsi Apostolus, velut ab altero proposità opposuit, & idè talibus cū Apost. respondere cōuenit. O homo tu quis es, qui respōdeas Deo. Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic? neq; enim melius quicquā inuenire possimus quod dicamus. Apostolus itaq; in spiritu pręuidēs homines futuros, qui vel ex cōmendatione misericordię & iustitię Dei, vel qui ex eo de quo cōmendandi misericordiã & iustitiã Dei occasione accipere debuerant, incitarentur ad reiiciendas suas culpas nò in se, sed in optimū Deū, Cuius, vt inquit, volūtati nemo resistere potest. Huiusmodi cogitationibus mox occurrit. Primum reprimens eorum hominū arrogantia, qui cum sint puluis & cinis, tamen cū Deo creatore disceptare, vel pręsumunt, vel nò verentur. Insuper & exemplo declarans, nos esse in manu Dei, sicut lutū est in manu figuli. Ex quibus consequitur dignitatē illam qua quisq; efficitur vas in honorē, & regni cęlestis filius esse op⁹ Dei, pendereq; ex illius gratia, etiã si nulla foret in massa humani generis immunditia. Et idè dicit Apost. O homo tu quis es, qui respōdeas Deo. Ac si manifestius dicat. Tu homo, id est, de humo & vili luto formatus, lēgè inferior cōparatione cū Deo quàm lutū cum figulo artifice cōferendus. Qua ratione pręsumis cum Deo cōtendere? an nò habet potestatem figulus luti ex eadē massa facere vas aliud in honorē, aliud in cōtumeliam? Etiam si natura humana nò esset per Adę peccatum vitiatā, ita quòd mala, quę nunc patimur, videlicet labor, & mors, cęteraq; difficultates, cōditiones forent nature primitus institutę, & ex tali massa Deus aliquos assumeret in filios regni sui, cęteris & innocentibus vel absque culpa exclusis, aut vilioribus vsibus deputatis, nec sic tamen iusta esset hominis contra Deum querimonia nec ei posset dicere, Cur ita facis? Quia valde multum beneficij pręstitit Deus, dans vitam creansque substantiam naturalis esse. Et idè vitam æternam, quę est supernaturale bonum, ac perinde naturę humanę indebitum, non iniuste negare posset, dare autem non nisi ex gratia. Verum Deus miserator & iustus noluit talè humano generi ordinè instituere, statuens misericorditer hominē ab initio immortalē, purū, & mūdum, cui denique decreuit, aut poenam, afflictionemue inferre, sed nò nisi ob culpam, qua admissa homo per suam inobedientiam peccatum & mortem incurrit, ipsaque ad posteros, id est, totum humanum genus, cuius ipse est principiū, transmisit. Ita quòd humanum genus exinde habeatur velut lutū immundū, & æternę damnationi obnoxium, quam fise exegerit, siue intulerit diuina iustitia, siue etiã donauerit aut remiserit, nulla est iniquitas apud Deum. Firma igitur fide totaque mente tanquam Christianę fidei documentum credendum est, quòd nemo ex filiis Adę nisi miserente Deo saluatur. Nemo nisi æquissima eius exigente iustitia propter originale peccatum, aut actuale damnatur. Vas ergo quod in honorem fit, tale fit per misericordiam,

ricordiam, quod verò fit in contumeliam, tale fit per iustitiam, vtrobique diuina æquitate salua. Et idè non est specialis exigenda ratio cur ex massa iusto iudicio damnationi obnoxia hunc potius quàm illum prædestinauerit, quia ista massa, vt inquit Augustinus, si ita esset media, vt quemadmodum nihil boni ita nec mali aliquid mereretur, non frustra videretur iniquitas, vt ex eo fierent vasa in cōtumeliam. Iam verò cum per liberū arbitrium primi hominis vitiatā in damnationem vniuersa defluerit, quòd ex eo fiant vasa in contumeliam non iniquitati in Deo, sed diuine iustitię deputetur, & ita dicamus cum sancto propheta, Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine, misericordia tua ante oculos meos, & complacui in veritate tua. Misericordia Dei est qua gratiam parat indignis. Veritas, qua corrigit indignos. Patet igitur quòd sicut figulus nò est iniquus ex eodem luto formans vas, aliud ad vsū honestum, aliud verò ad vsū vilem, ita neque Deus iniquus est dicendus, faciens ex eadem massa humani generis vas aliud in honorem per misericordiam, aliud in contumeliã per iustitiam. Omnes homines, inquit Ecclesiasticus de solo sunt & ex terra sunt, de qua Adam creatus est, ex ipsis benedixit, & exaltauit, ex ipsis maledixit & humiliavit. Quasi enim lutum figuli in manu ipsius plasmare illud & disponere. Omnes vię eius secundum dispositionem eius. Sic homo in manu eius qui se fecit, & reddet illi secundum iudicium suum. Et apud Ieremiam, Sic vt lutum in manu figuli, ita & vos in manu mea dicit Dominus. Sciendum quòd Paulus Apostolus volens ostendere culpam non esse in Deum reiiciendam, sed neque voluntatem Dei in eligendo aut reiiciendo homines fore irrationabilem post ea quę præmissa sunt subdit. Quòd si Deus volens ostendere iram & notam facere potentiam suam sustinuit in multa patientia vasa irę apta in interitum, designata in Esau, vt ostenderet diuitias glorię suę in vasa misericordię designata in Isaac & Iacob, quę præparauit in gloriam, quos vocauit non solum ex Iudæis, sed etiam ex gentibus, & reliqua. Ex quibus sanè verborum contextibus sensus Apostoli non consurgit perfectus, nisi teneatur sententia suspensa vsque ad hoc quod post multa adiecit. Quid ergo dicemus ad hæc? vel nisi subaudiatur, quod præmiserat. Quid adhuc queritur? Quasi dicat nihil iustę querelę potest esse contra Deum aut ex iudicio iustitię, aut ex iudicio misericordię rationabiliter agentē. Ex iudicio quidè iustitię in vasa contumeliã. Ex iudicio verò misericordię in vasa præparata in gloriam.

Ex his ergo omnibus ne putaretur sublata, aut coacta esse hominis, aut culpa, aut voluntas, si caudam capituli cum capite iungas, videbis Apostolum Paulum ibidem statuere etiam culpam hominis euenire per liberam hominis voluntatem, Quos, inquit, vocauit per misericordiam suam, nò solum ex Iudæis, sed etiam ex gentibus. Quę sanè gentes, & si non sectabantur iustitiam, apprehenderūt tamen illam, iustitiam scilicet quę ex fide est, Israel verò sectando legem iustitię, ignorans iustitiam, quę ex fide est lesu, in legem iustitię non peruenit. Quare? quia non ex fide, sed quasi ex operibus. Offenderūt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est. Ecce pono in Sion lapidem offensionis, &c. Cum audis vocantem, Deum intellige nò cogentē, non fatali necessitate imperantem, sed inuitantem. Cum audis gentes, quę non sectabantur iustitiam apprehendisse iustitiam intellige, quia non suis operibus nisi, voluerunt iustificari, sed ex fide credentes in cum qui iustificat. Iudæos verò qui sectabatur legē iustitię non peruenisse ad iustitiã, quia quasi ex operibus volētes iustificari offenderūt in lapidē offensionis, intelligas ergo vtriusq; libera & nò coacta fuisse volūtatis opera, aut bona, aut mala. Bona quidem, veluti ex fide credere, & inuocare nomē Domini, sed voluntatem hominis ad bona opera præparari ex vocantis seu inuitantis Dei gratia.

Sicut lutum in manu figuli ita nos in manu Dei.

Ex Apostolo demonstratur culpa hominis esse ex libero voluntatis arbitrio.

Vita æterna ex gratia est, cui si perseverauerit homo in sua innocentia absque peccato.

Perpicuum est igitur diuinam voluntatem in prædestinando aut reprobando, neque iniquam esse, neque irrationabilem, siue in vocandis hominibus ad primam gratiam, siue in coronandis illis corona æterna gloria, siue in deserendis illis in massa perditionis. Cum ad gloriã suã vel iustitiã, vel misericordiã sit quicquid erga prædestinatos vel reprobatos facit. Quod si Deus omnes relinqueret ad pœnam, non appareret sic miserentis gratia. Rursus si omnes de tenebris ad lucem transferret, non sic foret manifesta vltionis, aut iustitiã seueritas. Quare autem erga hunc iudicium iustitiã, erga illum autem iudicium misericordiã exercent, noli velle inuestigare, ait Augustinus, si non vis errare. Tibi enim responderet Apostolus dicens. Quis cognouit sensum domini, aut quis consiliarius eius fuit? & iterum. O altitudo diuitiarum sapientiã & scientiã Dei, quã in comprehensibilia sunt iudicia eius, &c. Hoc vnum ergo necessarium est, vt agnoscas te filium mortis, Deum autem esse iustũ & bonum, qui & operatur secundum æquissimum iudicium sapientiã suã, nobis quidem incomprehensibilis. Ex his igitur studiosus quisque poterit considerare quã iusta ratione Paulus apostolus prædestinatos appellat vasa misericordiã, vasa præparata ad gloriã, vasa gratiã & honoris, plebem misericordiam consequutam, populum Dei electum, & vocatum per gratiam Dei miserentis, filios promissionis, seu adoptionis secundum propositum Dei, operantis omnia in laudem, & gloriã gratiã suã. Reprobatos vero appellat vasa contumeliã, vasa iustitiã, vasa irã, vasa apta in interitum, inimicos Dei deserentis seu reprobantis illos in laudem, & gloriã iustitiã suã. Quaque verum sese vertat humana temeritas, siue contra Dei gratiã, siue ad humanã voluntatis innocentiam, siue in diuinẽ bonitatis, ac iustitiẽ calumniam, habebit sibi obuium Pauli spiritum. Solent esse arrogantium cauilli, si diuina prædestinatio, electio, odium seu reprobatio, non sunt propter vlla hominum opera præterita, vel futura præuisa, ergo tam salus quã eorum perditio pendet ex solius Dei voluntate. Si enim quos præsciuit, illos & prædestinauit, & quos prædestinauit, illos & vocauit, & quos vocauit, illos & iustificauit, nihil culpã videntur habere, qui non saluantur, quia nec præcogniti sunt, nec prædestinati, & per consequens, nec vocati, nec iustificati, qui tamen alias saluari non potuere. Huiuscemodi friuolis obiectionibus hominum, qui culpas in Deum conantur rejicere, occurrit Paulus, vas electionis, cõsciũ, cuius spiritus instinctu, ac afflatu scriberet, que scripsit, doceretque quã docuit, ita vt diceret. An experimentum queritis eius, qui in me loquitur Christus, præuidensque futuros, qui suam doctrinam de gratia non sanè intelligerent, putaretque per voluntatem Dei, cuius vult miserentis, & quem vult, indurantis sublatum hominis arbitrium, culpãque suã perditionis in Deum rejicerent. Eandem doctrinam hanc de gratia, & de efficacia volũtatis fug cui nemo potest resistere, ita attẽperare curauit, vt & passim interferat ea quibus luce clarius pateat humanã voluntatẽ non esse sublatam. Cum enim ad Ro. ca. 9. omnia tribuisset volũtati diuinã vel iustẽ, vel misericorditer erga homines agentĩ, cõtinuo, vt iã diximus, in calce eiusdẽ capituli manifestat libera humanẽ volũtatis opera, cõtestans Israelẽ nõ apprehẽdissẽ iustitiã, quia suis operib⁹ filius cõtempnit Iesum authorẽ iustitiẽ. Deinde cap. 10. aperit prædestinatorũ salutem, ac iustificationem, & reprobatorum damnationem fieri cooperantibus hominum voluntatibus, sese subindicans habere arbitrij voluntatẽ, dum non nisi sua voluntate obsecrationes facit pro aliorum salute, dicens, Fratres, voluntas quidem cordis mei, & obsecratio ad Deum fit pro illis in salutem. Ecce patet Pauli libera voluntas, qua si careret, voluntariẽ non oraret, sed nec prædicaret. Attende ergo quia Apostolus propter diuinam prædestinationem ac reprobationem, diuinamque;

uinamque voluntatem immutabilem, nec ab oratione cessat, nec à prædicatione, quo minus sollicitus sit pro aliorum procuranda salute. Quod tamẽ oportuisset, si salus aliorum in voluntate Dei prædestinantis consisteret absque concursu humanã voluntatis. Præterea dicit Apostolus. Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quoniam Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiã, ore autem fit confessio ad salutem. Dicit enim scriptura, Omnis qui credit in illum, non confundetur. Non enim est distinctio Iudæi & Græci. Nam idem Dominus omnium diues in omnes qui inuocant illum. Omnis enim quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Ex quibus colligitur Apostolum exigere à iustificandis fidelibus corde credere & ore confiteri, ac inuocare nomen Domini, vt salui fiant. Quod nequaquam faceret si electi solummodo traherentur à Deo, nihil etiam saluti cooperantes suis volũtatibus. Frustra denique Christus misisset Apostolos suos in orbẽ vniuersum prædicaturos euangelium omni creaturã, si prædestinatorum salus ex sola voluntate Dei, & non pariter in cooperantis hominis voluntate penderet. Patet ergo ad prædestinatorum salutem concurrere hominum ministeria, & humanarum voluntatum opera, electosque ad prædestinatam eis vitã æternam, Dei misericordiã, suisque voluntatibus operantibus peruenire. Vtrunque enim, inquit Augustinus ad Petilianum, verum est, & quod Deus pater suos electos attrahit ad filium, & quod eosdem tamen in libero dimittit arbitrio, vt quod voluerint, eligant quod si hæc intellectu capere nequeamus, ne velimus tamen plus sapere quã oportet, sed credamus scripturã, quã vtrunque explicat, ne nos error periculosus inuoluat. Et hæc p̄ declaratione præfata cõclusionis primã sufficiãt.

Quamuis in prædestinato nulla sunt præuisa merita, nullã præuisã rationes, propter quas Deus illum, alio relicto, prædestinauerit, multã tamen possunt esse rationes temporales ac speciales à Deo præuisã, propter quas Deus illi non sic alteri donare voluit fidem, aut gratiam iustificantem. Verum sicut huiuscemodi rationes possunt esse multiplices, neque sunt vniuersales ac necessaria, ita sunt nobis incertã & occultã, quia ab humano intellectu remotissimã, nisi fortassis ex scripturis, vel alias per reuelationem innotescant. Prior pars huius cõclusionis patet ex propositione secunda superius posita. Secunda patet, quia Deus interdum illustrat peccatorum, aut infidelium mentes, vt credant in Iesum, tũ propter eleemosynas, tum propter sanctorum preces. Multum enim valet deprecatio iusti assidua, qua prouocatus Deus, interdum peccatorũ corda ad penitentiam vel emollit, vel conuertit, vt infra latius patebit, non solum autem, sed & oratio iusti celos penetrat, & plerisque aut fidem, aut iustificationis gratiam impetrat. Quod vt fiat, inquit Cyprianus, in oratione dominica oramus, Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Pro intellectu tã cõclusionis huius, quã præcedentis, operã pretium est aliqua cõsiderare. Primum dum inquirimus, an vlla sit tẽporalis ratio præuisa, propter quam Deus, aut prædestinauerit quempiã, aut dare voluerit illi primã gratiam, nõ intẽdimus inquirere, an aliquod tẽporale opus futurum sit causa diuinã prædestinationis aut voluntatis, quia hæc æterna, & immutabilis est omnium temporalium & efficiens & finalis causa, nullam habet causam, sed inquirimus, an sit vllum tẽporale opus futurum præuisum, quod sit ratio seu causa, aut effectuum prædestinationis diuinã, aut primã gratiã dãdã aut fidei. Deinde aliud significamus, dicentes aliquod tẽporale opus esse præuisum, quod erit ratio seu causa effectuum prædestinationis diuinã. Aliud verò dicentes aliquod tẽporale opus esse præuisum, quod erit causa fidei, aut gratiã dãdã. Priorẽ sensum esse falsum, patet ex superioribus. Posteriorẽ esse verum, ostẽdit hæc

Ad prædestinatorum salutem nõ operatur uoluntas Dei sola

Secunda conclusio.
Rationes fidẽ dãdã sunt plerumque præuisã à Deo.

Vasa gratiã.

Vasa iustitiã.

Contra homines qui culpas solent rejicere in Deum.

Voluntas libera ex Apostolo

secunda conclusio, intelligendo per causam fidei aut gratiæ dandæ, non meritum vllum in eo cui fides est danda, sed opus in altero bonum, cuius intuitu Deus huic fidem aut gratiam confert. Aliud rursus significamus, dicentes rationem præuisam esse in prædestinato, quare Deus illum prædestinauerit. Aliud verò dicentes Deum secundum rationem bonitatis in seipso prædestinasse illum. Deinde aliud significamus, dicentes rationem esse specialem, propter quam hic magis, quam ille sit prædestinatus. Aliud verò dicentes rationem esse, propter quam iste absolute est prædestinatus. Amplius autem pro intellectu huius materiæ conuenit considerare, quòd sicut Deo nihil potest esse causa, vt incipiat velle: ita & ipsi Deo nihil potest esse causa, vt ab æterno aliquid velit, sicut nihil potest ei esse causa, vt ab æterno sit. Veruntamen in scripturis sanctorum multis significatur Deus aliquid velle consequenter: & propter causam, in antecedente locutionis causalem, expressam, Deus vnica voluntate sua immobili, vult vnum effectum esse alterius causam. Quemadmodum dicimus: iustus quia perseueraturus est in iustitia vsque ad mortem, ideò Deus vult illi dare vitam æternam. Hac locutione significamus, non quòd perseuerantia iusti, sit causa sempiternæ voluntatis diuinæ, qua voluit illi dare vitam æternam, sed quòd Deus voluerit vitam æternam esse præmium perseuerantiæ, tanquam causam meritoriam. Vnde & secundum quosdam intelligendi modos, vtraque harum conceditur: quia Deus vult huic dare gloriam, idcirco vult illi dare iustitiæ perseuerantiam: item quia Deus vult illi dare iustitiæ perseuerantiam, idcirco vult illi dare gloriam, non quòd in Deo sit volitionum causalis successio, aut prioritas seu distinctio actuum, sed quòd vnica volitione vult perseuerantiam esse meritoriam causam gloriæ, & gloriam esse finalem causam perseuerantiæ, & ita veritas prioris inde patet, quòd gloria sit finis & merces perseuerantiæ. Veritas autem secundæ patet hinc, quòd perseuerantia sit meritum, & ita quodammodo efficiens causa gloriæ. Sic dicimus ambulationem fieri propter sanitatem, & rursus sanitatem fieri propter ambulationem secundum diuersum causam genus, intellecta præpositione propter.

Hæc oportet diligenter in scripturis sacris, & in doctrinis sanctorum patrum obseruare, ne propter diuersos loquendi modos, & diuersas interpretantium doctorum sententias conturbemur. Deus vnico simplicissimo, & indiuisibili actu, ab æterno voluit, ab æternoque præiudicavit, vnam rem fore causam alterius. Proinde secundum nostrum quandam intelligendi modum dicimus, Deus quia vult hoc, idcirco istud vult, nihil aliud significantes, quàm Deus vult hoc esse istius causam, aut efficientem, aut meritoriam aut finalem. Hinc suborta est famosa illa distinctio actuum, volitionum, atque instantium secundum naturam prioritas in Deo non realis, sed formalis, secundum quam voluntas in Deo, qua vult huic dare vitam æternam, propter perseuerantiam secundum naturam prior est voluntate, qua voluit illi dare perseuerantiam, secundum rem tamen eadem prorsus atque indistincta. Sicut in medico voluntas sanitatis desideratæ, est secundum naturam prior voluntate potionis dandæ. Sed quæ in medico possunt esse distincta, prorsus sunt vnum & idem in Deo, neque oportet super distinctione formali actuum atque instantium laboriosius ingenium humanum occupari, cum pro intellectu scripturarum, quibus significatur Deus velle vnum, quia vult aliud, sufficiat scire huiusmodi locutionibus significare Deum velle vnam rem esse, vel fore alterius rei causam, causam dico non semper propriè dictam, sed interdum etiam mutam vnus ex altero consequentiam.

Deo quantum nihil potest esse causa mouens, quia incipit velle.

Quomodo deus vult vnus propter aliud.

An volitio vna in Deo sit prior alia.

Tertia conclusio.

Sicut in prædestinato nullum est meritum bonum, propter quod Deus illi apponit primam gratiam: ita in reprobato nullum est meritum malum, propter quod Deus

Deus permittit illum labi in peccatum primum, aut habere originale peccatum. Non enim fuit in Adam vllum opus malum, propter quod permittit illum Deus cadere in primum peccatum. Similiter in infantibus non est peccatum, aut malum meritum, propter quod Deus permittat eos habere originale peccatum. Fuit tamè inobedientia Adæ ratio, ob quam Deus in omnes eius posteros intrare permittit originale peccatum, ac omnes & singulos obnoxios morti esse voluit. Ita vt iam videlicet post Adæ peccatum, nequeant eius filij per vires propriarum voluntatum, absque adiutorio gratiæ euadere, quin habeant obicem, impedimentum, & obstaculum diuinæ gratiæ. Infantes verò & si non habent meritum malum, ob quod permittat eos Deus contrahere originale peccatum, habet tamen in seipsis à suis parentibus rationem, propter quam Deus eos odit, hoc est, vult eis non dare vitam æternam. Hæc autem ratio est originale peccatum, quod non est à Deo naturam humanam instituentem. Non permittit ergo Deus primum peccatum in homine propter vllam operationem liberi arbitrij, aut negligentiam eiusdem hominis. Ante primum peccatum, nullum est in homine malum negligentiam meritum, propter quod permittitur vneri in peccatum. Adam permittitur in primum suum peccatum cadere, non quia meruit vt sic permitteretur, sed quia talis primum fuit institutus, qui peccare posset & non peccare. Deus licet iuste permiserit primum hominem primo peccare, ipse tamen homo iniuste peccauit, nam permissio illa diuina solum negat auxiliū protectionis gratuitum, nec permittit Deus hominem primum peccatum peccare, propter punitionem, vt finem optatum, gratia cuius videlicet hominem ex intentione finat peccare. Quia Deus non delectatur in pœnis & afflictionibus hominum, sed primum peccatum non cohibet cum posset impedire, vt permissa homini voluntate libera, relictoque eo in manu consilij sui, suam Deus declaret sapientiam ac bonitatem, insuper vt suam manifestet iustitiam puniendo culpam liberam voluntatis.

Ex quibus euidenter patet, quòd nulla est ratio meritoria in hominibus æquæ captius, & indignis, cur videlicet Deus voluerit vnum ab æterno sic dirigere, vt ex fide crederet & obediret, aliud verò non sic præparare & dirigere, vt crederet.

Ad quod ostendendum Apostolus adduxit exemplum de Iacob & Esau, quatenus & Iacob, & omnes prædestinati, per Iacob designati intelligant, se non potuisse ex massa originalis iniquitatis discerni suis meritis aut viribus, vbi viderint Esau ex eodem patre, & eadem matre, & eodem concubitu natum, communem habentem causam, iuste damnari. Quòd si quispiam dixerit fidem, bonamque voluntatem in Iacob fuisse præuisam, in qua meritum esset accipiendæ gratiæ, mox huic occurrit Paulus Apostolus, fidem, bonamque voluntatem esse gratiæ dona, non ex operibus data, quanquam tam fides, quam bona voluntas in Iacob potuerunt fuisse causa meritoria alicuius particularis effectus prædestinationis, seu gratiæ, sed non primæ. Quia ante primam gratiam, ante denique fidem, & bonam voluntatem, nullum meritum Iacob habuit, vt eam acciperet ex misericordia Dei misericordis, & deserentis Esau.

¶ Sequitur caput quartum, in quo soluuntur argumenta, quibus probari videtur, quòd opera præuisa fuerint ratio prædestinationis & reprobationis diuinæ.

IN quarto capitulo superest soluere octo argumenta in principio capituli secundi recitata.

Ad argumentum primum ergo quo dicitur secundum scripturas, sanctorum meritis, & tormentorum passionibus, promissam esse mercedem laborum, coronam videlicet iustitiæ.

Quomodo Deus odit infantes

Permissio diuina gratuitum negat auxiliū.

Respon-

Respondeo argumentum hoc nil aliud demonstrare, quàm vltimum prædestinationis, aut reprobationis effectum, qui vt merces operi redditur à Deo iusto iudice, posse habere causam in prædestinato, vel reprobato, eiusdem mercedis meritoriam. Deus enim iuste iudicabit hunc mundum, reddens vnicuique iuxta opera eius, dicitur ad electos suos, Venite benedicti patris mei, mercedem laborum vestrorum reddam vobis. Quemadmodum in rebus creatis Deus ab æterno voluit vnum esse alterius causam. Ita & in donis gratiarum voluit Deus vnum esse alterius meritum. Fides qua iustificatur impius nullis præcedentibus meritis datur, sed ad hoc datur vt esse posset principium meritorium, vt dum ipsa fuerit data, non petita, ipsius iam petitionibus bona cætera concedatur. Secundum quendam igitur sensum accepto prædestinationis vocabulo, Deus ab æterno sanctos martyres prædestinavit propter præuisa in ipsis opera, hoc est, coronam vitæ præparavit illis, tanquam præmium & mercedem operum atq; laborum bonorum, sed nõ inde consequens est, Deum prædestinasse suos electos ad fidem, propter vlla merita in ipsis præuisa, quia ante fidem nulla sunt merita.

Ad secundum argumentum quo dicitur, Scriptura sacra indistinctè & vniuersaliter loquitur Deum illuminare omnem hominem, Deum velle omnes homines saluos fieri, & car. Ex quibus scripturis visum est patribus consequens esse, Deum quantum in se est æqualiter se habere ad omnes, & quantum in se est omnes velle saluos fieri, & paratum esse omnes amplecti: quemadmodum sol æqualiter se habet ad omnium hominum oculos.

Respondeo omnia in argumento adducta pendente ex vero scripturarum sensu, idcirco pro solutione huius secundæ argumenti, conuenit aliqua præmittere consideranda ad intellectum scripturarum diffusius adductarum. Primo ergo considerandum est, quod in scripturis interpretandis, oportet attendere tempora, rationes, causas, & personas, pro quibus in vnaquaque re loquitur scripturæ sermo nobis propositus, alioquin vbiq; ferè vnus scripturæ locus videbitur alteri contrarius. Manifestum est autem quod dicit Dominus, Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quotiens volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas & noluit, & cætera. Et per prophetam. Immundicia tua execrabilis, quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis. Talia, inquam, accipiantur: non velut ad singulos, sed tanquam ad quosdam, vel etiam ad quoddam genus hominum, dicta. Iudæis multa præstitit gratiæ beneficia, sed non fecit taliter omni nationi. Proinde & ad quosdam loquitur, Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sydone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere, & cilicio poenitentiam egissent. Sic & testimonia scripturæ, quibus dicitur, Deus vult omnes homines saluos fieri: illuminat omnem hominem, neminem vult perire, sed omnes ad poenitentiam reuerti. Et si quæ sunt similia, si intelligantur de voluntate diuini beneplaciti super salute hominis, secundum quam dicitur, Omnia quæcunq; voluit fecit, qualis etiã est voluntas diuinæ prædestinationis, sic dirigentis homines, vt salui fiant, sunt accipiendæ vt sermo vniuersalis intelligatur, nõ quidè dictus pro omnibus hominibus absolute, sed accommodatus solum omnibus alicuius certæ multitudinis. Vnde ex scripturis sacris euidentissimè demonstratur contra omnipotentem Dei voluntatem nihil fieri posse. Neque etiam ipsum quod peccatum fit contra diuinum beneplacitum, cum fiat non Deo inuito, aut nolente, sed ipso permittente, & nõ impediente, cum posset impedire, quis nequaquam fiat illo instigante & excitante, sed prohibente. Proinde Deus si voluntate sui beneplaciti vellet omnes homines saluos fieri, omnes vtiq; salui fieret cõuersis eorum voluntatibus, mutatisq; in melius ab ipso.

qui in potestate habet omnium hominum corda conuertere quocunq; voluerit. Intelligendæ sunt ergo scripturæ sacre supra dictæ secundum alium quendam sensum voluntati diuinæ potentissimæ non obuiantè, & id bifariam fieri potest, videlicet vt fiat vis in locutione vniuersali, aut fiat vis in verbo, vult. Sic venerabilis Augustinus, verbum Apostoli, Deus vult omnes homines saluos fieri, interpretatur duabus vijs, videlicet habens considerationem, nunc ad locutionem vniuersalem, nunc ad verbum vult, vt in vniuersali locutione omnes homines, intelligantur nõ omnes absolute, sed omnes qui salui fiunt, quæadmodum intelligitur quod alibi scriptum est, Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In Christo omnes viuificabuntur, quemadmodum in communi sermone dicimus, In hanc domum omnes intrant per hanc ianuam, intelligentes q; nemo intrat hanc domum, nisi per ianuam istam. Ita nemo fit saluus nisi volente Deo, & ideo rogandus est vt velit, non sic vt ipse incipiat velle & mutetur in voluntate sua, sed vt nos ipsius æterna voluntate donatè, mutemur in melius, iustificemur, credamus, & velimus. Aut certè sic dictum est: Vult omnes homines saluos fieri, vt omnes homines, omne genus hominum intelligamus. Aut si volumus facere vim in verbo vult, intelligamus eum velle secundum illam voluntatem, secundum quã inspirando aut iubendo, vult nos multa velle fieri, quæ ipse voluntate sua occulta nobis, non vult fieri, sic vult omnes homines saluos fieri, quia iubet, vt omnem hominem velimus saluum fieri. Potest etiam idem Apostoli verbum ad alios quosdam sensus interpretari, & eos quidem catholicos, modò ita intelligamus, vt voluntas Dei omnipotentissimi in eo quod voluerit fieri, credatur semper manere inuicta, & teneamus nihil fieri Deo inuito. Proinde non erit absurdum intelligere præmissas scripturas, & similes, de alia quadam voluntate, videlicet optatiua Dei communicantis præcepta, admonitiones, & remedia salutis, singulis nationibus & generibus hominum prouisa ex sua ipsius misericordis gratia, non quod aliqua sit voluntas in Deo, quæ non impleatur, sicut in nobis fit multa optantibus & nobis, & filiis nostris, ad quæ non peruenimus, sed q; Deus tanquam pius & misericors pater, vt optans salutem, se habet secundum varios effectus, quos pro loco & tempore impendit singulis hominum generibus, monens, corripiens, suggerens. Ambrosius interpretatur verbum Apostoli, subintellecta conditione, si & ipsi velint, quia Deus neminem saluat, nisi volentem: & hæc interpretatio concurret in eundem sensum cum interpretatione Augustini.

Et ne forsitan pertinacior quispiam calumniatur huiuscemodi interpretationes esse violentas, aut extortas, sciat manifestissimum esse, Deum secundum voluntatem sui beneplaciti, non velle omnes homines saluos. Oportet ergo sensum Apostoli, ex his quæ præmittuntur & sequuntur, aut ex alijs scripturæ locis indagari. Consideratis autem antecedentibus & sequentibus, videbis interpretationes supradictas esse consonas sensui apostolico. Obsecro, inquit, primum omnium fieri orationes, obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt constituti, vt quietam & tranquillam vitam agant in omni pietate & castitate, hoc enim bonum & acceptum est coram Salvatore nostro, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: vnus est enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum Iesus Christus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Cum audis Apostolum obsecrantem nos vt pro omnibus oremus, & hoc bonum & acceptum esse coram Deo, qui vult omnes saluos fieri. Nam vnus est Deus, & vnus mediator, qui semetipsum dedit redemptionem pro omnibus. Quid aliud, quæso ex his possumus intelligere: quàm q; ipse velit, vt nos velimus orare pro omnibus indifferenter, vt salui fiant, aut quod ipse

Quomodo actus
hæc sunt scri
pturæ, quibus
significatur de
us velle omnes
homines saluos
fieri, & ad po
nitentiam reuerti

Multiplex Dei
voluntas in sa
cris literis de
signatur.

Regula obser
uanda in scrip
turis interpretan
dis.

ipse velit omnes saluos fieri, qui salui fieri voluerint, desiderauerint, aut crediderint, & inuocauerint nomen Domini. Ipse neminem saluat nolentem, aut inuitū, sed credentes solum & volentes facit saluos. Et quia credere & salutem desiderare, aut orare sicuti oportet, non possumus, nisi ipse nos traxerit & adiuuerit incredulos nos vt credamus, ideo orandus, vt hi qui nondum credunt, nondum orant, ipso donante voluntatem credendi, pieque viuendi accipiant, & ne credentes, & sese sic conuertentes diffidant, adiecit, Vnus enim est mediator noster Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus, supple, qui credere voluerint. Sic dicit Ioannes, Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Habes de his doctrinam Augustini. 22. De ciuitate Dei, cap. primo & secundo. & in Enchiridio capite 101. & duobus sequentibus. Ita quod dicit Petrus Apost. Deus patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuertit. Item quod dicit propheta, Nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. Manifestum est hæc non esse accipienda, quod Deus voluntate sua omnipotentissima, velit omnes reuertit ad pœnitentiam, & quod nolit vllum hominem perire, & quod velit mortem non esse, quia ipse si efficaciter vellet, omnes conuerterentur ad pœnitentiam & ad fidem, nemo periret, neq; mors esset, neque peccatum vllum fieret, si non ipse illud fieri permetteret, qui & impedire poterat hæc omnia ne fierent. Sunt igitur huius generis scripturæ accipiendæ, aut de voluntate quadam alia, quam de voluntate diuini beneplaciti, seu diuinæ prædestinationis, aut reprobationis, aut si de voluntate beneplaciti secundum alias sententias quasdam sunt interpretandæ, vt videlicet sermo vniuersalis intelligatur, aut conditione subintellecta, aut non simpliciter de omnibus, sed de omnibus alicuius multitudinis, de qua propositus est dicentis sermo.

Et ne videantur huiuscemodi interpretationes esse aut extortæ, aut violentæ, considerare oportet, quod talis loquendi modus est etiam in rebus prophanicis multum vsitatus. Veluti cum dicimus, Rex pro ingressu iucundi aduentus sui in ciuitatem, vult omnibus reis morte, dare gratiam, facile intelligitur omnibus reis regem illum acceptantibus, & agnoscentibus culpam, & pollicentibus ei obedientiam. Sic quoque dum loquentis intentio est de his, qui docentur in aliqua ciuitate, facile intelligimus illum, si dicat, in hac ciuitate omnes docentur ab isto magistro, intelligentes in locutione vniuersali, non omnes homines in ciuitate, sed omnes qui docentur, vt sensus sit, neminem in hac ciuitate doceri, nisi ab isto magistro. Amplius autem considerandum est, quod hæc voluntas, qua secundum doctrinam sanctorum, Deus quantum in se est, æqualiter se habet ad omnes, qua & vult omnes saluos fieri, non efficax, vt recte inquit Bonauentura, est ad salutem, nec proprie est ad producendum salutis effectum in quolibet homine, sed est voluntas Dei volentis ordinationem naturæ, siue naturam ordinabilem ad salutem sic primitus a Deo institutam, vt salua esset, si non ipsa contra legem Dei peccans, impedimentum præstitisset, & ita non oportet consequens esse, quod nunc omnis homo posset ex his, quæ in se habet, per vim liberi arbitrij euadere mortem & peccatum. Deus quantum in se est, vult omnes saluos fieri & viuere, quia ipse mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum, hoc est, ipse hominum genus instituens, nec condidit mortem, nec in homine vllam causam præstitit damnationis & mortis. Ipse iuxta fidei Christianæ regulam, hominum genus condidit immortale, vt semper viuere, & ad immortalitatem glorie ex hac vita commigraret sine morte. Proinde ipse nec facit, nec fecit in hominibus quicquam, per quod ipsa mens impediatur a perceptione diuini luminis, sed per Adæ peccatū, omnes illius filij nascuntur tenebræ, id est, vacui luce iustitiæ,

atq;

atque nudati innocentiæ veste, afferentes secum perceptioni diuini luminis impedimentum, quod sanè impedimentū nostris viribus amouere nō possumus, & nisi adsit illuminator Christus in tenebris perseueramus. Verū quidem est ipsum per suæ maiestatis præsentiam adesse omnium hominū mentibus, lux in tenebris lucescens, sed tenebræ eam non comprehenderūt, sed non inde consequens est, Deum tollere ab omnibus impedimēta ad recipiendum luminis iustitiæ influxū, quemadmodum patet in duobus paruulis equaliter indignis, quorum vnum sanctificat in vtero, alterum deserit sine baptismi lauacro.

Deinde sancti plerūque, cum dicūt Deum æqualiter sese habere ad omnia, loquūtur non de æqualitate honorum, quæ dispensantur, sed de æqualitate, quæ contrariatur inæqualitati contingenti in acceptione personarū, tam in præsentī, quam in futuro sæculo. In futuro sæculo reddet vnicuiq; iuxta opera eius, & ad illum sensum citatur ad Romanos. 1. Deum nō esse acceptorem personarū. In præsentī autem sæculo neminem qui dignus est repellit, nemini petenti gratiam veritatis lumen denegat, omnē ad se venientem recipit, omnem inuocātem, saluum facit, & ad illum sensum citat scripturam illam Petrus Apostolus in Actis. Sed de hac personarum acceptione, latius in solutione argumenti sequentis.

Amplius autē, esto Deum per lumen quoddam vultus sui, pro loco & tempore docere omnem hominem ea, quæ sunt naturalis legis, & adesse insuper per auxilia quædam gratuita, quibus adiutus, quantum in se est faciens, valeat ad gratiam iustificationis peruenire, nihil contra superius dicta, cum sit manifestum, quod ipse Deus, quāuis per talia auxilia in debita iuuat qualiter aptum nouit, vt valeant se ad accipiendum gratiā accōmodo dare, non taliter tamen iuuat, qualiter aptū nouit, vt obediant, & salui fiant. Hæc enim est quæstio de prædestinatis, & reprobatis proposita. Cur Deus (qui in sua potestate habet omnium hominum voluntates & corda) non ab æterno voluit ita iuuare omnes qualiter aptum nouit, vt salui fiant. Cur ante mundi cōstitutionem hos potius, quam illos elegit, quos saluos faceret. Cur Deus ab æterno proposuit illius misereri ad præparandum cor eius ad primam gratiam, illius autem non sic misereri.

Quod autē dicit scriptura sacra, æqualiter est illi cura de omnibus intelligitur, quæadmodum iam dixi, nō de æqualitate honorū, quæ dispensantur, sed de æqualitate, quæ contrariatur inæqualitati contingenti in acceptione personarū, æqualis est Deo cura, qua reddit vnicuiq; absq; personarū acceptione, nō veritus cuiusq; potētis personā. Ad illū enim sensum loquitur scriptura Sapiētia. 6. Deinde vera est etiā propositio, si in dictiōe equaliter, significetur equalitas adiacere Deo operati. Deus enim nō potest quicquā facere ex maiori vel minori sapiētia, bonitate, & cura omnia gubernās ex vnica immēsa bonitate, sapiētia, & cura. Si verò significetur æqualitas adiacere rebus, quas curat seu gubernat, falsa est propositio, nisi fuerit intellecta equalitas cōtraria inæqualitati, quæ cōtingit in acceptione personarū. Quod autē Augustinus super illo psalmistæ. Deus in medio eius nō cōmouebitur, dicit Deū æqualiter omnibus consulere, intelligit, quod ipse æquus est omnibus non accipiens personas. Deinde non de omnibus absolute loquitur, sed de omnibus habitātibus in ciuitate Dei. De hac enim præmiserat propheta, fluuius impetus lætificat ciuitatē Dei, Deus in medio eius, scilicet ciuitatis, non cōmouebitur, id est, secundum gratiæ suæ beneficia nō recedet ab illis, sed nō fecit taliter omnī nationi. Abscondisti hæc a sapiētibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.

Amplius, quod in argumentō dicitur, Deus si erga æqualiter indignos, & peccatores inæqualiter agit, inæqualiter distribuens suæ gratiæ dona, vnū prædestinās, alterū reprobas, erit igitur acceptio personarū apud Deum. Ad hoc argumentū

d respondet

Deus nolens alios quos perire.

Nota similitudine ad intelligentiam scripturas, quibus vult omnes homines fieri saluos.

Deus quomodo doceat omnem hominem ea quæ saluis sunt.

Non est acceptio personarum apud Deum.

respondet Augustinus multis in locis docens id consequens non esse. Nam acceptio personarum opponitur iustitiæ distributiæ, & idcirco locum nõ habet vbi vnus sic gratis honoratur, vt alter suo debito nõ fraudetur. Tunc enim habet locum id patrifamilias in Euangelio, Amice non facio tibi iniuriam, Nonne ex denario diurno cõuenisti mecum? Tolle ergo quod tuum est, hæc enus iustitia. Iam sequitur misericordia, Volo autem huic nouissimo dare sicut & tibi. An non licet mihi facere quod volo de meo, misericorditer dispensans absque tui aut alterius iniuria. Prædestinatio autem diuina erga prædestinatos agit secundum iudicium misericordiæ suæ largiens gratiam homini prædestinato nõ debitam. Diuina autem reprobatio erga reprobatos, quãuis multa agat secũdum suã misericordiã ad fidem, & poenitẽtiam vocans, præseruãt etiam à multis criminibus, in eo tamen, quòd non taliter mouet eorũ voluntates, qualiter aptum nouit, vt cõuertantur, & fiant salui, agit secundum iudiciũ suæ iustitiæ. Deus igitur si ex duobus æqualiter indignis, vnum saluat, alterum deserit, nõ ob id putandus est personarũ acceptor. Rurius si ex duobus dignis æqualiter laborantibus, vel etiam non æqualiter laborantibus, plus gratiæ largiatur vni etiã minus laboranti, non ob id personã accipit, cum alter præmio sibi digno non fraudetur. Non oportet igitur Deum omnibus æqualiter largiri suæ gratiæ dona. Ipse diuidit singulis prout vult suę gratiæ dona. Præteritis sæculis, inquit scriptura, dimisit omnes gẽtes ingredi vias suas. Sub temporibus Augustini adhuc sol iustitię Christus quibusdam gentibus non illuxerat. Paulatim impleta est prophetia. In omnẽ terrã exiuit sonus eorũ, & in fines orbis terræ verba eorũ, scilicet Apostolorũ, nulli tamẽ gẽti defuit bonitas Dei super homines vniuersos generaliter dispẽsantis alijs largius, alijs parcius beneficia quædã generalia, per quorũ testimonia ad querẽdũ verũ Deũ poterãt homines adiuuari.

Ad id autem quod dicitur apud Matthæum capite. 25. hominem peregre profectum in talentis dispensandis, vnicuique tribuisse secundum propriã virtutem.

Respõdeo. Parabola illa Christi loquitur de seruis, id est, dispensatoribus seu ministris, quos Christus ascendens in cœlum constituit, distribuens vnicuique talenta, id est gratuita quædam ad vtilitatem aliorũ dona, quibus proximis prodesse debeant. Huiuscemodi autem talenta sunt dispensanda secundum personarum vires, ac idoneitatem. Talenta illa dabantur seruis, non vt per illa iustifiarentur, sed vt secundum ipsã ad aliorum iustificationẽ cooperarentur. Atque ita ex textu illo non est consequens gratiam iustificantem, qua ex impijs homines fiunt iusti, dispensari, aut multiplicari secundum dignitatem, merita, aut vires personarum.

Ad verbum Anselmi dicentis. Homo non habet gratiã, non quia Deus nõ dat, sed quia homo nõ vult accipere. Respondeo hoc vtique verũ esse, sed nihil cõsequitur, quod obuiat supradictis. Sciendum enim quòd & si Deus sit causa nõ appositionis gratiæ, nõ tamen est causa illius, quod est hominẽ non habere gratiam, quia apponere & non apponere gratiam solius Dei sunt officia, habere autem seu accipere, vel tenere, aut custodire gatiã, ipsius hominis sunt. Homo quia gratiam semel sibi vel in primo parente oblatam, vel in baptismo datã, non custodiuit, sed deseruit, impedimentũ eidem gratiæ apposuit. Proinde nõ Deus, qui dare voluit, sed homo qui vel accipere noluit, vel non custodiuit est sibi causa, quòd gratiam non habeat. Dicimus autẽ Deũ causam nõ appositionis gratiæ, nõ aliquid agendo per quod gratia perit, sed ab actione cessando, sicut natura est principiu quietis, quia cessat à motu in hominibus nihil agens, vt gratia nõ apponatur, consentiens tamen & iudicans eam non esse apponendam. Falsum proinde est quod Deo auctore gratia non apponitur, nõ enim Deus, sed homo fecit aliquid, propter quod gratiam non apponit Deus. In æternum permanet veritas prophetiæ sententiæ.

Perditio

Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum. Diximus autẽ de hoc latius in responsione ad quæstionẽ. Vtrũ Deus sit causa peccati, vel indurationis.

Ad id quod consequenter in argumento adijcitur. Vnumquẽq; audito Euangelio habere in potestate credere, & nõ credere. Respõdeo. Vnusquisque audiens Euangeliũ sibi prædicari habet potestãtẽ, qua potest & Deo adiuuante credere, & ex se cõtemnere, aut nõ credere, & ita sola prædicatio foris pulsans nõ sufficit, ad hoc vt quispiã Christiana fide valeat credere. Nemo credit, nisi quẽ pater trahit intus suadens, suggerens per spiritũ sanctum viuificantẽ. De Tyrijs autẽ & Sidonijs dicimus, quòd ipsi vtique credidissent, si virtutes illã, quæ factæ fuerant in Iudæa, in illis factę fuissent, sed huiuscemodi virtutes fuerũt, non solum miracula, & verba foris impensa, sed & beneficia quædam intus pulsantia Iudæorũ pertinacium corda. De motu autẽ fidei, quonam pacto sit in potestate liberi arbitrij, patebit latius infra in capitulo sequenti.

Ad argumẽtum tertiu quo dicitur doctrina Augustini de prædestinatione, & reprobatiõẽ secundũ æternũ Dei propositũ esse cõtraria doctrinis omnium patrũ. Respõdeo id falsum esse. In secũda parte huius libri demonstrabimus omnium priorũ patrũ catholicorũ sententiã, rectẽ intellectã in omnib; fuisse consonã Augustini sententiæ, quã ex doctrina Pauli Apost. approbavit ecclesia cõtra Pelagij hæresim.

Nunc tamen pro intellectu sententiarum Ambrosij, Chrysofomi & aliorũ patrum, qui doctrinã Apostoli Pauli de prædestinatione longẽ aliter, quã Augustinus disputans contra Pelagium, sunt interpretati, definiẽtes prædestinationẽ electorum secũdum præficientiã fidei, & bonorũ operũ diligenter est aduertendum, quod in hac doctrina de diuina electione & prædestinatione hominũ secundum æternum Dei propositum electorũ, facile possunt sacræ theologiæ studiosi lectores conturbari, propter diuersas magistrorũ interpretantiũ sententias, præsertim ex epistolis Apostoli Pauli, in quibus, vt inquit Petrus Apostolorũ caput, quædam sunt intellectu difficilia, & id quidem præcipuẽ his in locis, in quibus edisserit sententias in commendationem gratiæ, & prædestinationis diuinæ.

Quatenus igitur hac in re non cõturbentur studiosi, qui legunt sanctorum patrum interpretantium cõmentarios, scire oportet diuersas magistrorũ interpretationes in scripturis sanctis non esse inuiles, aut superuacuas, sed spiritu sancto prouidente factas ad pariendũ ex eodem scripturæ loco sententias plures, & salutare in vnitatẽ fidei conspirãtes. Est quidem etiam inter veteres sacræ theologiæ interpretes varietas quædam, super intellectu quarundam scripturarũ loquentium de gratia, prædestinatione, & reprobatione, induratione, electione, sed omnis hæc in vnitatẽ fidei conspirat. Nec aliter senserũt veteres de gratia Christi, quã præsens modernorũ ecclesia. Sic olim ante mille annos eruditissimus scripturæ sacræ illustrator Augustinus hæreticorũ malleus intellexit sententias patrũ suorũ prædecessorũ Cypriani, Chrysofomi, Ambrosij, in his libris vbi contra Pelagiũ disserit luculentissimẽ docens eosdem patres antecessores eandẽ habuisse de gratia Christi fidem, eosdem quoq; non docuisse vnquam Pelagij hæreses, quantumlibet ipse Pelagius molitus fuerit suas hæreses stabilire eorundem patrum dogmatibus, sicuti in libro de gratia, & libero arbitrio demonstraui.

Secus longẽ faciunt huius temporis hæretici, struentes indignas cõtumelias eorundẽ sanctorũ patrũ doctrinis, dum impudẽter asserũt, nõc diuũ Chrysostomũ, nõc Ambrosiũ, nõc aliũ quẽuis sanctũ doctorẽ de gratia Christi nõ rectẽ scripsisse, præsumẽtes etiã eorundẽ patrũ libros peruersis, & iniuriõsis annotatiũculis deprauare. Possent fortassis aliqd excusatiõis prætere dẽre, si nõ iã ante annos mille haberẽt doctrinã Augu, & diuerforũ patrũ successorũ demonstrantiũ eosdẽ patres, &

d ij totam

Diuina noluntas erga reprobos multa agit misericorditer.

Deus non est personarũ acceptor.

Non Deus sed homo est sibi causa carẽtiæ gratiæ.

Quomodo in potestate hominis est credere Enã gelio predicato

Diuerse magistrorũ interpretantiũ sententiæ concordant

Hæretici huius sæculi deprauãt scripta sanctorum patrum in uerõsis annotatiõibus.

totā Christianorū scholā ab initio habuisse eadē fidei dogmata sup gratia Christi. Omne videlicet hominū genus p Adā peccatū perijisse, lapsūq; esse in dānationis reatū, & neminē inde liberari, nisi p vni⁹ Christi mediatoris sanguinē, & nullū esse hominis meritū, quo ex impio iustificetur, sed Dei gratiā puenire omne hominis meritū bonū, & in illi⁹ misericordia pēdere, si quē dignat⁹ fuerit vocare ex perditionis massa, eumq; ab aeterno suos electos ad gratiā, & gloriā p̄destinasse.

Quibus p̄missis ad sentētiās patrū in argumēto citatas. Et primū ad doctrinā Ambrosij dicimus. Verū quidem esse eundē Ambrosiū multis in locis definiuisse electionē & p̄destinationē odium, & reprobationē secundū p̄scientiā fidei & bonorū operū, sed accipit dilectionē & odiū aliter q̄ in superioribus p̄destinationē & reprobationē secundū Aug. doctrinā accepimus. In cōmentarijs ad Ro. 9. docet dilectionē Jacob fuisse propter p̄uisā bonā vitā eius. Odium autē Esau propter vitā malā. Vnū, inquit, elegit in p̄sciētia. Alterum spreuit in p̄sciētia quasi p̄sciūs, qualis vnusquisq; futurus esset. Neminē dānat anteq̄ peccet, nullū coronat anteq̄ vincat. Planē vides Amb. fuisse loquūtū, non de illa electione qua Jacob electus est ad primā gratiā, sed de ea qua Jacob electus est ad aeternā gloriā coronā quā p̄parata est vincētib⁹, & de illa despectiōe qua p̄pter peccata p̄parat homini dānationē. Diligēter itaq; obseruabis ex coherētibus sentētij, q̄ prouidē loquutus est Ambr. Vnde & ibidem adiecit. Non est acceptio personarū in p̄scientia Dei. Nam & ipsa p̄sciētia definitū habet, qualis vnus cuiusq; voluntas futura erit, in qua & mansurus est, per quam aut damnetur, aut coronetur. Saul & Iudas ante fuerūt boni, & 72. discipuli sunt electi à Christo, sed inter istos, qui sibi causa perditionis fuerunt, secundum p̄scientiā Dei in numero erant malorū, & secundum iustitiā iudicis delati de libro vitæ, qui secundum p̄scientiā nunquam fuerunt p̄destinati, & ita nunq̄ scripti in libro vitæ. Sic & idem Ambro. loquitur ad Rom. 8. tractans illud, Quos p̄sciuit, hos & p̄destinavit, quos p̄sciuit, inquit, futuros sibi deuotos, ipsos elegit ad promissa p̄mia capescenda. Non dixit, quos p̄sciuit sibi futuros deuotos, hos elegit ad hēdē & primā gratiā iustificāntem capescendam. Quod si diceret, verissimū quidem diceret, sed non secundum sensum quē constituunt Pelagiani, nō secundum sensum contrariū doctrinæ ecclesiæ, definiens p̄destinationē diuinā esse, non propter p̄uisa merita futura, sed secundum sensum, quem habuit & ipse Augustinus, & tota Christianorū schola, definiens deuotionē & bona opera esse finem seu fructum, in quem super adultos ordinatur fides seu iustificationis gratia, quæ ad hoc datur sine merito, vt possit esse principiū meritorij. Quemadmodum equus dum gratis donatur propter opus equitationis p̄uisum datur, tanquā propter finem, sed non tanq̄ propter meritū. Sic accipiendū est, quod dicit, tractans illud, Miserebor cui misertus ero, hoc est, inquit, misericordiā dabo ei, quē p̄sciui cōuersurū & permāsurum apud me corde recto, hoc est dare cui est dandum, & non dare cui nō est dandum vt illum vocet, quem sciat obedire, illum autē non vocet, quē sciat non obedire. Vocare est cōpingere ad fidem. Hactenus ille. Voluit Ambrosius obediētiam seu cordis conuersionem p̄uisā à Deo esse finem vocationis, perinde atque vsus gratiæ finis est gratiæ. Ad hoc enim Deus gratis vocat, gratis ad fidem cōpungit, gratis donat gratiam, vt quisque accepta gratia, conuertatur in Deum, & rectē viuat. Et quia rationabile ac decens est Deum dare gratiā ei, quē nouit bene vsurum gratia. Idcirco dare illi, est dare cui est dandum, non quidem cui debitum est dari, sed cui decens, æquum, seu rationabile est dari. Cordis compunctio, conuersio, seu deuotio, ad quam & vocatio ipsa, & gratia ordinatur, quamuis sit meritum ad promissa p̄mia capescēda, nequaquā tamen potest esse meritū ad fidem seu primā

seu primā iustificationis gratiā, cum ipsa cordis compunctio, cōuersio, & deuotio, sint effectus ipsius fidei, ac iustificātis gratiæ. Neque vsquam inuenies Ambrosium dixisse, vel hominē sibi facere meritū, quod ex impio aut fieret, aut fiat iustus, vel Deum elegisse Jacob ad initiū fidei, seu iustificationis gratiæ, propter opera liberi arbitrij in illo p̄uisa tanq̄ illius gratiæ merita. Talentū fidei seu gratiæ primæ datur propter opus vt finē, id est, datur ad operādum, sicut calamus ad scribendū.

Huiusmodi ergo propositiones operæ p̄tū est studioso lectori in scripturis, & in cōmentarijs sanctorū patrum exactissimē cōsiderare, ne fallatur, aut per amphibologiam nominū electionis, p̄destinationis, indurationis, & reprobationis, aut propter diuersam acceptionē p̄positionis (propter) quæ nunc causam finalem, nunc efficientem, nunc meritoria significat, quæ admodum studiosus lector ex coherētia sententiā, quæ p̄mittūtur & sequūtur, poterit intelligere.

Ex his igitur similibūque cōsideratis patet, sententias Ambrosij definiens p̄destinationem, dilectionem, reprobationem, & odium, secundum p̄scientiam Dei p̄uidētis, qualis vnus cuiusque voluntas futura erit: esse verissimas & consonas dogmatibus ipsius Augustini, atque aliorum patrum definitium p̄destinationem esse non propter p̄uisa merita. Alioquin Ambrosius in cōmentarijs eiusdem capituli planē foret sibi metipso contrarius. Nam tractans illud ad Romanos nono. An non habet potestatem figulus lutī ex eadem massa facere aliud vas in honorem, & cetera. Quemadmodum figulus vasa, inquit, eiusdem massæ, eiusdemque substantiæ facit differentia, vt alia sint in honorem, alia in contumeliam, quæ differunt sola voluntate artificis. In potestate enim conditoris est, qualem velit condere creaturam. Ita & Deus, cum omnes, inquit, ex vna eademq; massa sumus & cuncti peccatores, alteri miseretur, alterum despicit, sed hoc non sine iustitia. In figulo enim sola voluntas est, in Deo autē, voluntas cum iustitia. Scit enim cuius debeat misereri, sicut supra memorauī. Hic planē vides Ambrosium planē docere nos omnes esse peccatores, ex eadem perditionis massa, & ex sola Dei miserētis voluntate, alienū segregari, vt sit vas misericordie, alterū despici, quemadmodū ex sola voluntate figuli est vasorum differentia. Sed discrimen inter Deum & figulū inde esse patet, q̄ sola voluntas figuli erga vas vile est sine iustitia. In Deo autē cum despicit vas cōtumeliā, nō est voluntas sine iustitia, scit enim cuius debeat misereri, dando coronā gloriæ ei, quem ipse dignū facit, & quē debeat despiciere, p̄parādo illi cōtumeliā, q̄ indignus inuenitur, nō quē ipse indignū facturus est.

Et vide quā prouidē Ambrosius hāc sententiā significauit de electiōe Iacob, & cōtemptu seu odio Esau, sic loquēs, Deus in p̄scientia sua, inquit, hūc scilicet Iacob elegit, alterū scilicet Esau spreuit. In illo quem elegit, propositū Dei manet, quia aliud nō potest euenire, q̄ scit & p̄posuit de illo, vt salute dignus sit, & in illo quē spreuit, solummodo manet propositū, q̄ p̄posuit de illo, quia indignus erit. Hæc ille. Vide loquutiōis seu sermonis differentia. In Iacob, inquit, propositū, vt salute dignus esset, non sic autē loquutus est de Esau, p̄posuit de illo, vt salute indignus esset. Sed manet, inquit, propositū de illo, quia indignus erit. Aliud est, vt salute dignus esset, Aliud quod salute dignus erit. Propositū de Esau manet, quia salute indignus erit, tanq̄ dicat, propositū in damnationē seruitutis & mortis manet super ipsum Esau, quia indignus erit, dum peccatū super ipsum manet. Deus ergo quasi p̄sciūs, quōd Esau indignus erat futurus, nō quē ipse faceret in dignū, p̄parauit illi interitū. Deus qui fecit Iacob esse dignū, non fecit ipsum Esau esse indignum. Ipse pro sua misericordia omnes electos facit dignos, sed nullos reprobos ipse facit indignos, & ita p̄parat Deus vasa cōtumeliæ in interitum, nō sola voluntate, quemadmodum figulus, sed & iustitia adiuncta est voluntati.

d iij His

Nota hic, quæ admodum gratia prima datur propter meritum.

Similitudo.

Dare gratiam cui est danda.

Concordia patrum in doctrinā p̄destinationis diuinæ.

Discrimē inter Deū & figulū.

Nota verba Ambrosij.

His similibusq; cōsideratis, lucidissima fiet Ambrosij doctrina, & Hieronymi in questione. 10. ad Hedibiam. Fausti quoq; in libro suo, de gratia & libero arbitrio, & aliorū, qui secundum præscientiā futurorū operū, definiunt electionē, prædestinationē, reprobationē, odium. Eritq; manifestū eandem doctrinā in omnibus esse consonā sententijs Aug. aliorūq; patrū in cōcilijs Milenitano, & Carthagenēsi, definiētiū cōtra Pelagij hæresim. Quod autē idem Ambrosius in cōmentarijs super epistolas Pauli, nō exactē sic expressit Pauli Apost. sententias de æterna prædestinatione & electione contra Pelagij hæresim, id partim fecit, quia opus non erat, partim de industria. Opus quidē non erat, quia articuli illius hæresis cōtra Christi gratiam, nondum venerant in disputationē, nondum exorta hæresis, & idcirco vel memoriā nō occurrēbat huiuscemodi errore, vel si occurrēbat, nō erat opus multum cōtra illos sollicitū esse, sed magis cōueniebat sententias accommodare pro cōcordia gratiæ, & liberi arbitrij, contra Manichæorū hæresim, cuius reliquie in illa vsq; tēpora remanserāt, & ita quasi de industria fecit sententias Pauli Apostoli vtiles & medicinales diffidētibus, ne putarēt liberū arbitriū auferri, & omnia sic pendere ex voluntate Dei, vt culpa nō in hominē, sed in Deū potius videretur reijcienda. Vnde super illo verbo Apostoli, Non est volētis neq; currētis, sed Dei miserētis. Donū, inquit, nō in volūtate petētis, sed in arbitrio dantis debet esse, cuius iudicio pēlari debet, an dandū sit, an nō dandū, ipse inspector cordis scit petentē, an hac mente pōscat vt mereatur accipere. Deinde adiciēs ad nostrū propositū. Quāuis periculosum, inquit, sit Dei iudiciū, discernere, tamen ppter diffidētis, vt mens eorū medelā sequi possit, ne putēt iudiciū Dei iniustū, dicentes, vnū vocat, alterū negligit, sic arbitantes excusari posse damnādos, rebus potius istud probeamus quā verbis. Duo fuerūt Dauid & Saul, vterq; necessitatem regni passus est, Dauid per patiētīā Deū sibi fecit propitiū, per quē sibi credidit regnū referuari. Saul autē non in tanta necessitate inuētus cum esset indignus, nō est exauditus, nec in potestate perstitit, vt meritū sibi faceret, quōd esset dignus. Hæc tenus ille.

Vides Ambrosium propter diffidentes attemperare sermonem suum, ne fortē per sententias etiam verissimas de diuina prædestinatione ac reprobatione dictas durē, & absq; necessitate arbitrentur culpā non homini, sed Deo tribuendam.

Sic docet venerabilis Augustinus in libro de prædestinatione sanctorū sermonem de diuina præsciētia, prædestinatione & reprobatione, sic esse adhibendum, ne vel ipsa Dei præsciētia redargui videatur, vel is qui audit imperitus forsitā, vel tardioris intelligentiæ in torporem, & segniciē adducatur. Quædam in se verissima, sic duriter, & improbē sunt dicta, vt nihil audientibus profint, sed obsint maximē. Ea quæ sunt de prædestinatione & reprobatione illic sunt dicenda, vbi quæstio, vtilitas, necessitas, vt dicantur impellit, atq; tunc etiā salubri, & apto eloquio sunt dicenda, ne hi qui capere nōdum possunt, aliqua falsitate inducantur ex eloquio verissimo. Si dixerimus hominibus. Qui in peccatorū delectatiōe adhuc remoramini nondum surrexistis, quia nōdum vos adiutorij Dei gratiæ miserētis erexit, siue curratis, siue dormiatis, quod vos præsciuit Deus, qui falli non potest, hoc eritis. Improbē, durē, & infalubriter dicimus, verum quidem dicimus, sed sic verum dicere audientibus nō prodest. Dolosi & imperiti medici est medicamentum vtile sic alligare, sic applicare, vt non profit, sed obsit.

Proinde vbi vtilitas aut necessitas cōpellit de his aliquid dicere, sic potius dicendum est, si qui adhuc in peccatorū damnabiliū delectatiōe remoramini, credite & apprehendite saluberrimā disciplinā, quod cū feceritis, cōfide, sed nolite extolli quasi de operibus vestris. Sic currite, vt cōprehēdatis, atq; in iplo cursu vestro, ita vos esse præcognitos, & Dei gratia adiutos noueritis, vel si quo alio modo præsciētia

præsciētia ac prædestinatio Dei possint vtiliter prædicari, vt segnitia hominis repellatur. Hactenus censura de Ambrosij doctrina, quam diuus August. contra Pelagium scribens luculenter demonstrat, in omnib⁹ ecclesiastica prædicationi, & determinationi patrum in cōcilio Milenitano conformem. Sic Hieronymus questione decima ad Hedibiam, & Faustus non ille hæreticus, contra quem Augustinus scribit, sed catholicus Galliæ episcopus in libro suo de gratia, & libero arbitrio scripturam Apostoli ad Romanos. 9. de Jacob & Esau aliter q̄ beatus Augustinus sunt interpretati, explicantes sententias Apostoli tales, quæ sint medicinales contra hæresim, quæ propter diuinam gratiam & electionem docebat sublatā esse pia liberi arbitrij studia, conatus, & opera, docentes Iacob, in quo figurabatur gentium populus non pro sola Dei miserētis voluntate, sed pro obedientia fidei atq; iustitia ab æterno præuisa esse prælatū ipsi Esau, id est populo Iudeorum, qui gloriantes in operibus legis, nō erāt credituri. Hæc sanctorum patrū interpretatio secundū sensum, quem ipsi intellexerunt respicientes, vel ad motū liberi arbitrij attracti à Deo patre ad credendū euāgelio, vel ad electionē qua quis eligitur ad vitā æternā, & odiū quo reijcitur in dānationem, nō aduersatur interpretationi venerabilis Augustini, cōsiderantis electionē hominum ad primam gratiā ex massa perditionis heri, absq; vllis eorū meritis, cōsiderātis etiā motum illū liberi arbitrij credētis euāgelio, esse ex speciali motiōe patris cœlestis, sic trahentis ipsum qualiter aptū nouit, vt obediat. Iam paucis ad Chrysost. sententias in argumēto citatas accedamus, capiētes ex supradictis diligēter cōsideratis singularum sententiarū intellectu. Idcirco alij mane, alij hora tertia, alij hora vnde cima sunt vocati, quia tunc erant obtemperaturi, intellige non solis suis ipsorum viribus, sed ex gratia Dei prædestinantis, id est, volentis, tunc ita vocare eos, taliterq̄e adiuuare illos, qualiter aptum nouerat vt vocati intusq; attracti spontaneē obedirent. Quod autē dicit, Deus Paulum & alios etiā ab initio vocare voluisset, sed præsciuit ab initio illos fore renitentes, ideo tunc vocauit eos, quādo sciebat eos obedituros, verissimē quidem dicit. Verum non ita oportet accipere, quemadmodum Pelagius intelligit, tanquam Deus scierit tantummodo, & ceu medicus quidam omnibus ex æquo propositus, expectet homines, qui ad se veniāt ad accipiendā medicinæ gratiā, sed intelligit, quod tūc De⁹ voluit vocare illos, quādo sciebat eos obedituros ex sua ipsi⁹ gratia illustratos ad cognoscendū gratiā, & ita vocationē suā penetraturā animas eorū, quos etiā sic pri⁹ vocare potuisset si voluisset, & pri⁹ sic etiā vocati obedissent. Proinde q̄ dicit Chrysost. pri⁹ vocati nō obedissent, nō intelligit de illa alta vocatione, quæ est secundū æternū Dei propositū sic vocātis, sicq; adiuuātis, qualiter aptū nouit, vt obediant. De quib⁹ Paulus, Diligētibus Deum omnia cooperātur in bonū his, qui secundū propositū vocati sunt sancti, sed de alia qualibet vocatione, qua multi vocantur, qui nō obediūt, de quib⁹ Christus, Multi sunt vocati, pauci verò electi. Cur autē noluerit sic prius vocare illos, vocatione illa alta, quæ est secundū propositū eius, mihi curiosē scrutari nō licet, qui deo iustū iudiciū Dei in omnib⁹ venerari & colere. Atq; ita habes ex scripturis sacris vocationē duplicē, quæ admodum & Aug. docet in lib. de prædest. sanct. Deinde Chrysost. cum dicit (generalem illā sciētiam mandatorū, quā quisq; cum crearetur accepit, esse gratiā, qua si bene vteretur, specialē mereretur sciētiam, qua cognosceret mysteriū regni cœlestis, de quo saluator, Vobis datū est nosse mysteriū regni dei) Verissimē quidē dicit, sed nō vult generalē illā sciētiam mandatorū esse gratiam Dei, vt redimentis, sed Dei vt cōditoris. Donis naturæ si quispiam bene vtatur, pculdubio meretur, sed ijs nemo sine Dei miserētis gratia, & sine iniitijs quibuldā fidei valet bene vti. Exemplū patet in Cornelio Cen-

Sententia patrū de prædestinatione electorum.

Contra Pelagij hæresim non erat opus tā exactē disputare, cum nōdum hæresis illa fuerit exorta.

Quædam in se verissima pleurūq; durē ac improbē prædicantur.

Duplex scriptura vocatio.

Chrysost. de gra. & libero arbit. nusquam errauit.

turione, & in Apostolis, quibus pro bonis ipsorum volūtātibus, iam quadā gratia prauentis & humiliatis, dignatus est Deus exponere & reuelare Christi redimentis mysteria. Chrysoft. in fide Christi solidissimus, quanq̄ nō tam exacte, tanque expressē loquutus sit contra Pelagianas hēreses, nondū certē suo seculo exortas, nequaq̄ tamen, quemadmodū & August. demonstrat, ipse in aliquo vsipiā cōsentit in falsam Pelagij sententiam, optimē sciens, nō esse vllum hominis meritum, quo quisipiā ex impio fiat iustus, firma fide tenens in Adā, iuxta Apostolorū doctrinā, vniuersum genus hominum perijsse, ipso dicēte in cōmentarijs super Genes. Nos ob primi parentis inobedientiam destitutos à principatu reptiliū & ferarū factos iam esse mortales & exules à paradiso, in quā nō reparamur, nisi per spiritū fidei in Christum saluatorē. Neq; ipse Chrysoft. vsipiā docuit vires liberi arbitrij sine gratia sufficere ad habendū hīdē, qua sumus Christiani. Non enim ignorabat scripturas, quibus docetur, fides esse donū Dei, nō ex operibus, & hoc esse opus Dei, vt credamus in eum. Vnde homilia. 44. super Ioan. tractās illud, Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis nō reuelauit tibi. Hęc, inq̄, significāt nō paruā rem esse fidem, sed superno indigere auxilio, quod per totum euangeliū generosē cuiusdam animæ & inspirationis diuinæ esse contendit. Nemo potest venire ad me, id est, credere in me, nisi fuerit illi datū à patre meo, hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quē misit ille. Deinde obijciens sibi, Si omne quod dat pater venit ad te, & quoscunq; traxerit, & nemo potest venire ad te, nisi datum sit illi desuper, consequens erit eos non teneri vllō crimine, quibus nō dat pater. Soluit. Verba hęc, inquit, inania sunt & friuola. Opus enim est voluntate nostra, Doceri & credere voluntatis opus est. Qui se ad accipiendū dignum exhibet, ipse accipit. Hactenus ille. Item homilia. 46. Non vi & necessitate quadā Deus bonos facere consuevit, neq; electio eius violēta est, sed suauis. Scripsit quidē Chrysoft. multa de libero arbitrio, non cōmemorata gratia, vbi nō erat opus eam cōmemorare, cōtra Manichæum differens, ex quibus prauē intellectu, Pelagius canabatur suas falsas stābilibre sententias. Proinde Ecolampadius contēnens omnem venerandā patrum antiquitatem, scripta beati Chrysoft. in dignis cōtumelijs vitiauit, diuersis annotationibus in margine designatis, quib⁹ arrogāter asseruit beatū Chrysoft. de gratia & libero arbitrio errauisse, multaque dixisse pro fauore liberi arbitrij, in ipsius gratiæ iniuriā, q̄ sanē de beato viro scribente cōtra Manichæos liberum arbitriū negantes, est impudentissimū. Neq; enim idcirco gratia negatur, q̄ liberū arbitriū, tacita gratia, defenditur. Quemadmodū & Aug. ipse, anteq̄ exorta esset Pelagij hēresis, multa scripsit de libero arbitrio verissima, in quibus, quia gratia Dei cōmemorata nō erat, putabāt Pelagi⁹, suiq; cōplices hominē per liberū arbitriū, sine gratia posse talia facere, vtpote incipere, credere, bene viuere, orare, inuocare. Quamobrem & ipse Aug. cum iam exorta esset Pelagij hēresis, suas sententias retractat, non tanq̄ falsas reiiciens, sed eas declarans & elucidans, in eo solum confitens suum errorem, q̄ ante episcopatū putauerit situm esse in virib⁹ liberi arbitrij, credere euangelio prædicato, absq; alia Dei gratia.

Verissimē dicimus nostrum esse incipere, & credere, obedire, pulsare, petere, inuocare, quia talia non sunt sine nostro arbitrio, cum sint nostri arbitrij opera. Sed vt hæc libera voluntate faciamus, misericordia Dei praueniens, intus vocās, & suggerens operatur, largiens spiritum fidei. Sic August. suam sententiā, quam asseruerat contra Porphyrium, retractat in libro de prædestinatione sanctorum, & in libro retractationū. Quod dixi, inquit, tunc voluisse Christum apparere hominibus, & apud eos prædicari doctrinā, quando & vbi sciebat fore homines, qui in eum fuerāt credituri. Verissimē quidē, inquit, dixi, sed nō ita est accipiendum, quod

quod Deus tantūmodo præcierit, quod ipsi ex seipsis essent credituri, & à seipsis fidē habituri, sed intelligere oportet, quod & Deus preparauerit eos, quibus ipse fidem donaret. Prædestinatio significat Deum non solum, vt futurorū præscium, quemadmodum dixit Pelagius, sed etiam vt causam eorum, quorum est prædestinatio. Verissimum quidem est, quod salus religiōis huius nulli vnq̄ defuit, qui dignus fuit, sed nō ita oportet accipere, tanq̄ quis sua voluntate se dignū faciat absq; gratia & prædestinatione diuina. Hunc in modum interpretanda sunt omnium scripturarum sacrarum & ecclesiasticorum patrum dogmata, quibus non commorata gratia, liberum arbitrium, aut inuenitur, aut demonstratur aliquid boni incipere & agere, veluti cum dicitur, Deus inuenit eos dignos se, apparet illis, qui fidem habent in illum. Si credideris in illum, saluus eris, propē est omnibus inuocantibus eum. Quis sperauit in Domino & confusus est? Hęc & id genus alia, non sunt intelligenda, quod homines absque gratia Christi, vel sint, vel fiāt digni, aut quod absque gratia fidem habeant, aut inuocent nomen Domini, aut sperent, aut recti sint corde, sed significantur hęc omnia, quę exiguntur à nobis esse opera nostra voluntatis, prauentē atque adiutæ adiutorio Dei miserentis.

Ad id quod postremo in eodem argumēto. 3. adijcitur, ex beato Prospero scribente ad Augustinum, quod nullus vnq̄ ecclesiasticorū patrum sic intellexerit, ex doctrina Pauli propositum vocatiōis Dei, quo ante mundi constitutionem facta sit discretio electorum à non electis per preparatam electis gratiā proueniens omnia eorundē electorum merita, Dicimus beatū Prosperum nō sic, sed aliter significare, asserentē multos seruorum Christi in vrbe Masiliensi cōstitutos, putare doctrinam Augustini de vocatione electorū, secundum æternū Dei propositum sic eligentis, aut reiiciētis, esse contrariā opinioni patrum, & ecclesiastico sensui. Demus illos in Masilia constitutos affirmasse à nullo vnq̄ ecclesiasticorū doctrinā Pauli sic esse intellectam, & doctrinā Augustini hac in parte esse contrariā ecclesiastico sensui. Non oportet inde consequens esse, q̄ ergo doctrina Pauli nō fuerit ab vllō ecclesiasticorū sic intellecta, aut quod eiusdem Augustini doctrina fuerit contraria ecclesiastico sensui. Nam & illi serui Christi in Masilia vrbe constituti, & alij multi intra Africam, non planē intelligebant super huiuscemodi electione priorum patrum sententias, neq; Augustini doctrinā, sed de hoc latius infrā in. 3. cap. partis sequentis. Vnde & ipsum August. adhuc viuētē non latuit intellectus prauus quorundā monachorum, qui propter Dei gratiā & prædestinationem sic ex scripturis sacris à se traditā & declarata, opinabantur sublatum esse liberū hominis arbitrium, vt patet ex epistola eiusdem Augustini ad Valentinum, in qua & ipse planē instruit ac docet eosdem monachos, tradens gratiam simul & liberum arbitrium ex scripturis sacris oportere defendi. Ex eo autē quod super epistolas Pauli interpretatio Chrysoftomi, Ambrosij, & ceterorum patrum ante exortā Pelagij hēresim scribētium, non sic in omnibus sit consona interpretatiōi Augustini scribētis cōtra Pelagij dogmata, studiosus & pius scripturarum lector turbari nō debet, quandoquidem & vtriusq; partis sententiæ collectę ex Apostoli Pauli doctrina sint catholica, salutare, verissimæ, & fidei consonę. Spiritu sancto prouidente factum est magistrorum interpretantium sententias super eundē scripturæ locum esse varias & multiplices, concurrentes tamen omnes in vnitatē fidei catholicæ, quemadmodum August. docet in libro de doctrina Christiana, quod & latē, longeq; demonstraui libro secūdo de ecclesiasticis scripturis, & dogmatib⁹. Ad doctrinam Faustī, qui profus videtur reprobare interpretationem August. patebit responsio in examinatione secundi argumenti capituli sequentis.

Ad quartum argumentū, dicimus voluntatem Dei esse rationabilem, nō quod aliquid

Fides Dei donū esse intellexit Chrysoft.

Obiectio.

Solutio.

Impudentissime meminitur hęc reiici huius seculi in Chrysoftomum, ceterosque patres.

Nostrum est credere & orare, sed non absque Dei gratia.

Adhuc viuente Augustino erat qui ex doctrina eiusdē putabat sublatum esse liberū arbitriū.

aliquid sit Deo, ratio, seu causa volendi. Nihil est causa, actus, voluntatis illius, qui est sempiternus & increatus, nulla est ratio mouens, propter quam incipiat velle, sed idcirco dicitur rationabilis, quod ipse vnū vult esse rationem, seu causam alterius, sicut Deus vult pluuiam propter nos, id est, vult pluuiam propter nostram vtilitatem, sicut creauit de terra medicinam propter sanitatem hominis. Huius autem, quod est medicinam esse propter sanitatem homini vtilem, non oportet aliam causam creatā inquirere, cum homo sit finis vltimus corporalis creaturæ, in cuius ministerium sunt corporalia cuncta ex ratione diuinę sapientię condita. Proinde argumentum recte concludit aliquam esse rationem diuinę prædestinationis, electionis, ac reprobationis, quia voluntas Dei cum in omnibus sit rationabilis, maxime in his, quæ erga hominum genus facit, est rationabilis, operās semper, aut secundū rationem suæ iustitiæ, aut secundū rationem suæ misericordiæ, & bonitatis, quemadmodū docet vas electionis, apostolus Paulus ad Romanos. 9. appellans prædestinatos vasa misericordiæ, reprobatos autem vasa iræ. Sed non inde consequens est rationem hanc prædestinationis esse meritum hominis, quia vbi sola misericordia, ibi nulla sunt merita. Deinde diuina bonitas in Deo, quamuis sit ratio quædam propter quam ipse quosdam prædestinauit, & diuina iustitia in Deo sit ratio propter quam quosdam reprobauit, nō tamen oportet inde consequens esse eandem bonitatem esse rationem in Deo, quare hunc magis, q̄ illum prædestinauerit. Potest quidem ratio æterna in Deo præuidisse aliquod futurum temporale bonum iunioris natu quod non erat sequiturū ex voluntaria electioe maioris natu, & secundum hanc rationem potuit Deus ad fidē elegisse Iacob potius quā Esau, sed non oportet talem esse rationem. Ambo etenim fuerūt æqualiter rei. Ibi enim, vt inquit August. locum habet, An non licet mihi facere quod volo: Creditor pro simplici suo beneplacito inter æqualiter debitores potest vni gratiam facere, & ab altero iustum debitum exigere. Proinde si ratio Dei æterna præuideat aliquas vtilitates futuras in vniuerso, propter quas inter æqualiter indignos, vnum magis quā alium ad primā gratiam ac vitam ordinat, nobis illas scrutari curiosē non licet, quod talis ratio est inter occulta Dei iudicia, de quibus scriptura, Iudicia Dei abyssus multa. Ad id autem quod August. dicit, voluntas in Deo qua vnum eligit, alterum reprobatur, non potest esse iniusta. Venit enim de occultissimis meritis, dicit magister sententiarum dist. 40. primi. Hoc dictū esse ab Augustino retractatum in suo simili. Verum donemus id retractatum nō esse, ita potest interpretari, vt veram contineat sententiā, acceptis vocabulis electionis, & reprobationis, vt significant diuinam voluntatem relatam, nō ad totā congeriem effectuum, sed aliquem particularem effectum, vt prædestinare sit velle dare vitam æternam, reprobare autem velle, non dare. Vis secundū quam opera nostra sunt meritoria, est occultissima, intusq; latet, atque ita electio ad vitā æternam est ex meritis occultissimis. Et quod in argumento assumitur in homine, qui propter sanitatem ambulat, amor seu desideriu sanitatis est causa motiua, ex qua incipit homo velle ambulare. Ita & amor Dei, quo vult homini vitā æternā dare, videtur esse causa motiua, ex qua vult eidē homini dare gratiā. Dicimus consequentiā nō valere, quia velle finē, nō est Deo causa volendi ea, quæ sunt ad finem, nempe quemadmodū diuinus intellectus vnico simplicissimo intuitu seu conspectu intuetur in sua essentia omnia præterita, præsentia, & futura, vnica simplicissima visione, vidēs præmissas esse conclusionū causas, Ita & diuina voluntas, vnico sempiterno actu immobili, vult in rebus à se conditis esse ordinē, & vnū esse finē, aliud medium ad huiusmodi finem, vnum esse causam efficiētē, aliū effectum, vnum esse meritum, aliud præmium, vnum esse dispositionem, seu preparationē, aliud

aliud formam. Verum proinde est Deum homini prædestinato dare primā gratiam propter vitam æternam, in quam tanquam in finem ordinat gratiam datam, sed non inde consequens est, quod voluntas dandi vitam æternam, sit Deo causa volendi dare primam gratiam.

Ad quintum argumentum patet solutio ex supra dictis, nihil enim aliud ex his quæ sunt in argumento assumpta cōcludi potest, quā in ordine, seu congerie effectuum reprobationis, vnum esse meritū, aliud præmium. Deus neminem odit, id est nemini vult malum pœnæ, nisi propter malum culpæ quam ipse, neq; vult, neque condidit in homine. Quemadmodum autem reprobato est præparatus in teritis dānationis propter causam præuisam in illo, quæ est originale, vel actuale peccatum, Ita & prædestinato est præparata vita æterna propter causam præuisam in illo, quæ est finalis gratia. Proinde miserationis, & indurationis vocabula, si ab Augustino pariformiter acciperentur, congruē etiā possemus dicere, miserationis, meritum, quærimus & inuenimus in quibusdam, miserationis, inquam, qua prædestinatus coronatur corona glorię propter bonum cursum, bonum certamen in præsentī vita. Verū quia bonus iste cursum fit ex gratia Dei miserentis, & cooperantis libero arbitrio, Idcirco & corona hæc iustitię, dicitur etiam corona miserationis & misericordiæ, dicente propheta, qui coronat te in misericordia & miserationibus. Proinde August. recte dicit miserationis meritum quærimus, & non inuenimus, miserationis inquam ad primam gratiam, meritū autem obduratiōis, qua quisq; obduratur, sicut Pharao, est antecedens peccatum illius, etiam obduratiōis, qua Deus nō vult misereri ad dandū gratiam primam, veluti in paruulis est meritum alienæ volūtatis per quam paruulus habet originale peccatum. Ad id autem quod August. dicit. Deus iuste reprobauit Esau, iuste inquam, id est iudicio iusto, & æquissimo nobis occultissimo. Dicimus hoc verum esse, si iustitia Dei erga Esau intelligatur relata ad aliquē particularem reprobationis effectum, quem Deus præparauit ipsi Esau propter eius peccata. Vnde excæcari, indurari, tradi in reprobum sensum, reijci in damnationis interitum, sicut Pharao, sunt ex iustitia Dei, antecedentia peccata, puniētis. Quemadmodum autem Pharao fuit à Deo excæcatus, induratus, traditus in reprobum sensum propter malum ipsius meritū, quo meruit hæc pati. Ita & Esau fuit sic reprobatus, id est, derelictus, traditus in reprobum sensum, propter antecedens meritum in illo præuisum, & hæc causa erat occultissima, quia nota soli Deo erāt opera illius futura, quę postea patuerunt alijs. Rursus potest & iudicium Dei æquissimum intelligi, tam in prædestinatione Iacob, quā in reprobatione Esau, non quo Deus prædestinat & reprobatur secundum merita præuisa, sed quo secundum suam sapientiam sic, vel sic vult congeriem effectuum prædestinationis in Iacob, & non in Esau, propter rationes & causas finales sibi notas, & nobis incognitas. Possunt enim ratioēs & vtilitates diuinitus esse præuisę, cur iuniorē elegerit, & reprobauerit seniorē, magis in hoc cōmendatur Dei gratia, ne si eligatur maior natu, videatur electio priuilegio natiuitatis facta, quāuis autē id quod est temporale nō sit causa eius, quod æternū est. Ad id tamen quod temporale est, respicit æterna ratio, secundū quam vult Deus totum prædestinationis effectum in prædestinato.

Ad sextum argumentum dicendum, quod consequentia non valet. Solum consequitur ex antecedente, quod ignorantia incredulitatis fuerit ratio propter quam Paulus fuerit consequutus misericordiā, sed non inde sequitur eandem ignorantiam fuisse rationem propter quam fuerit prædestinatus. Deinde Paulus non intendebat, quod opus suum malū ex ignorantia factū fuerit in eo, causa meritoria assequutiōis misericordię diuinę, sed quod ipsa ignorantia cōditio extiterit p̄ctūm alleuians,

Voluntas diuini beneplaciti semper rationabilis

Corona iustitiæ eadem est & corona miserationis.

Quomodo volūtas finis in Deo sit, ratio propter quam vult mediā in finē.

Quomodo Paulus misericordiam consequutus est quia ipse ignorans seccauerat.

alleuians, sine qua veniã non obtinisset. Gratia enim qua iustificatur impius gratis omnino impenditur absque meritis accipientis. Et quia est supra facultatẽ humanã voluntatis à solo Deo infunditur, dicẽte Apostolo, Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Proinde non potest talis gratia habere causam efficiẽtem, nisi Deũ solũ. Verũ quemadmodũ in rebus prophanis eius, quod fit non à nobis, sed ab altero bifariã nos dicimur esse causã, scilicet, aut quia meremur, vel impetramus illud ab altero fieri, aut quia præparamus materiã, aptamq; facim⁹ ad suscipiendũ illud, & vtroq; modo nos aliqd operamur, apteq; dicitur, quod ab altero fit, propter opus nostrũ fieri. Ita illius quod à solo Deo producitur, possumus etiam assignare creatã causam efficiẽtẽ improprie dictã, videlicet meritoriã seu impetratoriã & dispositiuã, seu præparatoriã materiã. Quemadmodum causã creatã præparat materiã ad animã rationalem, quã à solo Deo infunditur. Ita voluntas humana cœlitus adiuta, præparat suam animam ad gratiam, quẽ à solo Deo infunditur. Et ita manifestum est, quod & si fides, seu iustificationis gratia, habeat à libero prædestinati arbitrio præparationem, quã est dispositio ad gratiam, non tamen inde consequens est, quod ipsa fides, seu iustificationis gratia habeat in prædestinato meritoriã causam, quia ipsa fides principiu est meritoriu, ante quam nihil homo mereri potest. Istius tamen contrarium asseruerunt hæretici cõtra doctrinam Apostolicam, cuius scopus est, ostendere nulla esse merita fidei vocationis, seu iustificationis nostrã.

Conformiter ad hanc doctrinam beatus August. contra eosdem disputat hæreticos, in libris de prædestinatiõne, & in alijs suis scriptis. Nihilominus etiam probans, quia præparatio humanã voluntatis ad gratiã necessaria, quã non meritum est, sed dispositio quẽdam subiecti, nequeat esse à libero arbitrio, absque gratuito auxilio Dei prædestinantis & adiuuantis, quia præparatur, inquit, volũtas à Deo. Operatio ergo meritoria seu impetratoria fidei, aut iustificatiõis, quanquã nulla sit in prædestinato impio adhuc pagano, eo quod sine fide, sicut nec orare, ita nec impetrare quicquam valeat. Vtique tamẽ in viro sancto potest esse meritum seu ratio, cuius precibus pro impio condescendat Deus. Sic precibus Stephani, pro suis lapidatoribus orantis, Paulus consecutus misericordiam videtur. Dispositio ad iustificationis gratiam necessaria, est motus liberi arbitrij ex fide quadam in Deum detestantis peccatum, quo fit, vt iustificationis gratia exigat quẽdã liberi arbitrij motum, qui secundum naturam prior est gratia iustificante. Verũ hoc motu liberi arbitrij secundũ naturam prior est motio seu tractus Dei liberũ arbitrij excitantis & afficientis, vt credere velit. Vnde sequitur prædestinatum ex motu quodã fidei posse sibi impetrare gratiam iustificantem, & non solum illam, sed suã & fidei augmentum. Sic legũtur fideles Apostoli ex fide dominum orasse, dicentes, Domine adauge nobis fidem. Et pater pueri lunatici ostendens fidem, dicens, Credo domine, perfici tamen eandem optauit, adiungens, Adiuua incredulitatem meam. Sic etiam per opera ex fide quadam implicita, facta præparare, & disponere se quis potest ad fidei perfectioris initia, & per ea rursus in perfectã consummatamq; proficere. Quemadmodum legimus Cornelium Centurionem orationibus & eleemosynis meruisse fidei illuminationem, per Petri prædicationem suscipere, per quam crederet Iesum esse Saluatorem mundi, qui tamen sine aliqua fide nec orabat, nec eleemosynas erogabat.

Iam si roges, an quispiam nondũ illustratus vllis fidei iniitijs, posset sese ad fidei initia præparare. Respondebitur forsitan omnem hominem, habentem liberi arbitrij vsum, iam habere Deũ vtcunq; intus loquentẽ per lumẽ rationis internã testificantem de gratia, misericordia, & iustitia super peccatores, ad quem consulendum,

Iendum, si ad cor suum quisque intus rediret, satis audiret Deum vocantem atq; inuitantem, ad accipiendum quãdam initia fidei iustificantis. Sic sunt venerabiles quidam patres piẽ sentientes de diuina gratia omnibus parata, qui credunt omnes iam tam sufficienter vocari atque inuitari, vt valeant sese accommo- dare ad accipiendum quãdam fidei initia, de qua re satis differui in libro, De captiuitate & redemptione humani generis. Sed vtcunq; sit, hoc debet esse ex ecclesiastica prædicatione manifestum, quod nemo potest sese accommo- dare ad accipiendum fidei iustificantis donum, nisi sit gratuita Dei suasio, seu testi- ficatio idonea, qua moueatur vel ad credendum, vel ad cogitandum & consulendum super his, quã testificantur. Fidei donum nemo accipit, nisi qui vult cre- dere, & sese ad ea, quã sunt fidei, docilem reddit, vt autem sic velit, præparatur voluntas à Domino. Si qua ergo videatur ante fidem dispositio aut ratio in præ- destino, propter quam donatur fidei spiritus, illa dispositio est ex gratuita sua- sione Dei vocantis, atque ita est effectus diuinã prædestinationis, sine qua etiam nec possumus de his, quã fidei sunt, cogitare aliquid piẽ, aut deliberare. Da- turque fides propter illam dispositionem, non tanquam præmium propter me- ritum, sed tanquam forma propter præparationem materiã. Vocatio seu sua- sio fit, vt anima præparetur. Præparatur autem, dum vocata non reluctatur, sed ea quã sunt fidei, piẽ cogitat, auscultat, consentire incipit. Neque enim Deus fidei spiritum infundit, nisi in animam sic præparatam, qui & plerunq; subito atque in momento totum simul inspirat. Quod si ante gratuitam vocationem, suasionem, inuitationem Dei, secundum suam prouidentiam, ad largiendum fidei spiritum, dirigat liberum arbitrium hominis adhuc contemnentis fidem, aut nihil adhuc de his quã sunt fidei cogitantis, directio hæc diuina, vt nec di- gnitatem, nec meritum, ita nec in anima dispositionem ad habendam fidem sup- ponit, sed vel negat, aut priuat actualem fidei contemptum, vel ponit quãdam conditionem alleuiantem peccati grauitatem, ob quam congruum videatur di- uinam benignitatem facilius ignoscere, præsertim si sanctorum preces accesserint. Talis conditio est ignorantia, talis est & zelus ex ea procedens vtcunq; pius in Deum, similiter & intentio boni finis in opere malo, quod malum esse ignoratur, sicuti Paulus, vt iam diximus, misericordiam consequutus est, qui pri- us fuit blasphemus, & persecutor, & iniuriosus, quia ignorans fecit in incredu- litate, primã ad Timot. pri. Fuit quidem opus eius in se malum, sed animus ma- lum hoc non iudicabat, quia zelus legis Dei eum accenderat, non ambitio, aut dominandi cupiditas, sed nec inuidia, quibus vitijs laborabant illi, quos Iesus antea hypocritas appellauerat, & multis modis iuste reprehenderat. Atque ita Paulus, dicens se misericordiam consequutum, quia ignorans fecit, & cæt. Non vult quod ignorantia in eo fuerit causa dignificans, sed quod fuerit tantum conditio, peccatum alleuians, sine qua ipse omnino indignus, veniam non obtinisset, propter quam oratio Stephani erat illi diuinitus applicanda, quemad- modum solet dici, Stephanus si non orasset, ecclesia Paulum non haberet.

Vnde & Beda super illo verbo Saluatoris, Pater ignosce illis, quia nesciunt, & cæt. Pro illis, inquit, rogauit Christus, qui nesciebant quid facerent, zelum Dei habentes, non secundum scientiam. Nec tamen huiusmodi ignorantia æquẽ omnibus est causa, veniam obtinendi. Multi enim qui Apostolos persecuti sunt & occiderunt, arbitrati forsitan obsequiũ se præstare Deo, in sua cæcitate relictĩ sunt. Multi denique, qui cum Paulo persecuti sunt sanctos, & forsitan minus q̃ Paulus peccauerunt, permanserunt in sua ignorantia, quibus datum non est, vt crederent, quod Paulo donatum precibus beati Stephani ecclesia constiterit.

e Ad confir-

*Sicut causa
creata præpa-
rat materiã ad
suscipiendã ra-
tionale animã,
quã a solo Deo
infunditur, ita
voluntas præpa-
rat animam ad
suscipiendã gra-
tiã à solo Deo
dandam.*

*Quomodo fides
datur propter
preparationem
voluntatis.*

*An quis possit
sese ad initia fi-
dei præparare.*

*Precibus Ste-
phani Paulus
consequens est
gratiam.*

Ad confirmationem dicimus argumentum hoc concludere, non quòd in prædestinatis à libero eorum arbitrio, sed quòd ab alterius iam iustificati libero arbitrio, sit aliquod opus, quod sit ratio aut fidei, aut primæ gratiæ, ad quam Deus illos ab aeterno prædestinauerit.

Concedimus itaque, quòd iustorum deprecatio, est ratio aliqua donationis gratiæ iustificantis, in alijs adhuc nihil de gratia illa cogitantibus, sed impetratoria tantum, & hoc interdum, quia non æqualiter semper sancti, pro æquè indignis exaudiuntur. Verùm tamen non inde sequitur, iustorum deprecationem esse causam meritoriam seu impetratoriam totius effectus prædestinationis Dei prædestinantis. Nempe & ipsa deprecatio iusti, vel iustorum præuisa à Deo inter effectus prædestinantis Dei, computatur ordinata, disposita, & præparata in ipsius impij iustificationem. Deus enim qui finem præordinauit, ipse & media omnia, ad talem finem præparauit. Sic legimus, Quòd si in Sodoma & Gomorra fuissent inuenti decem iusti, peperisset Dominus ciuitatibus illis, Genes. decimo octauo. Sicuti & suscepit preces ipsius Loth, vt non subuerteret, urbem, pro qua loquutus fuerat, Genes. decimono. Sic & orante Abraham, sanauit Deus Abimelech, & vxorem, ancillasque eius, & pepererunt, Genes. vigesimo. Item orante Moyse, placatus est Dominus ne faceret malum, quod loquutus fuerat contra populum suum, Exodi. 32. Sic etiam legitur Dominus dixisse ad amicos Iob, Iob seruus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia. Hoc etiam modo Iacobus Apostolus in sua canonica dixit. Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, multum valet deprecatio iusti assidua. Ex quibus authoritatibus, & si probabile fiat à rationabili creatura, quasdam operationes fieri, vt puta preces, vel orationes, vel etiam elemosynas, propter quas Deus saluet, aut iustificet impium. Nihilominus tamen idem impius gratis iustificari dicitur, quia quòd tales preces sint futurę, tanquam causę impetratorię, quarum intuitu Deus illuminet impiorum corda, à Deo prædestinante, & ordinante præparatum est. Pro regula itaq; in hac materia tenendum est, quòd Deus in sua præscientia, & prouidentia habet omnes causas, operationes, & dispositiones ordinem habentes ad finalis iustificationis gratiam, cuiusuis prædestinati, & idcirco quicquid gratiæ est in homine iustificando, quicquid etiam beneficit ab eo, vel quicquid ab alio corripiente, admonente, vel orante sibi impeditur, id totum procedit ex æterna præscientia, prouidentia, prædestinatione, seu ordinatione Dei ab aeterno proponentis, vel disponentis hominem talibus medijs, taliq; ratione iustificare.

Ad septimum argumentum dicendum est, quòd consequentia non valet, quia sicut in maioribus peccatis quis sit, siue in minoribus, indignus tamen est ex se qui misericordiam consequatur, quamquam maioribus criminibus inuolutus magis sit indignus. Iam non consequitur, iste est magis indignus, quam alter, ergo alter est dignus. Plerumque magis indignus iustificatur prætermisso minus indigno.

Ad verbũ Augustini dicentis. Præcedit aliquid in peccatoribus, quo quãuis nondum sint iustificati, digni tamen efficiuntur iustificatione.

Respondeo, Hoc Augustini dictum non obuiare suprã dictis. Nam & in homine nondũ iustificato, si præcedit aliquid quo ipse ex se indignus, dignus efficitur iustificatione, id etiã est effectus prædestinationis diuinę, operãtis, in homine uocatione, suasionẽ, inspiratione, & liberi arbitrij motũ. Deinde pro intellectu verbi August. hoc aduertat, aliud esse in homine nõdũ iustificato præcedere aliquid quo

quo dignus est iustificatione: Aliud in eo præcedere aliquid, quo dignus efficitur iustificatione. Præcedit in homine nondum iustificato spiritus sancti operatio, qua nondum dignus, efficitur dignus: veluti cum ex non credente, sit creditus: aut dum oratione, aut supplicatione gratiam postulat sibi misericorditer donari, quemadmodum in Publicano in templo orante accidit.

Ad dictum prophetę dicentis, Non audiuit populus meus vocem meam, & dimisi eos, & cæt. Respondeo hoc non concludere, quòd inobedientia populi audire nolentis vocem Dei, sit causa, propter quam populus ille fuerit secundum æternam Dei præscientiam reprobatus, sed solum concludit, quòd inobedientia illa fuerit causa & meritum, quamobrem populus ille fuerit derelictus, destitutus protectione diuina. Ad tertiam confirmationem, qua dicitur. Deus præuidens ex duobus æqualiter indignis alterum futurum obedientem prædestinauit illum ad gratiam primam, qua moueretur in vitam æternam.

Respondeo. Non idcirco prædestinauit Deus suos electos, quia præsciuit illos obtemperaturos, & obedituros, sed prædestinauit illos, vt obedirent, & crederent ex gratuita eius motione. Ceteros autem reprobauit, non quia præuidit illos fore rebelles, sed reprobauit illos, non volens taliter misereri ac trahere illos, qualiter aptum nouerat, vt obedirent. Deinde argumentum solum probat particularem prædestinationis effectum habere causam, aut meritoriam, aut motiuam, quod tanquam verissimum conceditur. Nam & ipsa vita æterna potest habere causam meritoriam, obedientiam humanę voluntatis rectę & salubriter obediens euangelio. Verùm hæc salutaris obedientia meritoria non esset, nisi Dei voluntas ad illam obedientiam, hominem sua gratia illustrando destinaffet & præparasset. Quòd si hæc salutaris obedientia à Deo præscita, sit causa vitę æternę meritoria, non tamen est meritoria causa primę gratiæ danda, licet fuerit bonum opus, ad quod Deus gratiam illam dandam ordinauerit. Ita quòd secundum naturam prior hominis voluntate intelligatur esse motio Dei in sui obedientiam, subijcientis sibi humanam voluntatem. Hęc est definitio patrum in concilio Mileuitano.

Motio Dei gratuita est secundum naturam prior motu uoluntatis creditur aut puniretur.

Proinde si ex fide quadam, nondum charitate uiua prodeat obedientia quędam, seu ratio impetratoria, ex qua homo nondum iustificatus, dignus efficitur iustificatione tam fides illa, quam obedientia & desiderium remissionis peccatorum sunt ipsius prædestinationis effectus. Atque ita homo non est prædestinatus propter illa, non igitur quispiam est prædestinatus, quia est obediturus: sed idcirco est obediturus, quia est prædestinatus vt obediret. Pariformiter inobedientia & rebellio, & si sint causę meritorię desertionis seu subtractionis diuini auxiliij, & æterni supplicij, non tamen sunt causę meritorię, propter quas Deus permisit, aut permittit voluntatem inobedientem & rebellium cadere in ipsius inobedientię ac rebellionis culpas, aut in primum peccatum. Permittere autem hominem habere primum peccatum, aut cadere in ipsum, non est propter vllum opus prodiens ex ipsius libero arbitrio, quòd sit huius permissionis, aut huius primi peccati in eodem homine meritoria causa, cuius merito videlicet ipse homo permetteretur, & vt ita dicam, traderetur à Deo in huiusmodi peccatum, quia tunc hoc opus præuium esset culpa & peccatum, eo quòd puniatur à Deo per subsequenter culpam, quod dicere inconueniens est, eo quòd ex illo sequeretur ante primum peccatum in homine esse culpam, quod est impossibile.

Ad octauum argumentum quo dicitur, ex scripturis sacris manifestum esse ad iustificationem impij necessarium esse motum liberi arbitrij creditis in eum, e ij qui iustifi

qui iustificat impium, & poenitentis de peccato suo.

Ad octauum argumentum Respondeo. Sine controuersia tota Christianorum schola tradit per motum fidei, per contritionem seu interiorem poenitentiam peccata remitti. Ecclesiastica praedicatione definitum est tam iustificationem nostram quam perditionem, non sic pēdere ex sola uocatione, praedestinatione, aut reprobatione seu uoluntate Dei, quin etiā opus sit uoluntate hominis liberē credentis, cōsentientis, obediētis, & à peccato resiliētis. Sed hęc supradictis non obuiant, quia motus liberi arbitrij, quibus aut praeparantur corda, aut delentur peccata, & promeretur uita aeterna, non sunt folij liberi arbitrij opera, sed diuinæ motionis ac inspirationis opera, aut effectus gratiæ iustificantis data in ipso iustificationis momento.

*Motus quidem imperfecti, prior, & gratia iustificante, non sunt absque uocatioe Dei au-
kilo.*

Motus enim imperfecti gratia illa iustificante priores, quę sunt praeparationes quaedam seu dispositiones ad gratiam iustificantem, sunt etiam à diuina gratuita motione Dei. Ex quibus liquidum est primum in iustificatione impij esse actionem Dei, seu motionem excitantis liberum arbitrium, ut credendo in Iesum poeniteat ueteris uitae. Diximus autem de his latius in libro de captiuitate & redemptione humani generis, in capitulo de praeparatione ad gratiam. Patet igitur, quod obedientia Iacob non fuit totius effectus praedestinationis causa, cum & ipsa obedientia sit etiam praedestinationis effectus, sic nec rebellio fuit reprobationis totalis causa in Esau. Ceterum & hic sciendum, quod illa quę in argumento assumpta sunt, non habent ueritatem in praedestinatīs paruulis, amentibus, uel fatuis, qui aut in iustificationem, aut in perditionem ueniunt nondum potentes consentire, aut contemnere suis uolūtātibus. In talibus reprobatis nondum propria uoluntate peccantibus, declarare nobis uoluit Deus, quā magnū misericordiæ suæ beneficium ipse praestet adultis, electis plerisque, qui non solum originale contraxerunt, sed & originali multa crimina ex propria uoluntate addiderunt. Manifestum tamen est adultum non iustificari absque motu propria uoluntatis, uoluntariē credentis, uoluntariē obediētis euangelio, uoluntariē abrenuntiantis seculo, testantibus id scripturis apertissimis, quibus Deus per omnem locum ab homine, qui iustificandus est, exigit ut credat euangelio, ut poeniteat, & conuertatur. Sed hęc uoluntas nulla esset, nisi Deus secundū aeternum suum propositum homines ita dirigeret & gubernaret, ut uenirent in aetatem illam, qua & possent, & desuper adiuti, uellent consentire. Prae ceteris itaque omnes ad fidem uocati, gratias agere debent Deo, qui gratis & absque ullis meritis illorum dignatus est taliter eos uocare, trahere, & afficere, qualiter aptum eis nouerat ut obedirēt. Sed de his latius egimus in lib. De prouidentia diuina. Constat quidem ante iustificationis gratiam liberum hominis arbitriū, crebrō suggestionibus quibusdam, & inspirationibus ac admonitionibus uulgiū cogitationum admoneri, habens in potestate & contemnere illas, & non contemnere. Vnde ipse ait, Ecce ego ad ostium sto & pulso, si quis aperuerit mihi ianuam, introibo ad illum, & cenabo cum eo. Tales tamen suggestiones, uel immissiones cogitationum uulgiū diuinitus ordinatæ, ad accipiendam fidem, aut gratiam iustificantem, non habent in homine ullam causam meritoriam, aut rationem praeparatoriam. Tangit enim Deus plerumque impiorum, aut etiam paganorum corda huiusmodi instinctibus aut inspirationibus, non propter hoc solummodo, quod praeficerat eos his non male uisuros, sed gratis & liberaliter tangit secundum beneplacitum suum, qui & tangit secū dum temporum uices corda eorum, quos praesciuit fore rebelles. Quemadmodum Saluator dicit in euangelio, Quoties uolui congregare, & cæt. & noluiisti. Item propheta, Quadraginta annis offensus fui generationi huic, & dixi semper hi errant corde.

De paruulis fatuis & amentibus saluati assequeribus, uel in damnatione omnibus.

Suggestio & immissio spiritus sancti in homine iustificando, nullam habet meritoriam causam.

Item

Item Sapientia clamat, Vocauit & rennuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret, despexistis omne consiliū meum, & increpationes meas neglexistis. Item Apostolus, Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi. Ex quibus patet, quod Deus gratis & liberaliter immittit suas inspirationes, seu cogitationes ad bonum, quatenus istiusmodi medijs, homo si uoluerit, possit sese ad gratiam iustificantem accipiendam praeparare. Ad confirmationem dicendum, quod secundum casum propositum de duobus indignis, uerum quidem supponit, quia possibile est duos tales esse aequaliter attractos secundum instinctus quosdam, suggestiones, suasionisque prauias, quas alter sua uoluntate negligens, aut contemnens, in nouam cadens culpam, meretur deferri, obdurari, & tradi in reprobum sensum, Deo dicente, Non audiuit populus meus uocem meam, & dimisi eos secundum desideria cordis eorum. Et alibi, Uolui uos congregare quemadmodum gallina congregat pullos sub alas & noluiistis, Ecce relinquetur domus, & cæt. Alter tamen, licet non contemaat, non meretur ex hoc iustificari, ut patet ex supra dictis.

Verum de duobus indignis, aequaliter inspiratione diuina attractis, quorum vnus salubriter obedit, alter non sic obedit. Sciendum est, quod illo casu stante, dicendi sunt non fuisse aequaliter tracti, secundum gratiam praedestinationis. Hęc nempe est diuina uoluntas, taliter trahens electos, qualiter aptum eis nouerit, ut non contemnant, sed obediāt. Et ita patet, quod hęc obiectio, nihil obuiat praedestinationi diuinæ, quia in uoluntate Dei, non in praedestinato est ratio, cur sic decreuerit illum trahere, & non alterum. Neque tamen per hoc tollitur hominis liberum arbitrium, quāuis enim neuter per motum folij liberi arbitrij possit gratiam diuinam aut promereri, aut aduocare, uterque tamen per seipsum potest impedire, ne recipiat illam, ne recipiat illam, sicut apud Iob legimus de quibusdam, qui dixerunt Deo, Recede à nobis, & cæt. Et iterum, Ipsi fuerunt rebelles lumini. Quauis igitur contigerit duos aequaliter à Deo uocari, non solum forinsecus, sed etiam intus praeniri iaculis quibusdam cogitationū uulgiū, ueluti dispositionibus aliquilibus ad accipiendam gratiam diuinitus praeparatis, quas uel quæ alter mox reijcit, uel impedit, aut etiam contemnit, atque per hoc sibi iuste imputetur ad culpam, quod remedia sibi diuinitus proposita contemnit. Alter uero non reijcit, sed neque opponit sese per actuale gratiæ talis contemptum. Is tamen & si lumine cœlestis gratiæ illustretur, non habet tamen unde de uiribus suæ uoluntatis (tanquam qui aperuerit ostium cordis sui Deo illuminare uolenti, per bonum liberi arbitrij usum) gloriari possit aduersus alterum, qui quodammodo obdurauit cor suum, nempe aperire ostium cordis Deo pulsanti, est quidem motus liberi arbitrij, sed moti atque attracti à gratia Dei praedestinati. Vnde Augustinus, Quod diuina excitatio à multis refulatur atque spernitur, ipsorum est nequitia: quod autem à multis suscipitur, est diuinæ gratiæ, pariter & humanæ uoluntatis. Potest quidem humana uoluntas resistere diuino instinctui, sed non potest impedire intentionem praedestinatī Dei: quia corda hominum in manu Dei sunt, quocumque uoluerit, inclinabit ea. Certum quidem est obediētē admitti, inobediētē repelli, faceret tamen Deus ex rebellibus obediētē si uellet. Dominus enim, inquit Ambrosius, quos dignatur uocare, & quem uult religiosum facit, quemadmodum inquit Christus, Omne quod dat mihi pater ad me ueniet, id est, credit in me, sed hoc ut fiat pater dat, faciens ut credat. Si autem interrogaueris, inquit Augustinus, Cur non omnes docet pater, ut ueniant ad filium? Respondet tibi Apostolus, Quia uolens ostendere Deus iram suam, & demonstrare potentiam, sustinuit in multa pa-

Nota hęc duplicem Desinētis.

tientia vasa iræ apta in interitum, vt notas faceret diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. Quasi dicat, quos ita docet, vt veniant pro sua misericordia, & bonitate docet, quos non ita docet, vt veniant ex iusto suo iudicio, non docet. Vobis, inquit Christus ad Apostolos, datum est nosse mysterium regni cælorum, illis non est datum. Quorum alterum scilicet nosse ad misericordiam: alterum scilicet non nosse ad iustum illius iudicium pertinet. Interrogantibus igitur cur non omnes ita docet pater vt veniât. Si dixerimus, Quia vocati nolunt discere, rectè quidem respondetur: sed opponetur nobis, Cur nõ in eis, sicut in alijs operatur, vt discere velint, cur non facit volentes ex nolentibus, qui in potestate habet hominum voluntates.

Hic rursus si ad liberum coneris referre arbitrium, & dixeris, quibus vocari, & audire patrem non est in nobis, sed in patre qui vocat, & sese offert, vt audiatur, qui & intus loquitur ad ostium cordis, intusq; pulsât, tamen discere, consentire, aut obedire est nostrum, ad quod diuinitus moniti relinquitur in manu consilij nostri, & ita cum audimus, aut Deum, aut hominem testificari euangelium, si velimus, discimus, & credimus, & nostrum est operam impendere sciendis his, quæ pater docet. Rectè quidem hæc dicis, modò credas hominem iam post lapsum, nec dum iustificatum, non sic esse in manu consilij sui, sicut erat Adam ante peccatum, confitearisq; hominem ex his quæ sibi relictus, habet nõ posse discere & inuenire, quæ ad salutem pertinent, nisi gratia miserentis Dei præuenierit eum, præuenienti quæ traxerit illum de peccati luto. Quicquid enim ante huiusmodi gratiam fecerit homo quantumuis conatus fuerit, nõ liberabitur à peccatis, neq; iustificabitur donec secundum intentionem Dei prædestinantis, suaque gratia adiuuantis ita trahatur, vt spiritu charitatis desuper accepto ex massa perditionis erigatur. Erigatur inquam, vt trahatur à Deo, non modò suscipiendo, aut patièdo, sed & voluntariè operando, vtpote qui & si nequeat resistere intentioni Dei, quæ est secundum voluntatem sui beneplaciti, habet tamè in potestate sua non obedire, sed & reluctari diuino tractui, dicente scriptura de iusto iam tracto, Qui potuit transgredi, & non est transgressus. Verùm hic punctus est, quem, si Augustino credimus, pauci penetrare valent. Sed de his latius agetur capite sequenti. Et ista gratia, quæ est secundum voluntatem diuini beneplaciti, est gratia prædestinationis diuinæ segregantis & eligentis, quæ non talis generis, huiusque modi fuisset, si ipse Adam, & filij eius sub innocentie statu permanissent.

¶ Secundum huius capituli membrum, in quo ex supra dictis colliguntur sententia pro concordia liberi arbitrij, & prædestinationis diuinæ.

Conclusio prima.

EX præmissis in hoc capitulo colliguntur aliquæ sententiæ, siue conclusiones. Prima. Quamuis præscientia meritorum, seu meritum præscitum, nõ possit esse ratio diuinæ prædestinationis. (Sunt enim merita prædestinationis effectus, id est, quæ non à seipso solo, sed à Deo cooperante habet homo). Præscientia tamen peccatorum potest esse reprobationis ratio, accepta reprobatione, vt significet deserere, seu reijcere hominem peccantem, & præparare illi mortis interitum. Patet hæc sententia, quia peccata habet homo à seipso, non à Deo, & idcirco possunt esse causæ, quare Deus vult deserere illum, & non apponere illi gratiam, & excludere illum à regno cælorum, infligens eidem mortis interitum. Et quamuis hoc diuinum velle non sit de directa, & primaria intentione Dei naturam humanam instituentis, est tamen de intentione Dei naturam humanam propter peccatum punientis. Quia vt supra patuit, Deus non deserit hominem priusquam deseratur.


Super

Super his habentur expressæ scripturæ. Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum, creauit enim vt essent omnia. Item per vnum hominem peccatum intravit, & per peccatum mors.

Ex hac sententia perspicuum est, quæ via concordari possint scripturæ, quæ in hac materia videntur contrariæ. Quædam enim scripturæ insinuant Deum indurare, & odio habere hominem, secundum simplex suum beneplacitum. Quemadmodum dicit Apostolus, Non ex operibus, sed ex vocante Deo, Iacob fuisse dilectum, Esau verò odio habitum. Item Deus cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Nam huiusmodi scripturæ intelliguntur de odio, & induratione reprobationis, vt odire, seu indurare hominẽ, sit nolle misereri hominis, permittendo in eo primum aliquod peccatum, & non eo modo dirigere illũ, quemadmodum aptum nouit, vt habeat gratiam finalem, qua perueniat in vitam æternam & cætera. Aliæ verò scripturæ aperte ostendunt Deum odire, indurare, in reprobum sensum tradere hominem, propter mala antecedentia hominis opera. Quomodo dicit Apostolus ad Romanos decimo de quibusdam. Sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, & cætera. Et propheta, Odisti omnes, qui operantur iniquitatem, & cæteræ similes. Patet denique non esse inter se contrarias theologorum sententiæ, quibusdam dicentibus, indurationem, odium, seu reprobationem habere causam à libero arbitrio hominis in reprobato à Deo præuisam, originale videlicet, vel actuale peccatum, propter quod Deus illum reprobauerit. Alijs e contrario dicentibus, vt sicut Deus, quem prædestinauit, sine causa in ipso electo prædestinauit. Ita quem reprobauit sine causa, in homine reprobato reprobauit. Suborta proinde est hæc sententiarum diuersitas ex equiuocatione vocabuli reprobationis diuersimodè accepti. Non est autè inutile hæc consyderare ad obstruendũ os hominũ loquentium iniqua contra Deum, & non valentium penetrare sensum Apost. Pauli, vtrumque æqualiter tribuētis simplici voluntati diuinæ, tam id videlicet, quod est misereri, quàm id quod est indurare, accepto indurationis vocabulo, secundum oppositionem ad verbum vocabuli miserendi, vt voluntas miserendi sit diuina prædestinatio, voluntas autem indurandi diuina reprobatio, quæ sunt in Deo secundum simplex beneplacitum illius volentis erga quosdam liberaliter, seu misericorditer agere, erga alios autem iustè, id est secundum rationem suæ iustitiæ, quæ potest negare homini, quod non est illi debitum.

Cum dicitur ab Apostolo, Deus cuius vult miseretur, & quem vult indurat. *Sententia. 2* Voluntas hæc in Deo non est irrationabilis, Quia, vt dicit Apostolus, prædestinati sumus secundum propositum Dei, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ. Vbi autem est consilium, ibi & ratio, & intellectus, & iudicij æquitas, & veritas. Omnia igitur quæ facit Deus, inquit Hieronymus, plena sunt ratione, & potestate facientis, dicente scriptura, Omnia in sapientia fecisti. Veruntamen attendere debemus, quod licet voluntas illa, qua Deus cuius vult miseretur, & cætera, non sit irrationabilis, non oportet tamen rationem huiusmodi voluntatis esse vllum meritum bonum eius, cuius Deus miseretur, aut meritum malum illius quem indurat. Est tamen horum ratio generalis ab Apostolo assignata. Manifestatio scilicet diuinæ iustitiæ per reprobos, per prædestinatos verò manifestatio diuinæ misericordiæ. In vtroque tamen etiam est misericors, & iustus dum vocat, inuitat, expectat reprobos errantes, reddens vnicuique tam prædestinato, quàm reprobo, prout gessit in corpore. Possunt præterea aliquæ esse rationes speciales præuisæ in quibusdam reprobatis, propter quas Deus noluerit illis euangelium prædicari, qui ad tempus iustificarentur, & conuer

Quædam scripturæ insinuant Deum odio habere seu indurare hominẽ secundum simplex noli-tatem aha vero significat Deum odire aut indurare hominem propter peccatũ



conuerterentur ad fidem, sed tales omnino occultæ sunt, & nobis incertæ.

Proinde super interrogationibus curiosorum interrogantium, Cur Deus hoc fecerit, hoc non fecerit, cur sic vel sic, & non aliter facere voluerit, temerarium est præcipitare sententiam. Eorum enim, inquit Augustinus, audaciam confundit Apostolus, qui secundum coniecturas humani cordis inscrutabilem iudiciorum Dei altitudinem cogitare conantur, dicens. O homo tu quis es, qui respondeas Deo. Quærentibus etiam à nobis, vt Augustinus dicit, cur apud Phariseos tanta miracula sunt facta, qui videntes ea, non tamen fuerant credituri, apud eos verò tanta miracula nõ sunt facta, qui credituri fuissent, si vidissent, vt patet de Tyrijs. Respondet Apostolus, Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi & retribuetur ei? aut quis dicit illi, Cur ita facis? facile foret infidelitatem Iudæorum accusare de libera voluntate venientem, sed hoc contra Tyrios facere non possumus, qui si Christi miracula vidissent, vtique credidissent, dicente saluatore, Si in Tyro & Sydone factæ fuissent virtutes, &cæt. Tameñ hanc saluatoris doctrinam iam ante mille annos, quidam disputator catholicus non ignobilis, sic exposuit dicens, Deum præsciuisse Tyrios & Sydonios à fide postea recessuros, & ita Christum misericordia potius noluisse euangelium prædicari illis quos præsciuit à fide lapsuros, vera forsitan, inquit Augustinus, est hæc sententia, sed quis cognouit sensum Domini? Restabit insuper quæstio, cur non sic prædestinauerit illos, vt videlicet perseuerare darentur postquam credidissent.

Sententia. 3.
Damnationis
causa ex nobis
salutis ex Deo
est.

De libero arbitrio non extra ipsum quærenda est damnationis causa. De saluatoris verò gratia, non de libero arbitrio salutis causa quærenda est. Patet, quia nemo damnatur, nisi ex propria culpa, & nemo saluatur, nisi ex Dei gratia. Nam propositum quo vult Deus misereri, causa est eorum, pro quibus homo assequitur remissionem peccatorum, & vitam æternam credendo & diligendo. Propositum tamen non miserendi, non est causa eorum, pro quibus reprobi vadunt in carcerem suppliciorum. Si quidem damnatur homines propter originalia vel actualia peccata, quorum non Deus, sed liberum arbitrium est causa. Pro quibus verò remissionem peccatorum consequuntur ex misericordia Christi saluatoris, sunt merita, aut fides & charitas, quæ Dei sunt dona. Iam si dixeris, quemadmodum solent dicere improbi defensores liberi arbitrij contra gratiam Christi: Deum derelinquere paruulum dirigendum secundum naturalem cursum, & secundum causas naturaliter operantes, & ita paruulum non à prædestinatione habere, quod baptizetur, sed potius ex creaturarum causarum directione, simul & naturali fortitudine, qua superstes ex vtero natus nascitur, & in eo loco, vbi paruuli solent baptizari, & à parētibus, qui illum baptizari velint. Alter autem quispiam secundum naturales causas, aut ob parentum suorum incuriam malam sortitus complexionem, morte rapitur priusquam salutari lauacro regeneratur. Respondet Aug. Nõ fatali necessitate, nõ temeritate fortunæ, quæ nihil sunt, sed secundum altitudinem scientiæ, & sapientiæ Dei omnia gubernantis factum est, quod paruulus sit complexione validus, & robustus, & quod in eo nascatur loco, vbi paruuli solent baptizari, & quod sit à parentibus, qui talem habeant voluntatem baptizandi illum, & quod deniq; accedente ætate in eo maneat loco vbi instruitur Christiana fide, & quod illa instructionem ita audiat, vt credat, & quod ipse peccans, homines habeat arguentes, quibus admonētibus resurgat Deo intus operante. Singula & vniuersa hæc sunt à prædestinatione Dei preparatis huius generis effectus singulos, ordinem quendam habentes ad salutem electorū. Proinde quamuis possit esse iniquitas, aut in parētibus, aut in ministris, per quorum negligētias paruulus

De gratia paruulorum.

paruulus quispiam ad regenerationis lauacrum non perueniat, non est tamen iniquitas apud Deum, si paruulum in iniquitate cõceptum mori velit & damnari propter peccatum. Neque supradictis obuiat, si hæc & id genus alia fiant per causarum creaturarum ministeria. Nam & ex superioribus est manifestissimum, ipsius prædestinationis effectus, tum per naturales, tum per voluntarias causas adimpleri, & liberam hominis voluntatem cooperantem diuinæ prædestinationi.

Quamuis sancti, & hi qui apud Deum magni sunt meriti nequeunt suis orationibus obtinere ea quæ non sunt prædestinata, vtique tamen suis orationibus & meritis à Deo impetrant, vt in prædestinato adimpleantur secundum Dei voluntatem, opera bona & præmia. Hęc sententia conformis est doctrinæ Apostoli Pauli. Omnia, inquit, sustineo propter electos, vt & ipsi misericordiam consequantur, sciebat utiq; vas electionis diuinam electionem ad dandam misericordiam, neq; posse cassari, neque impediri, tamen sustinebat omnia propter electos, vt & ipsi salutem consequerentur, quæ est in Christo Iesu cum gloria cœlesti. Hanc sententiam probat etiam beatus Gregorius primo dialogorum per scripturam Genesius, vbi legitur, Quia Isaac deprecatus est Dominum pro vxore sua, eo quod esset sterilis, qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebecce. Isaac igitur orando impetrauit effectum diuinitus prædestinatum, sed neque ipse potuit, neque nos possumus quicquã impetrare, nisi quod Deus ab æterno prædestinauit. Quemadmodum etiam August. dicit, si Stephanus non orasset, ecclesia Paulum non habuisset. Monet præterea Iacobus Apostolus fideles dicens. Orate pro inuicem vt saluemini. Oramus ergo nõ vt diuina prædestinatio mutetur, nõ vt Deus incipiat velle quod noluit. Quia sic orare Deum, vt intendamus æternam illius electionem, aut prædestinationem immutare, species quædã est infidelitatis. Sed oramus vt effectus aliquis nobis salutaris secundum diuinam prædestinationem impleatur, quem forsitan nõ aliter quam nobis orantibus decreuit dare. Quemadmodum enim per causas, aut naturales, aut liberas, adimplentur in hoc mundo effectus corporales diuine providentiæ, Ita prædicationibus, admonitionibus, correptionibus, orationibus, ceterisque operibus, quæ fiunt à libero hominis arbitrio adimplentur in prædestinatis diuinæ prædestinationis effectus. Sic doctor gentium Paulus, quãuis prædestinationem toties cõmendasset, dicens Deum prædestinasse suos electos ante tempora secularia secundum propositum voluntatis suæ, non tamẽ ob id precari desistit nocte, & die sollicitus, quatenus prædestinati salutem cõsequerentur. Item licet idẽ Apostolus dixisset, Deus est qui operatur in vobis, & velle, & perficere pro bona voluntate. Item qui cœpit in vobis bonum perficiet vsque in diem Iesu Christi. Non minus tamen hortatus est, vt velimus & incipiamus, & operemur bona, in eisdemque perseueremus, vt sparsim patet per omnes suas epistolas. Vnde & beatus Greg. dicit, Perennis regni distributio ita est ob omnipotentem Deo disposita, vt prædestinati ad illud perueniant per labores, orationes, militiam, quatenus laborando & postulando mereantur accipere, quod eis Deus omnipotens ante sæcula disposuit dare. Concordat hoc sententiæ principis Apostolorum dicentis, Fratres satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.

Sententia. 4.

Isaac orando impetrauit ut vxor sua conciperet Iacob.

Quamuis tota congeries effectuum prædestinationis, non est ab alia causa, quam ab ipso Deo, pendens ex simplici bonitate illius misereri volentis, secundum consilium voluntatis suæ, est tamen inter hos effectus ordo quidam, ita vt vnus effectus possit esse alterius effectus, vel causa, vel ratio, vel meritum, vel preparatio. In hac enim effectuum congerie prior effectus est posterioris dispositio, preparatio, aut meritum. Posterior verò est finis & præmiũ præcedētis. Sicut enim in corpo

Sententia. 5.

in corporalibus causis, & effectibus est ordo causarum & effectuum, ut vnum sit ab altero, vel propter aliud. Ita in prædestinato, ut inquit Augustinus, fides primū datur non petita, ut possit esse principium bonorum operum, ut & sic ipsa bona fidei opera, sint vitæ æternæ meritoria. Sicut ergo De⁹ ab æterno voluit dare fidem, non propter vllā præcedentia in prædestinato merita, sed gratis, ut ipsa esset principium bonorum operum, ita voluit ab æterno bona opera esse rationem seu causam vitæ æternæ meritoriam. Primus itaque prædestinationis effectus in prædestinato nullam habet causam præuiam, quia gratis præstatur secundum consilium voluntatis diuinæ. Ex quibus considerari potest, quod hæc loquutio qua dicitur, Fides aut charitas datur propter merita, geminum potest habere sensum, quia vel præpositio propter, designat causam finalem, & sic vera est sententia, quia fides datur ad merendum, sicut oculi ad videndum, & pedes ad ambulandum. Vel designat causam efficientem seu meritoriam, ut sensus intelligatur esse talis, Fides datur ex merito bonorum operum, ut videlicet opera sint fidei, ex qua fiunt, meritoria, & tunc falsa est sententia multipliciter per Apostolicam scripturam reprobata, quam & superius refutauimus.

Vides datur propter merita in uno sensu uerū in altero sensu falsum.

Sententia. 6

Concordant scripturæ, quæ inter se pugnare videntur, quibusdam insinuantibus Deum neque deserere populum suum neque derelinquere, alijs verò dicentibus, Deum nō solum deserere hominem, sed & excæcare, indurare, & aggravare, quia illæ significant Deum, qui bonus est ex se, hæc non facere, istæ autem, significant Deum iratum ob antecedens peccatum recedere ab homine, excæcare, indurare, & finire hominem abire secundum desideria cordis sui. Vnde Augustinus, Sunt antecedentia quidem peccata, non in quæ ob culpam præcedentem traditi, sed in quæ homines liberum arbitrium habentes (quo cauere poterant Deo adiuvante ne caderent) permisi sunt primum cadere, quibus facti sunt digni, qui traderentur in grauiora subsequētia peccata, in excæcationem, indurationem, & aggravationem.

Sententia. 7
Verus Christianus minime turbatur ex prædestinatione & reprobatione diuina.

Pro altitudine discretionis diuinæ separantis alterum à perditionis massa, & alterum deserentis, non turbabitur Christianus sub potente manu Dei humiliatus, qui iam stabili fide crediderit omnem hominem nasci indignum regno cælorum, vniuersumque genus hominum, tam iusto Dei iudicio in originali radice esse damnatū, ut & si null⁹ inde liberaretur, nequaquā tamē possit iustitia Dei rectè vituperari, dicente scriptura, Quis tibi imputabit, si perierint omnes nationes terræ. Oportet proinde omnes homines humiliari sub potente manu Dei, scientes omne iudicium Dei esse iustum, neque posse comprehendere omnem diuinæ voluntatis ac iustitiæ rationem, quam neque licitum est curiosius inuestigare, cū scire sufficiat à Deo esse, quod stamus, à nobis autem quod peccamus. Deus denique se, ipsum amantibus potius tribuit, quam scrutantibus. Vnde consequens est iusto Dei iudicio etiam eos damnari, qui fidem Christianorum habere nō poterunt, non habentes à quo audirent. Rectè, inquit Augustinus, non admittitur in regnum cælorum non credens, quamuis etiam Christianus non solum non fuerit, sed nec esse potuerit. Cur illum sic trahat ut credat, non istum, noli scrutari, si non vis errare.

Ad omnium curiosorum hominū quæstiones super his rebus temerè interrogantium, iam ex superioribus patet respondendum esse. Quemadmodum extra diuinam voluntatem, bonitatem, sapientiam, non oportet esse rationes vllas, propter quas Deus, qui in potestate habuit quomodolibet aliter mundum facere, hunc mundum talem condidit, ita extra diuinam sapientiam, iustitiam, & bonitatem, nullas oportet rationes inuestigare, propter quas Deus ex massa humani generis

generis equaliter dānationi obnoxia, alios ita voluerit vocare & præparare ut fierent iusti atque beati, alios autem non sic. Et hic iam statuatur nobis Christianis sub potenti manu Dei humiliatis irrefragabilis machina, per quam deijciuntur omnium curiosorum hominum quæstiones temerariè interrogantiū, Cur Deus, qui in potestate habuit, qualitercūque aliter hominem facere, talem creauit hominem, quem nouerat peccaturum, cur non illum fecit talem, & tam forti auxilio suffultum, qui aut non peccaret, aut peccare non posset. Quibus & id genus alijs quæstionibus curiose excogitatis, respondemus.

Responso ad curiosos hominum quæstiones.

Deus qui infinitis alijs modis potuit suam sapientiam, iustitiam, & misericordiam, declarare, suamque bonitatem innumeris modis alijs communicare, in aliosque diffundere, & etiam res quas condidit creare qualitercūque aliter placuisset secundum suam sapientiam, hunc peculiarem rerum ordinem ac graduum selegit, ad declarandum suam potentiam, sapientiam, bonitatem, misericordiam simul & iustitiam, congruissimum. Nam in eo, quod ipse primū hominem, neque impulit, neque coegit, neque vllam ei necessitatem imposuit, sed iussit, ac monuit ne peccaret, eundem instituens per vim insignem rationis, qua de vnoquoque proposito iudicare posset, per quam & liberum esset illi, in aliam migrare sententiam, & in quam vellet partem, suam definitiuam vertere voluntatem, reliquit locum suæ iustitiæ declarandæ, simul & misericordiæ. Nam Adam, ex Dei bonitate, in honore constitutus dum peccauit, hoc suo libero abusus arbitrio, meruit fieri miser, atque ita iusta Dei veritate iā humiliat⁹ & factus miser, ab hac miseria iusto Dei iudicio illata, non potuit rursus esse liberatus absque miserentis Dei gratia. Diuinæ igitur iustitiæ punientis peccatum nostrum, tribuenda est miseria nostra. Diuinæ autem misericordiæ tribuenda est salus nostra. Vtrumque igitur, & deserit videlicet in miseria, & à vinculo miseriæ ad salutem assequendā per Christi meritum liberari, pendet ex voluntate diuina. Et hic est scopus, in quem tendunt omnium prophetarum & Apostolorum oracula, quemadmodū & Apostolica declarat sententia iam sapius inculcata, Deus cuius vult miseretur, & quem vult indurat, tanquam dicat, Deus cui vult misericordiam facit, & cui non vult, misericordiam non facit, & id quidem pro simplici suo beneplacito absque vllā iniustitia. Nam si vni fit gratia & misericordia, non idcirco fit alteri iniuria, si fiat ei iustitia.

Miseria nostra ipsi nos sumus causa, iustitia autem nostræ Deus est causa.

Non fuisset vlla miseria, si nulla fuisset culpa voluntaria, non fuisset autem culpa, si nō fuisset volūtas peccandi libera. Sine libero volūtatibus arbitrio, neque peccare neque iuste viuere potuisset primus homo. Non fuisset vllū peccatū, si primitus fuisset homo sic à Deo institutus, ut necessario fuisset ab illo statu immobilis; non habens vim vllā, qua potuisset in illo, quod accepit proficere, & ad id quod nondum acceperat ascendere, aut ab illo deficere. Proinde si nullum fuisset liberum hominis arbitrium, non fuisset vllum hominis meritum, si nullum fuisset meritum aut bonum, aut malum, nullum esset Dei iudicium, nulla Dei iustitia, nulla alia gratia aut misericordia, sed iaceret euersa totius Christianæ fidei doctrina

Sententia. 8.

SEQVITVR SECVNDA PARS.

¶ Sequitur pars huius libri secunda, in qua ex scripturis sacris demonstratur diuina prædestinationis & liberi arbitrij concordia. Diuidemus autem partem istam in tria capita. In primo proponemus vtriusque partis argumenta. In secundo pro solutionibus argumentorū considerationes & sententias. In tertio soluemus argumenta.



VIA vna omnium ferme hæreticorum est consuetudo coaceruare multa scripturarum testimonia, & ex illis colligere sibi singulares quasdam sententias cōtra communem & olim receptam doctrinam à tota Christianorū schola, prætermittis alijs scripturis palàm sententias contrarias demonstrantibus. Idcirco in hoc capitulo afferemus pro vtraque parte scripturas, rationes, & argumenta, vt hincinde si conferantur scripturæ scripturis, facilius veritas ipsa fiat manifesta. Possunt hic fieri argumēta eadē, quæ & in superiori libro sunt facta de diuina præsciētia, volūtate, & prouidentia. Sed illis quæ ibidem soluta sunt prætermittis, ponemus alia quædam, quæ & illic fieri poterant.

Argumentum primum

Aliter quàm Deus ab æterno præuidit, atq; proposuit fieri non potest. Nam impossibile est falli, aut mentiri Deum, sed de quolibet futuro Deus verbo suo æterno, quod est infallibilis veritas, præuidit, proposuit, & dixit illud esse futurū, quodlibet ergo videtur ex necessitate esse futurū. Alioquin si illud, quod ipse iudicauit, atq; asseruit esse futurū nō eueniret, ipse aut falsus, aut mēdax esset. Videtur ergo diuina præsciētia & prædestinatio necessitatem eueniendi inferre rebus futuris. Item antequam Christus nasceretur, Deus iurauerat ipsi Dauid, quod Christus de semine illius nasceretur, sed impossibile est, Deū esse periurum, ergo antequam Christus nasceretur, necessariū erat eū esse nasciturū. Vnde Aug. Sicut necessarium est fuisse, quod fuit, sic necessarium est fore quod futurum est, Dei voluntas est necessitas. Præterea, si aliquid est in sola possibilitate, quod nunquā erit in actu. Illud igitur habebit causam extra Dei voluntatem, quod est impossibile, Consequētia probatur. Nam diuina voluntas cum sit immutabilis, nō potest incipere velle producere aliquid, quod non ab æterno voluit. Ergo si aliquid est in sola possibilitate, ad quod non est ab æterno determinata voluntas diuina, cū hæc non possit nunc incipere seipsam determinare ad illud possibile producendum, consequens est illud possibile posse habere causam extra diuinam voluntatem. Deinde omne scitum à Deo necesse est sic esse. Nam & omne scitum à nobis necesse est sic esse. Dei autē sciētia est certior quàm nostra. Cū ergo Antichristum fore sit visum, & scitum à Deo, necesse est ipsum fore. Amplius autem hæc consequētia est necessaria. Deus hoc præuidit futurum esse, ergo hoc erit, sed antecedens est necessarium, ergo & consequens. Necessitatem antecedentis admittunt tam veteres, quàm recentiores sacræ theologiæ tractatores. Hugo de sancto Victore, & diuus Thomas planè docent huiusmodi propositiones esse necessarias absolutè, Deus præsciuit Antichristum fore, Deus præuidit hoc esse futurum, inde concludentes. Præscitum à Deo non potest esse non præscitum. Prædestinatus non potest esse non prædestinatus. Deus quod præuidit non potest nō præuidisse, quod ab æterno præuidit, necessariò præuidit. Ex quibus propositionibus in sensu diuiso, concessis videntur omnia futura ex necessitate euenire, quod & præfati patres admisisse videntur, docentes quòd omnia futura, quæ videntur esse contingentia, secundum mutabiles causas creatas, sunt necessaria secundum increatam causam primam, & immutabilem, secundum quam vnum tantum potest esse scilicet, quod vult, quod disponit, quod ab æterno præuidit, & verbo suo æterno

æterno infallibili veritate sciuit. Ad hanc causam respiciens, inquit August. dixit necessariò fore, quod futurū est. Insuper videntur & hæc confirmari. Ab æterno electum esse prædestinatum & vocatum secundum æternū Dei propositum, non sunt in potestate humana voluntatis, voluntas enim hominis prædestinati, non facit Deum ab æterno prædestinare, aut eligere hominem. Præterea prædestinatum & reprobatum sunt proprietates inseparabiles. Impossibile enim est hominem, qui semel est prædestinatus fieri non prædestinatum. Neque enim potest Deus incipere, aut desinere prædestinare hominem, quia non potest contingere, quòd aliquis sit nunc prædestinatus, & postea sit nō prædestinatus. Neq; esse potest aut pœnitudo, aut mutatio in diuina volūtate, dicēte Paulo apostolo. Sine pœnitentia sunt dona, & vocatio Dei. Consequēs ergo videtur, quòd assequutio salutis ac vitæ æternæ, præparata homini ab æterna voluntate Dei misericordis, nō sit in potestate humana voluntatis. Amplius autem ad hoc corroborandum facere videtur, quòd tam diuina prædestinatio, quàm etiā reprobatio est æterna & immutabilis. Est igitur necessaria & ineuitabilis. Quicquid enim est æternum & immutabile, itidē necessariū est, & ineuitabile. Prædestinatus ergo si sit ab æterno immutabiliter prædestinatus, & reprobatus sit, ab æterno immutabiliter reprobatus, consequens videtur prædestinatum necessariò assequiturum esse vitæ æternam. Reprobatum verò deiiciendum in gehennam, cum nec iste, nec ille possit aut impedire, aut cassare ordinem rerum constitutum ab æterna Dei voluntate. Præterea gratia per Iesum Christum prædestinatis data, nō solum dat posse velle, & posse facere. Illa enim est impia, & damnata doctrina Pelagij, dicentis gratiam esse possibilitatem, qua quis accepta legis notitia potest bene velle, & operari, sed gratia per Iesum Christum facta secundum Apostolum dat velle & operari, hoc est, gratia Dei facit in nobis motum voluntatis bonum & actionem. Deus, inquit Apostolus, est, qui in nobis operatur velle, & operari pro bona voluntate. Vnde multi multa possent facere, sed quia non volunt ideo non faciūt, veluti segnes atque ignaui homines possunt quidem strennuè, & vtiliter multa agere, sed quia nō habent velle seu voluntatem id faciendi, idcirco non faciunt, multi insuper volunt, sed non possunt facere quod volunt. Claudii nempe, cæci, ac vincti volunt quidem, cupiuntq; interdū ambulare, sed non possunt. Respondebis forsitan gratiam esse adiutorium possibilitatis facilius operandi, id est, adiutorium seu auxilium adiuuans, atque disponens potentiam ad expeditè, faciliè, & delectabiliter bene operandum. Sed vana & cōtra doctrinam catholicam videtur hæc responsio. Nam Pelagius ipse, vt refert August. libro primo contra Cœlestiū, & Pelagium dicebat, quòd Deus naturalem liberi arbitrij possibilitatem semper adiuuat gratiæ suę auxilio, dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis, ne presentibus occuparemur, futura demōstrat, dum diaboli tollit insidias, vt sic vel sic sciamus, quæ credere debemus & sperare, vt valeamus facilius implere ea quæ præcepta sunt nobis. Quam sanè Pelagij responsionem ibidem insufficientem esse ostēdit Augustinus docens, quòd Deus non solum dat nobis posse rectè velle, sed & ipse secundum Apostolum operatur in nobis velle & operari. Vnde & patres in cōcilio Mileuitano præsententes tanquam hæresim condemnauerunt articulum, quod dicitur gratiam Christi saluatoris solum esse adiutoriū, quo facilius mandata implere valeamus. Sed contra hæc pro defensione liberi arbitrij replicata per diuinam præsciētia, & prædestinationem liberum hominis arbitrium, neque impediri, neque omnia euenire ex necessitate absoluta. Si omnia, quæ fiunt ex necessitate absoluta futura sunt, cur Ezechij oranti propter orationem adiecti sunt quindecim anni supra annos vitæ constitutos. Cur & Deus pepercit Niniuitis pœnitentiam

Dei non potest incipere nelli aliquid, aut prædestinare quenquam.

Responsio Pelagij erat vera, sed nō erat pro vella defensione gratia Christi sufficientem.

Argumenta pro libero arbitrio.

pœnitentiam agentibus, alioqui perituris. Cur ipse Paulus apostolus timebat reprobis fieri. Cur de iusto in libro sapiētiae legitur, Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animā eius. Cur admonet scriptura per omnem locum, ut vigilemus & oremus ne intremus in tentationem. Cur Apostolus Paulus hortatur, Qui stat videat ne cadat. Paulus Apostolus vas electiōis erat prædestinatus; & sciebat se prædestinatum esse, tamen timens castigabat corpus suum, & in seruitutē redigebat, ne fieret reprobis. Castigo, inquit, corpus meum, & in seruitutē redigo, ne dum alijs ego prædicauerim ipse reprobis efficiar. Videtur ergo q̄ prædestinatus, possit fieri reprobis, & ita desinere esse prædestinatus dicente scriptura de prædestinato. Potuit facere mala, & non fecit. Ex quibus videtur consequens esse, quod Deus prædestinando, vel reprobando homines, nō determinauit suam voluntatem ad hæc vel illa opera contingentia, per liberū hominis arbitrium futura, sed quod ab æterno voluerit indeterminatam & indifferentem, & quasi naturalem esse suam voluntatem ad opera, per liberum arbitriū nostrum futura, & ita Deus omnia, quæ facimus, & si posset impedire, permittit tamen nos liberè agere secundū arbitriū nostri vires. Hoc si fuerit admissum, consequens erit Deum tum prædestinando, tum reprobando, neque dirigere, neque determinare liberas hominū voluntates ad opera vlla bona, sed homines seipsos ad hæc vel illa determinare suis consilijs, suisq; voluntatibus liberis. Deum autem futurorum præscium prædestinasse quidem homines ad vitam æternam, sed eos solum quos præsciuit ex libero suo arbitrio credituros, ac rectè victuros. Reprobasse quos præsciuit futuros esse malos. Quod & apertè videtur insinuarē scriptura. Deus, inquit, ab initio reliquit hominē in manu consilij sui, proposuit ei bonum & malum, vitam & mortem, quodcumq; voluerit dabitur ei. Quod tractans Bernardus in libro suo de gratia & libero arbitrio. Deus in sapientia, inquit, fecit hominem, relinquens illum in potestate liberi sui arbitrii, quo peccare posset & non peccare, ut gloriosior appareret, si nō peccaret, cum peccare posset, & iustior rem sentiret Deum iudicem si peccaret, cōuertens in vsum peccandi potestatem quam acceperat ad gloriam non peccandi.

Præterea secundum vniuersos ecclesiæ patres liberum arbitriū est vis media, quæ vel ad bonum, vel ad malum, ad licitum, & illicitum sese voluere ac vertere potest, tanquam mancipium quoddam inter duos dominos contrarios, de quibus saluator, Nemo potest duobus dominis seruire, non potestis seruire Deo & mammonæ. Item Hieronymus in epistola ad Damasum de patre, qui duobus filijs suis diuisit substantiam. Deus pater, inquit, duobus filijs, hoc est populo Iudæorum, & populo gentili diuisit substantiam, quod in Græco legitur, dedit eis victum, seu vitam, id est, liberum arbitrium eis dedit & libertatem propriæ mentis, ut viueret vnusquisque non ex imperio Dei, sed suo obsequio, non ex necessitate, sed ex voluntate, ut virtus haberet locū, ut à cæteris animatibus distarem, dum permisum est nobis facere quod voluerimus. Deus si pmittat nos agere, quod volumus, consequens videtur eum nostrā voluntatē ad vnum vel alterū non determinasse.

Amplius autem, quod gratia Dei prædestinantis solum sit bene operandi potestas, videtur. Nam Deus in prædestinatis dicitur operari bonum voluntatis motum, bonamq; operationem. Primum ob id, quia docet intellectū nostrū, ut sciamus quid credere & agere debeamus, & cognoscamus ea quæ sunt salutis æternæ. Deinde quia suadendo, ac suggerendo inuitat voluntatem hominis, quatenus ipsa sic excitata, velit, cōsentiat, & operetur sua spē. Ad illa insuper sumus inclinati & parati, habētes fidē, spem, & charitatē, quæ sunt virtutes quædā manentes in hominibus nihil operantibus, etiam & dormientibus. Vnde & diuinæ huiuscemodi

suggestioni seu inspirationi, non ex necessitate acquiescit voluntas hominis, sed contradicere potest atque resistere. Experitur quisque se interdum agere contra instinctum & testimonium propriæ conscientiae, per quam loquitur Deus, mouēs seu pulsans liberum hominis arbitrium. Videtur igitur, quod diuina prædestinatione solum detur homini prædestinato rectè viuendi potestas: quemadmodum & testatur Euangelista Ioannes, Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Vnde & ipse spiritus Dei, cum incipit suis donis hominem inhabitare, solum dat illi potestatem, qua potest credere, sperare, diligere, & rectè viuere. Nempe & ipsa charitas, quæ diffusa est in cordibus nostris per spiritū sanctum, est virtus seu habitus, qua rectè viuere possumus, non adimens tamen declinandi ad vitia possibilitatem. Et vide an ne hoc doceat scripturæ & sanctorum testimonia, quibus dicitur Deus docere, monere, hortari, suggerere, inuitare, inclinare hominum voluntates. Proinde & omnes sanctos in scripturis sacris legimus, huiuscemodi auxilia postulasse. Da mihi intellectum, inquit propheta, ut sciam testimonia tua. Notam fac mihi viam in qua ambulem. Doce me facere iustificationes tuas. Inclina cor meum Deus in testimonia tua. Auerte oculos meos ne videant vanitatem.

Pro gratia contra liberum arbitrium credere, non est in potestate humanae voluntatis. Nemo enim potest credere nisi vocetur, euangeliumq; sibi prædicetur, sed nemo habet in potestate sua, ut aut vocetur, aut euangelium sibi prædicetur. Deinde vocatus quispiam forinsecus, ut euangelium audiat prædicari, non potest credere euāgelio prædicato, nisi Deus operetur credulitatis assensum, dicente saluatore, Hoc est opus Dei, ut credatis in ipsum. Nemo venit ad me, nisi cui datum est à patre meo. Venire autem ad Christū, inquit Augustinus, est credere in Christum. Non dixit, qui voluerint venire veniant, sed hi, inquit, veniunt, quibus datum est. Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Vnde audiens euāgelium sibi prædicari, credit quidem si vult credere. Omnis enim qui credere vult credit, & nemo credit nisi volens, sed volens nemo efficitur, nisi Deo dante. Preparatur enim voluntas à Domino, quemadmodum ex irrefragabilibus scripturis deducit Augustinus in libro contra Pelagianos, & signanter in libro de prædestinatione sanctorum. Multi, inquit, audiunt euangelium prædicari, quidam credunt, & quidam non credūt. Credunt quidem, inquit, hi qui volunt credere, non credunt autem qui nolunt credere. Causam verò si roges, cur illi volunt, isti nolunt, assignat ibidem. Quia in illis, inquit, preparatur voluntas à domino, in istis autem non preparatur. Vnde & error Vitalis ab ecclesia iam olim damnatus fuit, dicentis, Vnumquemq; euangelio sibi prædicato seu annunciatō, posse per liberum voluntatis arbitrium assentire, perinde atque dissentire. Quem errorem reprobat Augustinus in epistola contra eundem Vitalem, & in libro primo, de prædestinatione sanctorum, ostendens huiuscemodi errorem esse contra scripturam sacram, dicente saluatore, Hoc est opus Dei, ut credatis in eum. Non dixit, hoc est opus vestrum, sed opus Dei, ut qui iam credit, nō in semetipso, sed in Domino gloriatur. Et Apostolus ait, Gratia saluati estis per fidem, & hæc quidem fides non ex vobis, sed Dei donum, non ex operibus. Proinde & Augustinus in varijs locis vt credamus, inquit, vt velimus, sine nobis operatur Deus in nobis. Gratia ergo Dei fidem operantis, non est referenda ad solam vocationem vel prædicationem euangelij, ita vt vnusquisque prædicato sibi euangelio, dicatur habere in potestate credere & non credere. Nam & August. in libro de prædestinatione, & in libris retractationum, dicit aliquando se errasse, corrigens semetipsum, lib. primo, de prædest. sanctorum, cap. 3. Euangelio prædicato atque

Secundū argumentū.

Error Vitalis de fide.

Declaratur quod credere sit opus Dei.

f ij audito,

De patre qui duobus filijs diuisit substantiam

Argumentū, quibus probari videtur, quod gratia Dei solum dat potestatem bene operandi.

audito, Deus ipsum credendi motū intus operatur. Cum ergo multi, audiunt verbum, alij credunt, alij contradicunt. Quæ causa? Quia in illis, inquit, præparatur voluntas à domino, in istis non præparatur. Quamuis ergo quisquis voluerit credere, is credit, non tamen inde sequitur, credere esse ex libera solius voluntatis potestate, quia voluntas illa, qua quispiam vult credere, teste Augustino, Dei donum est, & nō inest volūtati à semetipsa, sed est à domino præparata. Vnde videtur dicendum esse de dono fidei, sicuti de dono continentie, de quo sapiens inquit, Nemo potest esse cōtinens, nisi Deus det, & hoc erat summa sapiētia scire, cuius esset donum hoc. Sicuti & de dono castitatis inquit saluator Matth. 9. Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datū est à patre meo. Non dixit, qui voluerint capiunt, sed quibus, inquit, datum est à patre meo capiunt. Ita de dono fidei dicit, Nemo venit ad me nisi cui datum est à patre meo, vobis datū est nosse mysterium regni cœlorum, ceteris autem non est datum. Item omne quod dat mihi pater ad me venit, & eum qui venit ad me, nō eijciam foras, Omne quod dedit mihi pater nō perdam ex eo quicquam. Præterea Augustinus in libro de natura & gratia, & in libro de gratia & libero arbitrio, & in libro de correctione & gratia, & in libro de bono perseverantia, quædam tradit paradoxa, quòd videlicet ex se nemo incipit credere, ex se nemo incipit desiderare gratiā, nemo incipit orare aut quæ rere gratiam, nemo perseverat in accepta gratia ex solis viribus suæ volūtatis, sed hæc omnia in homine esse Dei dona, quæ quibusdā dantur non propter vlla prævia opera, sed gratis secundum propositum Dei miserentis, quibusdam nō datur. En planè habes Augustinum, demonstrantem ex scripturis sacris Deum prædestinantem sua providentia, præscire bona opera, non quæ homo faciet solis viribus suæ voluntatis, sed quæ Deus facturus est in homine, ipse enim est qui incipit, ipse est qui perficit, ipse est qui operatur in nobis velle, ipse est qui operatur in nobis operari bene, dicente Apostolo. Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet. Hæc autem si sic sese habeant & catholica sit Augustini doctrina per diuinam prædestinationē & reprobationē tolli videtur tota liberi arbitrij potestas. Quid enim poterit liberum arbitrium, si omne opus bonum sit in nobis diuinæ prædestinationis donum, & non fiat potestate hominis, sed voluntate Dei, sic ab æterno facere proponentis, & ad huiusmodi opera eundem hominem ab æterno prædestinantis. Præterea reprobatum hominis voluntas non potest vlla admonitione, suasionem, aut correptionē ad bonum ita excitari, vt corrigatur & emendetur. Deinde & prædestinati hominis voluntas non potest vlla vi, aut vlla suasionem ad malū ita flecti, vt pereat, & damnetur. Non est ergo libera humanæ volūtatis potestas neq; ad malum, neque ad bonum. Prior pars antecedentis patet. Nam dicit scriptura. Consydera opera Dei, quòd nemo potest corrigere quæ ille despexerit, id est reprobaverit. Apud Ioannem de Iudeis reprobatis legimus, Propterea non poterāt credere, quia dixit Iſaias, Excæcavit oculos eorum & induravit cor eorum, Ioannis duodecimo.

Secunda pars videtur manifesta. Primum ex testimonio Ioannis apostoli, dicentis eum, qui ex Deo natus est non posse peccare. Qui ex Deo, inquit, natus est, non peccat, & nō potest peccare, quia semen Dei conseruat eum, &c. Cui & consonat doctrina August. in lib. de correptione, & gratia ex multis scripturis cap. 9. concludentis. Quòd quicumq; in præscientia Dei, & providentia præsciti sunt ac prædestinati etiam non vocati nondum nati, nondū renati, iam in Dei præscientia sunt Dei filij & omnino perire non possunt, sunt in memoria Dei inconcussa stabilitate conscripti, cap. 9. & infra cap. 10. Spiritu sancto tantum accenditur voluntas electorū, vt ideo possint, quia sic velint, ideo sic velint, quia Deus operatur

in eis

in eis vt velint. Inter tot igitur, & tantas tentationes huius vitæ subuentum est infirmitati humanæ voluntatis, vt indeclinabiliter & inseparabiliter per diuinā gratiam ageretur. Et ibidem cap. 13. Eorum qui in regnum Dei sunt prædestinati ita certus est numerus, vt nec addatur eis quisquā, nec minuatur ex eis. Vnde & hoc videtur significasse saluator. Ego, inquit, cognosco oues meas, & nō rapiet eas quisq; de manu mea. Quod dedit mihi pater, nemo potest rapere de manu patris mei, Ioannis decimo. Item Apostolus. Quis nos, inquit, separabit à charitate, quæ est in Christo Iesu. Scio quia neq; mors, neq; angustia, neq; creatura vlla poterit nos separare à charitate, quæ est in Christo Iesu. Si nihil potest hominem, qui semel accepit charitatem, separare à charitate, consequens videtur illum non posse peccare. Sed contra hæc argumento secundo pro defensione liberi arbitrij replicatur, probando quòd credere sit in liberi arbitrij potestate. Nam euangelio prædicato potest humana voluntas, aut consentire & obedire, aut saltem nō contemnere, alioquin contēnens, & nolens credere, nō efficeretur dignus supplicio magis quàm belua, vel infans, qui forinsecus audit verba euangelij, & nō potest intus consentire contra doctrinam saluatoris. Si non venissem, & loquutus eis fuisset, peccatum non haberent, peccatum, inquam, infidelitatis, quia credere noluerūt.


Deinde quòd credere sit opus voluntatis, & in liberi arbitrij potestate, docuerunt ab initio quotquot fuerūt ecclesiæ patres Cyprianus ad Quirinū. Credendi vel non credendi libertatem in arbitrio positam docet scriptura in Deuteronomio. Ecce dedi ante faciem tuam vitam, & mortem, bonum & malū, elige vitam & viues. Item apud Iſaiam. Si volueritis, & audieritis me, & cæt. Item in Euangelio iuxta Lucam. Regnū Dei intra vos est, hæc ille. Eandem sententiā tenet Chrysostomus in locis plurimis. Item Ambrosius in commentarijs cap. 4. ad Romanos ex verbo Apostoli, Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiā. Credere, inquit, aut non credere voluntatis est, neq; enim cogi quis potest ad id quod manifestum non est, inuitatur non extorquetur, quamobrem & consentiens præmijs est afficiendus, sicut Abraham. Hæc ille. Si quis necessitate diuinæ prædestinationis ita crederet, vt non haberet in potestate non credere, qua ratione meretur credendo. Item Augustinus in libro de spiritu & litera, Liberum arbitrium naturaliter homini attributum. Vis media est, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest. Visoriam suasionibus agit Deus, vt sponte credamus vocanti. Consentire vel dissentire propriæ voluntatis est. Hæc Augustinus. Si credere euangelio non esset situm in potestate liberi arbitrij, nō exigeret illud Christus in euangelio ab homine, neque esse reos doceret nolentes credere, neque diceret. Si non venissem & loquutus eis non fuisset, & cæt.

Hic iam si dixeris secundum doctrinā Apostoli. Nemo potest credere, nisi vocetur, & euangelium sibi prædicetur, dicente Apostolo. Quomodo credent, nisi audiant, & quomodo audient sine prædicante? Deinde iam vocatus quispiam, & euangelio prædicato non potest credere, nisi Deus suasionem intus trahat, & suggerat. hæc autem non sunt officia humanæ mentis, quæ non habet in potestate, vt vocetur, & vt intus trahatur, aut vt credibilia, quæ sunt supra humanæ ratiois indaginem, sibi veniant in mentem. Vera quidem sunt hæc, sed mox occurrent liberi arbitrij defensores, & dicēt. Quisq; in sua habet potestate, vt vocetur, in eo quod Deus, quantum in se est, omnibus adest, paratus illustrare intellectum, & quæ ad salutem sunt necessaria, dare omnibus, quantum in se est faciētib; secundū scripturas ipse expectat peccatores vt respiciant. Ipse dicit ad genus humanum. Mulier & si oblita fuerit filij veteri sui, ego tamen non obliuiscar tui. Nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur, & viuat. Ego sto ad ostium & pulso. Deus,

f iij inquit

Argumenta, quibus probari solet, credere esse in potestate liberi arbitrij.

Vocare, trahere, suggerere, sunt officia Dei, sed non hominis.



inquit Petrus patienter agit, expectans & nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reuerti. Ipse, inquit Paulus, vult omnes saluos fieri, vnde & dissimulat peccata hominum propter poenitentiam. Cum ergo quisque habeat in sua potestate pro sua salute facere, quod in se est, & Deus omnibus, quantum in se est, facientibus adest, paratus illustrare, consequens videtur vnumquemque iam adultum habere in sua potestate, vt audiat euangeliū, & credat. Nec obstat, quod fides, charitas, credendiq; voluntas sint opera Dei, & ita nemo à semetipso hæc habet, sed à Deo accipit. Nam quamuis ipse nō possit sibi virtutes, vt pote fidem, & charitatem immittere, vtique tamen potest aliquid facere, quo factō lumen suū accipiat. Deinde quamuis non potest sibi virtutes infundere, vtique tamen libero suo potest arbitrio opus harum virtutum facere, voluntariè scilicet credere, confiteri, & sacrificare Deo inuis suggerente, & inuitante. Aliud enim est virtus, aliud virtutis opus, quemadmodum docet August. super illud psalmi, Feci iudiciū & iustitiam. Et hæc dicendo stabunt sententię Christi, & Apostolorum, ex fide credere, ex charitate diligere esse Dei dona. Et nihilominus nos ex nobis posse facere aliquid, quo accipiamus illa. Stabit etiam veritas doctrinæ Augustini. Interrogantibus enim cur Deus non omnibus det fidem, non omnibus det vt credat in Iesum, Respondebitur. Quia non omnes volunt ianuā cordis aperire, non omnes volunt accipere cum Deus velit dare, non omnes volūt orare, querere, pulsare, & petere vt introcant intro, cum tamen Deus paratus sit ianuam regni cœlorum omnibus pulsantibus aperire. Vnde & in scripturis, Deus dicitur expectare peccatores, qui suis voluntatibus perueniant ad Dei gratiā, & aptos se faciant, quibus suam Deus ipse impendat gratiam & misericordiam. De vinea conuersa in amaritudinem, dicit Deus. Expectaui vt faceret vvas, & fecit labruscas. Propterea expectat vos Deus (inquit Isaias) vt misereatur vestri. Præterea omnes sermō ecclesiastici patres ante Augustini secula, & plurimi posteriores, prædestinationem diuinam, ac reprobationem ita definiunt, vt simul liberum defenderent arbitrium, descriptentes propositum vocantis gratiæ in hoc esse, quod Deus constituerit nullum in regnum suum, nisi per sacramentum regenerationis assumere, & ad hoc salutis donum omnes vniuersaliter vocari, & propitiationē sanguinis Christi omnibus esse propositā, vt & qui voluerint fiat filij Dei, & inexcusabiles sint, qui fideles esse noluerunt, iustitiā Dei in eo esse, vt qui nō crediderūt, pereāt. Bonitatē autē & misericordiā eius in eo esse, quod neminem repellat à vita, sed indifferēter vniuersos velit saluos fieri, & vnumquemque per discretionē boni & mali tam ad cognitionē Dei, q̄ ad obedientiā mandatorū eius posse suā dirigere voluntatem, atq; ad hanc gratiam, qua in Christo renascimur posse peruenire. Vnde & sub August. seculis patres in Massilia, & Gallia constituti, planè docebāt nouū, & inutile esse prædicationi Christianę & contrariū ædificationi ecclesię, quod quidā secundū Dei propositum ita dicatur electi, vt nec medicū querere, nec salutē arripere, aut tenere, nec credere Euāgelio prædicato valeāt, nisi credēdi voluntate prius donata. Ad dentes à nullo priorū patrū propositū Dei vocātis sic esse intellectū, sed de hac re penè parem, & eandē esse omnium patrū sententiā, accipientium propositū hoc & prædestinationē secundū præscientiā Dei prouidētis, in qua quisq; voluntate sit futurus.

Amplius autē & Faustus Galliæ episcopus de gratia Christi duobus libris scribens cōtra eos, qui prædestinationem & reprobationē definiēbāt secundū æternū Dei propositū, non propter vlla opera in hominibus præuisa, alios prædestinātis.

alios

alios verò reprobantis, arguit eos, qui prædestinationē ita intelligunt, vt inde humanorū actū causa nascatur, planè docens Christum, qui est omnium conditor & redemptor gratiā omnibus offerre, omnibus ingerere, iustitiam quoq; esse generale munus, & publicū quasi fontem quendam in medio mundi huius expositum & in commune concessum, patentem omnibus ad hauriendum, vt meritō reus sit, qui haurire neglexerit. Vnde & in libro suo secundo de gratia, & libero arbitrio capit. 6. coarguit eos qui ex doctrina Apostoli ad Roma. 9. moliebantur concludere, Deū inter duos perditos non habita vlla consideratione laborū, aut deuotionis, vnū cessantibus officijs, sine ratione assumere, alterū sine discretionē in perditionē relinquere, demonstrans ex eodem cap. 9. Paulum voluisse Isaac, & Iacob populūq; in illis designatū propter præuisam fidem & obedientiā esse à Deo dilectos, atq; assumptos. Imael autē & Esau, populūq; in illis designatū, propter præuisum à Deo fidei contemptū & arrogantiam in proprijs operibus fuisse odio habitos, ac derelictos, Sicut & idem Apostolus in calce eiusdem capituli, rationem assignat, cur Israel sectando iustitiam nō est assequutus iustitiam, quia non ex fide, inquit, sed quasi ex operibus voluerunt iustitiam apprehendere, gentes autem, quæ non sectabantur iustitiā, non ex operibus, sed ex fide voluerunt iustificari. Patres autem isti hac in re ab Augustini doctrina dissentientes, non videntur Christianā fidem violasse. Videtur igitur doctrina Augustini in libro suo de prædestinatione sanctorū, & in alijs, quos cōtra Pelagij heresim scripsit, nō esse de necessitate fidei, sed opinionis humanā, quā non tenemur credere. Deinde multi sunt homines reprobati, qui sacramēto fidei regenerati, ad tempus credunt, charitate diffusa in cordibus ipsorū, sed huiuscemodi homines possunt in fide & charitate accepta diuinitus perseverare, & saluari, dicēte scriptura, Dedit eis potestātē filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius. Reprobatus igitur potest saluus fieri. Vnde Tyrrij & Sydonij erāt reprobati, qui tamē per naturale munus intelligentiæ credidissent, & in cinere, & in cilicio poenitentiā egissent, si prædicationē Euangelij, & magna illa Dei miracula vidissent. Deinde multi sunt prædestinati, qui possunt facere mala, & in malitia perseverare, quos & Deus præmatura rapit morte, ne malitia mutet eorū intellectum, ergo is qui est prædestinatus, potest fieri malus & damnatus. Vnde & in Isaias ad gentem peccatricē, populum graui iniquitate reprobātū, dicit Dominus, Lauamini, mūdi estote, auferte malum cogitationū ab oculis meis, quiescite agere peruersē, discite benefacere, & tandē sequitur, Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis, quod si nolueritis, gladius deuorabit vos. Quod Hieronymus tractans, Liberū, inquit, seruat arbitrium, vt in vtranq; partem, non ex præiudicio Dei, sed ex singulorū meritis, vel pœna, vel præmiū sit.

Quò propter defensionem gratiæ & prædestinationis, videtur liberū tolli arbitrium. Quemadmodum Deus sese habet in creatione seu resuscitationē, qua homo resuscitatur, seu creatur ad vitam corporalem, ita sese habet in creatione seu viuificatione, qua homo spiritualiter mortuus, creatur seu resuscitatur ad vitam spirituales, homo autem vt nascatur corporali vita, nihil facit voluntate sua, ergo neque facit quicquam voluntate sua, vt spiritualiter mortuus renascatur spirituali vita, sed prædestinatio est diuina voluntas, proponens creare hominem ad spirituales vitam. Reprobatio autem est diuina voluntas, deserens hominem in spirituali morte. In huiuscemodi ergo diuinæ prædestinationis effectu, videtur humana voluntas esse res de solo titulo. Vnde ex superioribus manifestum est, quod Deus quos voluit, ad spirituales vitam prædestinavit, & quos voluit reprobavit, pro simplici suo beneplacito absque causa in hominibus ipsis præuisa, id est, non propter vlla opera præuisa, vel in prædestinato, vel in reprobato.

f. iij Cuius

Cuius vult, inquit Apostolus, miseretur, & quem vult indurat.

Proinde & Augustinus in libro de prædestinatione sanctorum, & alijs locis innumeris docet prædestinationem esse diuinam voluntatem, qua ipse Deus decreuit alicui dare vitam æternam, non propter bona opera quæ præsciuit futura per humanæ voluntatis arbitriū, neq; rectè possemus dicere, quod effectus diuinæ voluntatis sit vita æterna, bona autem opera sint nostræ voluntatis solius opera. Illa enim, inquit, est praua & impia Pelagianorum doctrina. Sed prædestinatio est qua Deus præparauit homini in hac vita & fidē, & bona opera, & perseverantiā vsq; in finē, & postremū vitā æternā. Dat quidē Deus prædestinatis vitā æternā propter fidē, & propter bona opera ex fide, sed huiusmodi omnia sunt ex Dei prædestinatis gratia. Prædestinatio est præsciētia, & præparatio beneficiorū Dei, qua certissimē liberātur, quicumq; liberātur. Discernitur in hac vita prædestinatus à nō prædestinato, nō per bonū liberi arbitrii vsū, quē Deus præsciuit prædestinatū ex sola illius prædestinati voluntate habiturū, sed per dona fidei & bonorū operū, in quibus iuxta apostolicā doctrinam ipse Deus sua misericordia eundem prædestinatū finxit, & creauit. Deus, inquit, Apostolus, est qui operatur in vobis velle & operari pro bona voluntate. In bonis, inquit, operibus ipse nos finxit & creauit, quæ & præparauit, vt in illis ambularem. Deus ergo si prædestinatione sua fingit, creat & præparat opera bona, consequens videtur, quod liberi arbitrii potestas non sese extendit ad illa. Præterea Deus sua prædestinatione efficaciter mouet hominum electorum voluntates, & tam efficaciter tamq; potenter dirigit & gubernat illas, vt non nisi bene volentes, & perseverantes esse possint. Quod videtur manifestum ex scripturis palam docentibus, efficaciam diuini beneplaciti non posse cassari aut impediri ab vlla causa. Vnde & hæc est doctrina Augustini, vbi supra, & in libro de correptione & gratia, distinguētis inter adiutoriū gratiæ, quod nūc datur prædestinatis, & adiutoriū datū Adæ sub innocentia statu. Adæ, inquit, datū erat adiutoriū, quo posset permanere & nō permanere in bona voluntate si vellet. Vt autem vellet, in eius reliquit arbitrio, dicēte scriptura, Reliquit eum in manu consilij. Nunc autem in regno Dei prædestinatis non solum datur adiutoriū, quo possunt permanere & nō permanere si velint, sed etiā datur ipsum velle, quo permanere volunt. Tale, inquit, & tantū nunc datur prædestinatis adiutoriū, quo nō nisi volentes ac perseverantes existant. Homines quidem ideò bene viuūt, quia bene viuere volunt, sed ideò, inquit, sic volunt, quia Deus operatur in eis, vt velent. Inter tot & tantas tentationes voluntas ipsa, sua infirmitate succūberet, subuētum est ergo infirmitati voluntatis humanæ, vt ipsa in declinabiliter & insuperabiliter ageretur, diuina gratia operāte. Proinde prædestinatorū ita certus est numerus, vt nec addatur eis quisquā, nec minuatur ex eis. Verbum autem Apostoli dicentis, Deus vult omnes saluos fieri, interpretatur ibidē de solis prædestinatis debere intelligi distributionē vniuersalē, hoc est, omnes qui saluantur Deus vult saluos fieri. Ac si dicat, Nullus saluatur, nisi volente Deo. Quæadmodum dicimus, Omnes intrāt domum per ostium istud, hoc est, nullus nisi per hoc ostium. Huiusmodi autē doctrinā probat per omnes libros suos contra Pelagium æditos idem Augustinus, efficacissimis scripturæ sacre testimonijs, quibus ostendit nō solum potestatem benefaciēdi, sed & omne opus bonū esse in nobis Dei donū, nec esse ex liberi arbitrii potestate, quod sumus electi ad operandum fructum bonorum operum, aut ad obediendum Euangelio prædicato. Non vos, inquit saluator, me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, vt eatis & fructum afferatis. Quod Apostolis dixit, hoc & omnibus dixit prædestinatis, Quod vobis dico, inquit, omnibus dico. Deus qui facit in nobis fructus bonorū operū, facit nos in declinabiliter operari bene,

& perseuera

& perseverare vsq; in finē. Videtur ergo liberū arbitriū prædestinatorū accepisse tale ac tātū adiutoriū, quo nō possit à bona voluntate declinare. Nā si posset ex acceptione huiusmodi adiutorio electus ad malū se vertere, ipsum esset adiutoriū quo posset perseverare si vellet, & ita nō stare inter adiutoria præfata Augustini distinctio. Quod & Paulus videtur docuisse in epistola ad Roma. cum de charitate quæ nunq; excidit, loquitur, Certus sum, quia neq; mors, neq; vita, neq; præsentia, neq; futura, neq; vlla creatura poterit nos separare à charitate, quæ est in Christo Iesu.

Insuper perseverare in fide & charitate accepta, non est situm in potestate humane voluntatis, sed est opus Dei tenentis voluntatē hominis, & in voluntate sua illum deducens, quod per omnē locū passim indicant scripturæ, Tenuisti manū dexterā meā, inquit propheta, & in voluntate tua deduxisti me. Quod autē Deus sic teneat electos suos ne cadere possent, planē videtur dicere August. libro. 2. de bono perseverantiæ. Donum, inquit, perseverantiæ, quod solis datur prædestinatis, suppliciter quidē emereri potest, sed cū datū fuerit, contumaciter amitti nō potest quod & saluator significauit. Si fuissent, inquit, ex nobis, mansissent vtique nobiscū.

Ex hac Augustini doctrina potest tale sumi argumentū, Qui in fide & charitate accepta perseverat, habet perseverantiæ donū, & propterea habet, quia à Deo accepit, si autem acceperit hoc perseverantiæ donum, contumaciter non potest amittere illud. Non potest igitur prædestinatus vsque in finem peccare. Deinde qui in accepta fide, aut bona voluntate non perseverat, non habet perseverantiæ donum, & propterea non habet, quia non accepit, ideò autem non accepit, quia Deus non dedit. Quid ergo is peccauit nō perseverando, qui Deo nō dante, perseverantiā non accepit, quā absque Deo dante habere non potuit.

Sed contra hæc pro defensione liberi arbitrii obijcitur argumentū tertio. Prædestinatio est diuina voluntas, qua Deus vult suis electis in hac vita dare gratiam, & in futuro vitā æternā. Sed hæc voluntas nō potest esse irrationabilis, dicit enim scriptura, Omnia fecisti in sapientia. Est igitur ratio aliqua in prædestinatis prauis, propter quā Deus ab æterno prædestinauerit illos, & hæc nō videtur esse alia quā pium aliquod opus præuisum, futurū à libero arbitrio, vel ante gratiā vel post acceptā gratiā, veluti bonus vsus gratiæ, quem ipse præuidit à libero arbitrio futurū. Sic tradit venerabilis Bonaventura, quod Deus voluit prædestinatū iustificare propter bonū vsū gratiæ præuisum, vt à libero hominis arbitrio futurū. Sic quoque tradunt ecclesiastici patres. Deus, inquiunt, voluit illis dare gratiam, quos præsciuit bene vsuros gratia. Cæteris autē, quos nouit nō bene vsuros, dare noluit. De quo vide Ambrosium, & Origenem, super capite nono ad Romanos.

Præterea si absq; causa, & ratione pro simplici voluntate Dei ante mundi constitutionem, alij sunt prædestinati ad vitam, alij præordinati ad mortē, secundum quod placuit creatori, consequēs videtur Christum non pro omnibus mortuum esse, & sanguinem eius non esse pro omnibus vsū contra scripturas, & contra Apostolum Paulum dicentem. Ipse est saluator omnium hominum, maximē fidelium. Item contra Apostolum Ioannem. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Consequētia tamen hinc videtur manifesta, quod Deus pater nō decreuit filium suum ad salutem reprobatorū mittere, si secundum æternū suū propositū, ipse ante constitutionē mundi, voluit illos non saluos facere sine causa & ratione præuisa in ipsis futura. Non apparet igitur prædestinatio diuina, sed liberum arbitriū esse causa propter quā alij sunt salui, alij nō sunt salui. Nam si Christus pro omnibus mortuus est, oportet Christum, quātum in se est, venisse pro salute omnium hominum. Ex quibus videtur manifestum propitiatiōē, quæ est in sacramēto sanguinis eius, sine exceptiōe omnibus

In bonis operibus deus nos finxit, format & creat.

omnibus esse propositam, vt quicunq; ad fidem, & baptismū accedere voluerint, salui fiant, & ita Deū velle saluare omnes homines, nec tamē omnes homines velle saluari. Sic legēs omnium ecclesiasticorū dogmatū scriptores ante Augustini sæcula, & nōnullos etiā post eiusdē Augustini tempora inuenimus eosdem patres concorditer docuisse omnes homines in Adam peccātes periisse, & neminem per opera, sed per gratiam eius in sanguine Christi posse saluari, & propositū vocantis Dei in hoc esse, quod cōstituerit nullum in regnū suum, nisi per sacramentum regenerationis assumere, & hoc donum ab exordio propagationis humanæ vsque in finem annūtiari, quibusdam, vt pote credentibus ad præmium, quibusdam vt pote nolentibus credere ad iudicium, quibusdam prorsus non annūtiari, sed his solum qui præsciebantur omnino non credituri.

Sic Chrysostomus super parabola de operarijs conductis in vineam, Deus, inquit, ab initio omnes conduxit, sed quod non omnes eodem tempore paruerūt à voluntate vocatorū, hæc differentia resultabat. Idcirco alij manē, alij hora tertia, alij hora vndecima vocātur, quia tunc obtemperaturi erant. Deus voluit vocare Paulum, quādo obtēperaturus erat. Nam & ipse à primis cunabulis illum vocare voluisset, sed quia illū renitentē fore sciebat, tūc voluit cū sciret vocationē penetraturā esse ipsius animā. Antē potuisset latronē vocare, sed ille nō antē paruisset.

Item Ambrosius in cōmentarijs super caput. 6. ad Roma. tractans verbū Apostoli sumptū ex trigesimo tertio capite Exodi, Miserebor cui voluero. Misericordiam, inquit, prestabo ei quem præsciui post errorē recto corde ad me reuersurū, sciens permanfurum illum apud me, vt illum vocet, quem sciat obaudire, illum autem non vocet, quem sciat minimē obaudire. Item Augustinus in quæstionibus contra Porphyrium, In illo tempore, & in illo loco voluit Deus prædicare suum Euangelium quādo sciebat, & vbi sciebat fore, qui in eum essent credituri.

Amplius autem & hoc videtur probari. Nam bonus vsus gratiæ est liberi arbitrii opus factum, Dei gratia adiuuante. Sic enim loquūtur scripturæ, Deum adiuuare hominem. Vnde in omnibus scripturis, sancti & prophete Deum orant, non vt Deus solus in ipsis faciat opera bona, sed vt adiuuentur. Nemo autē, inquit Augustinus, adiuuatur, nisi qui etiam aliquid operatur. Opus autē quod facit homo, Deo adiuuante, est à libero arbitrio, & ita est ab vtroque. Si ergo actio aliqua est in libero hominis arbitrio, quæ nō est à Deo, consequens videtur bonū opus esse à libero arbitrio, quodam agendi modo, quo non est gratia, cum omnis actio habeat in passo relationē sibi respondentem. Vnde liberū arbitrium potest resistere & non resistere, potest vti adiutorio gratiæ, & non vti. Adiutorii ergo quod prædestinatis datur, non adimit ab ipsis potestatem declinandi ad vitia.

Proinde & patres olim in Masilia & Gallia constituti, molestē ferebāt doctrinā Augustini distinguētis, inter adiutorii gratiæ primò homini datum, & adiutorii, quod nūc datur prædestinatis, admittētis quidem neminē posse perseuerare, nisi perseuerandi virtute accepta, nolentes tamen hæc perseueratiā ita prædicari, vt cōtumaciter amitti nō possit, sed vnūquenq; posse à perseueratiā deicere & infirmari, dicēte scriptura de prædestinato, Qui potuit transgredi, & nō est transgressus.

Chrysostomus homilia quinta de laudibus Pauli, Nihil, inquit, est quod nos Pauli similes vetet fieri, ille enim nō solum gratia Dei, sed etiā sua voluntate effectus est, & idcirco grata illius opera, quia etiam de propria voluntate.

Item in homilia octaua, super ad Timothæū epistolā, Liberi arbitrii cōditi sumus à Deo, qui alia quidē operatur, alia quidē permittit, & nō ex sola illius voluntate sūt omnia, sed ex nostra quoq; sunt aliqua. Mala omnia ex nostra tantūmodo sūt, bona omnia ex voluntate nostra, simul & illius adiutorio. Hęc Chrysostomus.

Vide in

Vide in eisdem homilijs pro liberi arbitrii defensione cætera quæ sequuntur dogmata, ex quibus & alijs eiusdem Chrysostomi sententijs, planē videbis opera omnia, quæ in nobis Deo placēt, esse volūtaria. Vnde & voluntaria Deus exigit à nobis obsequia. Sic & sancti voluntairē sacrificauerūt Deo. Voluntarie, inquit, propheta, sacrificabo tibi, & ex voluntate mea confitebor nomini eius.

Præterea stare, permanere, & perseuerare in fide & charitate accepta, sunt opera nostræ voluntatis. Quāuis enim ipsa fides, charitas, castitas, perseueratiā, & continentia, sunt in nobis dona, & illius solius opera, tamē credere & diligere, castē & cōtinenter viuere, ac perseuerare, sunt nostræ potestatis. In potestate igitur nostræ voluntatis est, perseuerare, & nō perseuerare, alioquin qua ratione hæc Deus à nostra exigeret volūtate. Manete, inquit saluator, in dilectione mea, manete in me & ego in vobis. Ex quibus videtur consequens esse, quod Deus reliquerit in nostro arbitrio manere, & nō manere. Si manseritis, inquit, in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunq; volueritis fiet vobis. Itē, Qui perseuerauerit vsq; in finē, hic saluus erit. Et vide an ne hæc sit plana doctrina Augustini tractantis illud propheta, Recordatus est Deus, quia caro sunt spiritus vadens & nō rediens. Scriptura sacra, inquit, Dei gratiam cōmendauit, quia per seipsum potest in gratia homo ambulare si habeat, lapsus verò non potest redire per seipsum, nisi gratia reuocatus. Item opus nostræ voluntatis est tenere fidem & charitatem acceptam, tenere dexteram Dei nobis porrectam, nostrum est inniti, & adherere illi iugiter. Tene quod habes, inquit in Apocalypsi, vt nemo accipiat coronam tuam. Tenui eum, inquit sponsa, & nō dimittam illum. Hęc ergo sunt, ex quibus liberum arbitrium defenditur, simul stare cum gratia Dei, & prædestinatione.

Quo propter defensionem gratiæ liberum arbitrium videtur auferri, secundum scripturas sacras, Deus sæpenumerò excæcat & aggrauat hominum corda. Deus autem excæcans corporalem hominis visum, & ex surdans aures eius, facit omnimodam impossibilitatem, secundum quam cæcus aut surdus factus homo, neque videre, neque audire quicquam potest.

Similiter ergo videtur, quod Deus excæcans & aggrauās hominū corda, faciat homines prorsus impotētes ac inidoneos, qui percipiāt cœlestis gratiæ lumen, & videtur quod hoc significauerit saluator. Propterea, inquit, non poterat credere, quia Deus excæcauit oculos eorū, & indurauit corda corū. Item excæca cor populi huius, & aures eius aggraua ne fortē videant. Proinde Augustinus in libro de natura & gratia. Iustē, inquit, damnātur etiam hi, qui audire fidem Christi nō potuerūt, nō habētes à quo discerēt. Et cap. 8. Rectē nō admittitur in regno cœlorū, non regeneratus, etiā quāuis Christianus nō solum nō fuerit, sed nec esse potuerit.

Amplius autem videtur idem cōprobari ex Apostolica doctrina, in epistola ad Roma. ex qua præcipuē aliquot habes paradoxa ad hanc præsertim materiā pertinentia. Omnē videlicet hominē priuatū esse libertate in Adam peccante, & nasci seruum peccati, & gratis iustificatū, non ex operibus, sed ex voluntate Dei miserentis, & neminē vnquā esse iustificatū, neq; ex lege naturæ, nec ex lege Moyse, Deum omnia in prædestinatis operari gratis, nō vllis operibus voluntatis nostræ præuijs. Sine penitentiā, inquit, sunt dona & vocatio Dei, id est, sine penitentiā, seu mutatione diuinæ volūtatis, sed cum immutabilitate diuini decreti, vt inquit Augustinus, aut sine penitentiā, id est, sine præuio hominū gemitu & planctu, vt inquit Ambrosius, & vtraq; interpretatio derogare videtur voluntatis libertati. Si enim electio diuina ac prædestinatio sit ita immutabilis, vt nunquā flectatur à suæ volūtatis decreto, neque vnquā peniteat Deum voluisse, quod semel voluit. Deinde si neq; exigit à voluntate hominis iustificandi gemitū & planctū, sed gratis iustificat

*Autem sententia
Ioannis Chryso-
sto. ex scriptu-
ra docentis libe-
rum arbitrium
simul cū gratia*

*Fides est solus
Dei opus, crede-
re autem est o-
pus hominis.*

*Quartū ar-
gumentum*

*Insuper dicitur
etiā hi, qui fidē
Christi audire
non potuerunt.*

*Obaudire pro
obedire.*

*Homo adiuua-
tur à Deo, ne-
mo adiuuatur,
nisi qui etiā al-
iquid operatur.*

iustificat absq; prauis operibus, ad quid ergo valebit libertas humanæ volūtatis?

Deinde planè videtur Apostolus ibi deducere, Deum in prædestinatis omnia operari, vocationē, electionē, iustificationē, magnificationē, adoptionē, glorificationē, & nō esse in potestate hominis volentis, vt vel ipse prædestinetur, eligatur, vocetur, iustificetur, vel Deus illius misereatur, sed omnia pendere ex voluntate solius Dei, non solum vocationē, iustificationē, adoptionē, glorificationē hominis prædestinati, sed & in durationē & odium hominis reprobati à Deo, de quo dicit Apostolus, Non est volentis neq; currentis, sed Dei miserētis, qui cuius vult miseretur, & quē vult indurat. Neque poterit quis hāc difficultatē effugere, adiciēdo dictionē exclusiuā solius, dicendo, Apostolū debere interpretari, nō est solius hominis currētis, sed etiā Dei miserētis & adiuuātis. Nā & hanc interpretationē iusta ratione coarguit Augustin⁹ multis in locis, & signāter in libro Enchiridij. Nam & tum etiā posset ecōtrario, inquit, dici hoc pacto. Non est solius Dei miserētis, sed etiā hominis volentis & currētis, cuius contrariū asserit Apostolus, adiciens etiā, hominē esse in manu Dei, sicut lutū in manu figuli, lutū autē figulo nō cooperatur.

Sed cōtra hæc potest formari argumentū quartū contrapositū, quo probari videtur propter exceçationē aut indurationē Dei, corda hominū indurātis aut exceçantis, nō tolli humanæ voluntatis liberū arbitriū. Deus hominē iustū aut spiritaliter videntē ac audientē, neq; exceçat, neque indurat, sed permittit hominē exceçare & indurare semetipsum, eumq; qui sibi claudit oculos, auertens ab ipso cor suū, deserit atq; dimittit ire secundum praua desydera eius, nec impartit sibi adiutoriū, quo rursus aperiat oculos, quos sibi metipsi clausit, sicuti patet in spiritibus damnatis, in quibus tamen nō perijt vis illa, quam vocamus liberū arbitriū, quamuis in eis perierit libertas à miseria & à peccato sicuti ex scripturis sacris demōstrauerūt patres sancti, Augustinus præcipuè & Bernardus in libro de gratia & libero arbitrio. Hæc ergo sunt duplicia argumentorū genera per contrapositionē ex scripturis sacris allata, ex quorū generū altero liberi arbitrii defensores, possent sibi sumere occasionē erroris Pelagianorū ex scripturis sacris, doctrinisq; sanctorū liberū arbitriū ita defendentes, vt iniuriā facerent gratiæ & prædestinationi diuinæ. Ex altero verò, tum hæretici, tum pusillanimes in Christiana fide, accipientes sibi occasiones inertiae & otij, incusant Deum in corde suo, quorū machinamenta, Dei gratia annuente, conabimur euertere, cōsultantes prorsus eorūdem hæreticorū iacula, & suscipientes infirmos in fide, corroborantes scripturis pusillorū Christianorū corda, quatenus timere discant Dei iustitiam, & ita honorare studeant Dei miserentis gratiam, ne frustra, aut inuacuū inueniatur recepisse illam. Sed cum Paulo iam prædestinato castigant corpora sua voluntariè, & carnem in seruitutem redigant, ne efficiātur reprobī. Prædestinatio enim diuina siue sit in vitam æternam, siue in gehennam nō facit, vt aliqui ex filijs Dei sint filij diaboli. Deus nō facit, vt corda mollia sint indurata. Deus, inquit, Augustinus, nec quæ illuminat, obcæcat, nec quæ emolliuit, indurat, nec quæ plantauit, euellit, sed homines suis negligentijs, malitijs, & prauis voluntatibus dura faciunt corda propria, vt recipere nequeant diuinæ gratiæ impressionē. Vnde admonetur humana voluntas. Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.

Caput secundum, in quo pro dissolutionibus perplexitatum, aut difficultatum in supradictis argumentis ponuntur considerationes quadam, atque sententiæ ex scripturis sacris pro concordia liberi arbitrii, & prædestinationis diuinæ.

Primum ex supradictis recolendum est antiquam esse hominū queremoniam ex diuina præscientia, prædestinatione, ac reprobatione putantur esse sublatum liberū hominis arbitrium, non humiliter sententiū, nec rectè intelligentium

gentium Christi miserentis gratiam. Quomocumque inquirunt egerit homo, non potest erga ipsum aliud quam Deus definiuit accidere, atq; ita cassa erit conantis humanæ voluntatis intentio, si aliud haberet predestinantis electio. Cæterum eandem cantilenam varijs ratiocinandi modis repetentes, Si sit, inquirunt, propositum electionis diuinæ, secundum quam ante humani generis constitutionem electorum, vel reprobatorum hominum facta est discretio, vt secundum quod placuit creatori, homines alij vasa honoris, alij contumeliæ vasa sint creati, consequens est, vt neque reprobis vlla industria possit intrare, neque electus vlla negligentia excidere, cum nemo valeat diuinam voluntatem impedire, quæ si non potest superari, aut cassari à nostra voluntate, consequens profectò videtur voluntates humanas, omnesque creatas, causas fatali quadam necessitate subiectas esse voluntati diuinæ. Siue igitur dormiamus, inquirunt, siue curramus, quod de nobis prædestinauit Deus, qui falli non potest, hoc erimus. Hæc & id genus alia congerunt argumenta multa, quæ etiam in ore solent esse omni populo, imperitæ plebi, indoctisque mulierculis metientibus abyssum diuinæ præscientiæ, ac voluntatis immensæ, secundum vanas suas cogitationes, Dei etiam miserentis gratiam super vniuersum genus humanum damnationi obnoxium, non rectè intelligentibus. Vnde & in ratione supradicta dum assumunt alios homines esse à Deo creatos, vt sint vasa honoris, alios vt sint vasa contumeliæ. Non verum est quod dicunt. Deus nempe instituens hominum genus, non fecit homines esse vasa contumeliæ, sed fecit hominem ab initio rectum & bonum. Hominum autem genus declinans à Deo conditore suo, factum est massa contumeliæ. Et idcirco nunc est aut gratiæ Dei miserētis, aut iustitiæ diuinæ, si ex hac massa dignetur alios facere vasa honoris, alios verò deserere, vt maneat in massa contumeliæ. Nulla igitur potest esse iniustitia in prædestinatione electorū, aut reiectione reprobatorum, etiam & si reprobis non adiuuetur à Deo, vt vlla industria sua valeat fieri vas honoris, aut vitæ æternæ filius. Vnde etiam hominum genus si perseverasset in innocentia, seu in originali iustitia, quamuis nullum fuisset vas contumeliæ, indignis nihilominus diuina gratia ad assequendum vitam æternam, qua quilibet beatus fruitur Deo, perpetua pace securus, sed tum illa gratia non fuisset gratia Dei miserentis, id est, liberantis à miseria culpæ, ac mortis, qualis nunc est, qua indigemus ad effectum duplicem, ad tollendum videlicet malum culpæ, & miseriæ, & ad obtinendum regnum cælorum, quemadmodum ait Isaias propheta. Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. Et quia de hac re copiose satis tractatur in libro de libero & seruo seu captiuo arbitrio, nunc prosequi congruit de immutabilitate, infallibilitate, & efficacia præscientiæ, prædestinationis, diuinæque voluntatis, & declarandum est hanc non tollere liberum hominis arbitrium. Sciendum est igitur quod supradictis perplexitatibus nō obstantibus, solida & immobilis hætenus mansit tota Christianorū ecclesia, etiam simplicium hominum, qui firmissima fide credentes diuinam præscientiam esse infallibilem, diuinamque voluntatem esse immutabilem, neque vllam humanæ volūtatis potestatem posse resistere efficaciam illius, & nihilominus cū huiuscemodi fidei sententijs intelligentes sese non necessitatis inclinatione esse determinatos ad vnum, sed indifferentes ad multa, & se nunc sursum in sempiterna, aut in futura, nunc deorsum in terrena, & in presentia consideranda esse veritabiles, & ex sui consilij ratione arbitrioque voluntatis, nunc hac, nunc illac sese posse conuertere mentis aciem, & membra alioqui non impedita se posse mouere in opus, scientes tamen Deum ita præsidere ipsis, vt neque incipere aut vellet, neque agere, neque membra extendere contra præscientiam, aut efficaciam diuinæ

Gratia Dei fuisset necessaria etiam si homo non peccasset, sed non fuisset tunc gratia Dei miserentis.

Recta fides simplicium Christianorū de diuina præscientia & libero hominis arbitrio.

diuinæ voluntatis, valeant. Atque ita sentientes sese tam suauiter à diuina voluntate gubernari, vt liberè veliat, libereque agât quod voluerint, intelligūt Deum qui omnium rerum causas, earumque ordines præciuit, & preparauit, in eisdem quoque; causis præuidisse, etiam & præparasse, voluntates hominum esse causas liberè, & pro suo arbitrio operantes. Sic nouerūt viri Christianissimi, Deū certissimo præcise vniuscuiusque hominis finem, mortisque horam, præuidereque omnium rerum euentus, omnium operum nostrorum exitus, et neque fructus in agris, aut in vineis crescere absque efficacia volūtatis illius, qui dat vnicuique semini propriū corp⁹, propter hoc tamen nec ipsi cessant aerē pestilentē fugere, aut agros colere, aut plantare vineas, propter diuinā præscientiā infallibilem, ne que segniter otiantes, neque; deterriti ab operando. Sic doctor gentium Paulus certissime sciens electos ac prædestinatos salutem assequuturos, constanter ait. Omnia scilicet vincula, carceres, iniurias, sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu cum gloria cœlesti. Sciebat præterea, qui toties prædestinationem commendauit non secus futurum, quàm prædestinasset Deus, nec ob id tamen destitit à labore, ab exhortatione, admonitione, obseruatione, reprehensione, aut castigatione. Denique Timotheo scribens ait. Noli erubescere testimonium Domini nostri. Sed collabora euangelio secundum virtutem Dei. Item labora sicut bonus miles Christi Iesu. Itemque, Argue, increpa in omni patientia, & doctrina. Et post pauca subdit. Tu verò vigila in omnibus labora, opus fac euangelistæ, ministerium tuum imple. In quibus claret quòd officium euangelizandi discipulo magister indixit, qui non ignoraret secundum prædestinationem Dei omnia futura, & cetera. Secundò considerandum ex sacris scripturis frequenter suprãdictis esse manifestum, quòd Deus multa non fecit, quæ fecisse potuit, multa insuper fecit, quæ potuit non fecisse. Denique multa quæ facturus est potest non facere. Et rursus. Multa non est facturus, quæ potest facere. Et hoc, quia secundum scripturas dicitur omnipotens. Omnia enim possibilia sunt ei, cui non est impossibile omne verbum. Secundum hæc legitur Christus dicere. An putas quia non possum rogare patrem, & exhibebit mihi modò plus quàm duo decim legiones angelorum? Item Ioannes baptista dixit Iudæis. Potens est Deus de lapidibus suscitare filios Abraham. Deus præterea, qui puniuit Ægyptios per ranas & muscas, potuit vtique aliis creaturis, & aliter punire, dicente scriptura. Non impossibilis erat manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuisa immittere illis multitudinem vrsorum, aut audaces leones, aut noui generis ira plenas, & ignotas bestias, aut vaporem igneum spirantes, aut fumum odorem proferentes, aut horrendas ab oculis scintillas emittentes, quarum non solum lesura poterat illos exterminare, sed & aspectus per timorem occidere. Nam & sine his vno spiritu poterant occidi persequutionem passi ab ipsis factis suis, & dispersi per spiritum virtutis tuæ. Sed omnia in mensura & numero, & pondere disposuisti, & miseris omnium, qui omnia potes, & dissimulas peccata hominū propter pœnitentiam. Insuper secundum definitionem ecclesiasticorum patrum, redemptionis humanæ fuit Deo alius modus possibilis, sed qui factus est & non alius placuit. Deus autem si nunc multa non est facturus, quæ potest facere, consequitur, Deum nunc multa non præscire futura, quæ potest præscire esse futura, sicut & futura possunt esse. Vnde de hac materia differentibus, & meditantibus iugi semper memoria humiliter tenendum, ac sentiendum est quòd prædestinationis, ac reprobationis nominibus, effectus designatus, à Deo, aut præparatus, aut præuisus nõ sit aliqua in humana voluntate, vel immutabilis, vel coactitia necessitas, sed quòd prædestinationis vocabulo exprimat clemens ac mise-

nota similitudine

Scripturis sacris probatur, Deum esse omnipotentem, & posse facere multa, quæ non facia.

In prædestinatione ac reprobatione quid in xi memoria tenendum.

ac misericors voluntas Dei, intendentis hominem liberare à peccato, dareque ei vitam æternam per indebitam gratiam, reprobationis verò vocabulo iusta voluntas Dei negantis beneficium gratuitum, quo reprobatus liberaretur à peccato, vitamque æternam consequeretur. Quòd autem nec ipsa prædestinans voluntas diuina, nec gratia illius iuuans faciat in voluntatibus prædestinatorum vllam necessitatem, probatur per scripturas, docentes hominem prædestinatum, à fide posse, & charitate deficere. Qui stat, inquit Apostolus, videat ne cadat, qui potuit transgredi, inquit scriptura, facere mala, & non fecit, & alibi. Raptus est ne malitia mutaret intellectum illius, & cetera. Et Apostolus Paulus vtique prædestinatus de se dicit. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Diuina igitur prædestinatio non facit hominis voluntatem in hac vita esse immutabilem & immobilem, quæ & si in futura vita faciat voluntatem hominis, per gratiam Dei cõfirmatam esse in Deo vero suo beatifico bono clarè iam visò, Non tamen inde consequens est ipsa liberum arbitrium esse aut violentia, aut necessitate coactum. Quòd quidem tanto minus est coactum, quanto magis ex ratione voluntarium, tantoque magis liberum, quanto amplius à peccato & miseria alienum, spontaneè inhærens suo vero beatifico bono. Neque enim Deus idcirco putandus est non esse liberi arbitrij, quòd ipse nõ possit in deterius immutari, aut à summo bono deficere. Igitur cum prædestinationis gratia, liberum arbitrium à captiuitate liberet, quatenus Deum suum conditorem & beatificum bonum animæ rationalis cognoscat, obsequatur, illique seruiat hilari & spontanea voluntate, secundum quòd dicit saluator. Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis, consequens est, per gratiam Dei non esse sublatà libertatē arbitrij. Nec ob id oportet nos min⁹ liberè facere, quæ facimus, quia Deus ipse nos trahit, atque ducit, vt faciamus. Sed ecòtrario sequitur, quòd maxime operemur libera voluntate, quia ipse inclinat voluntates nostras, vt quòd agimus, spontanea ac hilari voluntate agamus. Sed de his latius in superioribus tractatum est. Deinde patet, quòd per diuinā reprobationē similiter liberū hominis arbitrium non destruat. Et si relinquatur in hac vita agere secundum sua desideria reprobatus, & tanquam equus indomitus currere per campum sollicitiæ, prout libido fert animi, vt declaretur per parabolam saluatoris de filio prodigo, qui portionē substantiæ se contingentē accipiens in regionē lōginquā profectus est, sibi viuere sui; iuris esse cupiens. Demū postquam à peccatis rursus liberati sumus, potestatis nostræ est redire ad vomitum, regredi in Ægyptum, dareque nos rursus in pristinam diaboli seruitutem, ad quòd nos profectum Ægyptius Pharaon, aduersarius noster, qui circuit quærens, quem deuoret, ac suggerens, vt relicta pollicitatione promissionis in baptismo sibi ad interitum comites simus, & secundum quòd dicitur. Malitia est vita hominis super terram, & per Apostolum, non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, & aduersus mūdi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitia: in cœlestibus. Insuper patet quòd quamdiu sumus in hac vita, non prorūsimus liberi à lege peccati habitantis vtique in carne nõstra per concupiscentias eius, trahentisque nostram, quantum in ipso est, voluntatē, vt fruamur delicijs, obediētes carnis nostræ desiderijs. Ediuerſo Iosue verus dux Israel Mariæ filius per spiritū suum habitantem in cordibus credentium vocat, suadet, terret, suggerit, afficit, ac trahit, vt sequamur ipsum, nihilque dulce in hac vita habeamus præter ipsum. Deinde præcipit, ne sequamur carnis nostræ desideria, & neque fœdus cum ipsis ineamus, sed vt progrediamur de virtute in virtutem, donec liberemur de corpore mortis huius, quæ tametsi viribus nostris

arbitrij præstare nequeamus (omnino ex nobis imbecilles & infirmi) ipse tamen nobis desuper dexteram porrigens semper præsto est adiuuare paratus, dicente Paulo ad homines fide iam iustificatos. Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, ut possitis sustinere, primæ ad Corin. 10. ipse est adiutor noster, inquit propheta in oportunitatibus, in tribulationibus. Ipse facit nos prudentes & attentos esse mandato suo, quatenus in omne Christianæ militiæ certamen cauti, fortes, ac instructi incedamus. In quo certamine nemo vincitur inuitus. Vnde Augustinus, Diabolus quidem suggerere potest, sollicitare potest, sed cogere non potest.

Deus non patitur electos suos tentari supra id quod possunt.

Considera
tiorertia

Tertio ex supra dictis est considerandum, quod is qui est prædestinatus, potest esse reprobatus, & ita potest esse, quod ipse nunquam fuerit prædestinatus. Rursus & ille qui est odio habitus à Deo seu reprobatus, potest esse prædestinatus. Potest igitur nunquam fuisse reprobatus. Prior huius sententiæ pars fiet manifesta, si consideremus hominem quemuis prædestinatum in hac vita peregrinantem, habere mutabilem voluntatem, eundemque secundum scripturas, posse transgredi legem, ut supra quoque ostensum est. Deinde & posse facere malum, posse excidere à fide & charitate, posse viuere secundum mala sua desideria, usque in finem huius vitæ, ex quibus necessario consequens est eundem hominem posse damnari, cum manifestum sit, omnem hominem posse damnari, qui sic potest à charitate alienus existere, ac secundum sua praua desideria viuere. Et sicut talis potest esse damnatus, ita potest esse & reprobatus. Ex quibus insuper necessario consequitur hominem illum posse esse reprobatum, & ita eundem posse nunquam fuisse prædestinatum. Videamus igitur iam quam futili fundamento Martinus Lutherus doctrinam hanc in qua omnes ecclesiastici patres consentiunt, destruere nitatur, ac concludere omnia ex necessitate euenire. Necesse, inquit, est hominem saluari, si Deus præsciuit eum saluandum. Necesse fuit ludam fore proditorem, si Deus præsciuit ipsum fore proditorem, atque ita putat ex huiusmodi diuina præscientia, prædestinatione, aut reprobatione consequens esse omnia ex necessitate absoluta fieri. Quam consequentiam infirmam ac inualidam fore, norunt etiam hi, qui vix dialecticæ prima rudimenta attigerunt. Vtiq; necesse erat Paulum à charitate deficere, & reprobum fieri, viuentem scilicet secundum concupiscentias suas, nec castigantem corpus suum, nec in seruitutem redigentem, non tamen ob id sequitur, quod necesse erat Paulum à charitate deficere, reprobumque fieri. Scire etiam oportet, quod visio illa æterna, qua Deus videt se aliquid esse facturum, non facit, quod Deus ex necessitate absoluta debeat hoc facere. Sicut nec mea visio, qua currere hominem video, facit hominem ex necessitate currere, sed tam liberè & contingenter currit, cum video currentem, quam cum illum currentem non video. Et sicut contingenter & liberè Deus quod facturum est facit, ita & præuidet se liberè facturum esse quicquid facturum est, & sese habere potestatem, qua posset illud non facere si vellet, qua & multa, quæ non facit, posset facere si vellet. Et ideo interrogantibus, cur hæc non facit, & illa facit. Respondemus, quia hæc facere vult, illa facere non vult, habens tamè potestatem etiam omnia possibilis faciendi. Et quamuis ipse videat sese non posse mutare voluntatem suam, qua voluit illud suo tempore futurum esse, non tamè inde sequitur ipsum, aut ex necessitate velle illud facere, aut non esse omnipotentem. Nam & propterea omnipotens est, quia voluntas sua sempiterna, quæ mutari, impediri, aut deficere, aut declinare à iustitia non potest, potestatem habet faciendi omne possibile, quâuis autem diuina potestas in se maior non sit quâ voluntas eius, cū vtraque sit diuinitas ipsa immensa, fixa, & stabilis, illius tamen potestati plura quâ eius voluntas.

Visio diuina non facit hominem ex necessitate operari.

Questio.

Deus quomodo omnipotens.

voluntati sunt subiecta, quæ & ab æterno potuerunt fuisse sub illius voluntate.

Hic igitur in sententijs singulis si velimus vexare nosmetipsos, & in conscientijs nostris iugiter reuoluere, quid facio, quid laboro, frustra fatigor, de me non est futurum aliter, quàm Deus voluerit. Siue igitur curram, siue dormiam, siue sollicitus ambulem cum Domino Deo meo, talis erit exitus meus, qualem illum Deus de me futurum præuiderit atque voluerit. Nullus hic sequetur fructus, nisi inutilis conscientiæ cruciatus. Salus igitur erit nobis sub potenti manu Dei humiliatis, agnoscere imbecillitates ingenij & intellectus nostri, & resilientes in propriam paruitatem, respondere nobismetipsis cum Apostolo. O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui se fixit, quid me fecisti sic? Nunquid disputare contendis cum factore tuo, cuius sapientiæ & voluntatis altitudo, est incomprehensibilis & inperuestigabilis? Deus magnus vincens sapientiam nostram, Cui adæquabo te, inquit Isaias, & cui similem te existimabo?

Confert autè huic materiæ intellecta distinctio dialectica, de necessitate consequentis & consequentiæ. Multæ enim sunt consequentiæ necessariae, quarum consequens est contingens. Sed hæreticus, ne hac distinctione vinceretur, & concluderetur, victus libidine contradicendi singulis & vniuersis ecclesiæ doctoribus, nihil est destruere omnem dialecticæ artis vigorem, resellens maximè eam doctrinam, quæ de diuersitate inter necessitatem consequentiæ, & consequentis tractat, quam tamè ex scripturis sacris semper ab initio intellexerunt Ecclesiastici patres, Tertulianus, Origenes, Chrysostronus, Ambrosius, Augustinus, tractantes illud Ioannis duodecimo, Cum tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, ut sermo Isaiæ impletur, qui dixit, Domine quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est? Propterea non potuerunt credere, quia iterum dixit Isaias, Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, ut non viderent oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos, & cætera. Sed de his latius in libro de diuina prouidentia tractauimus.

Quarto ex supra dictis considerandum est, hæreticos sibi ipsis non consonare, dum ex immutabilitate atque infallibilitate diuinæ præscientiæ conantur defendere omnia euenire ex absoluta necessitate, cum tamen doceant Deum multa non facere, quæ potest facere. Si enim Deus multa non facit, quæ potest facere, ex necessitate consequens est Deum multa non præscire futura, quæ potest præscire esse futura. Nihil enim potest in futuro Deus facere, nisi quod præuiderit, pro tempore illo fieri posse. Sicut ergo præscientia Dei, qua videt se aliquid facturum esse, non pugnat cum sua libera voluntate, qua & potest velle illud non facere. Itaque neque eadem præscientia diuina pugnat cum libero arbitrio nostro, quo possumus non facere illud, quod facturi sumus. Deus enim quod futurum est, videt se facturum esse, non vlla necessitate, sed libera voluntate, ut videlicet possit non facere illud, si velit. Et quemadmodum non sequitur, Deus id quod præscit se non esse facturum, potest facere, ergo Deus fallitur præsciendo. Sic nec sequitur, Quod Deus præscit nos non esse facturos, hoc nos possumus facere, secundum quod dicitur, Potuit facere mala & non fecit, ergo Deus aut fallitur, aut falli potest præsciendo. Iam si dixeris, Bene sequitur, Deus si nunc iuducat Antichristum tali tempore futurum esse, & cum hoc ponatur, quod Antichristus illo tempore non sit futurus, necessariū est Deū decipi seu falli in suo iudicio, Ergo Deus si nunc iuducat Antichristum tali tempore esse futurum, & cū hoc ponatur stare, quod Antichristus potest illo tempore non esse futurus, necessario con-

Considera
tio quarta.

Deus videt sese libera voluntate facturum esse quod facturum est, videt nisi per se habere potestatem illud non faciendi.

sequi videtur Deum posse in suo iudicio falli.

Respondeo illud, consequens non esse. Nam sicut Antichristus potest, illo tempore non esse futurus, Ita Deus potest præscire Antichristum, illo tempore non esse futurum. Sed de his copiosus in libro de diuina prouidentia disseruimus. Quòd si nondum hæc intelligimus, interim tamen credamus scripturis doctibus, secundum ea quæ præmissa sunt, Deum multa posse facere, quæ non facit, & nos ex libero arbitrio nostro, multa posse facere, quæ nõ facimus, & tamen Dei præscientiam esse infallibilem, & immutabilem. Spiritus sanctus per Ezechi elem prophetâ aperte docet vias Dei esse æquas & Deum iudicare vnūquemq; iuxta vias suas, & neminem ex filijs Israel, id est, ex filijs regeneratis sacramento fidei ad mortem damnari, nisi propter voluntarium peccatum, Filius, inquit, non portabit iniquitatem patris, sed magis anima quæ peccauerit ipsa morietur. Docet præterea impium posse abijcere omnes iniquitates suas, & facere sibi cor nouum. Iustum autem habere in sua potestate, auertere se à sua iustitia, & facere iniquitatem. Et ita quemadmodum de prædestinato dicitur, qui potuit transgredi, & non est transgressus, ita & de reprobatis legitur, quia admonet illos Deus, vt à malis resipiscant. Vnde Sapientiæ duodecimo scribitur. O quàm bonus, & suauis est Domine spiritus tuus in nobis. Ideoque & hos qui errant partibus corripis, & de quibus peccant admones, & alloqueris, vt relicta malitia credant in te Domine. Illos enim antiquos habitatores terræ sanctæ tuæ & cætera, & infra subditur. Si enim inimicos seruatorum tuorum, & debitos morti, cum tanta cruciasti attentione, & liberaasti, dans tempus, & locum, per quæ possent mutari à malitia. Cum quanta diligentia iudicasti filios tuos, quorum parentibus iuramenta, & conuentiones dedisti bonarum promissionum? Denique, vt capite præcedente præmittitur. Misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter penitentiam. Item Isaias ait. Propterea expectat Dominus, vt miseretur vestri, & ideo exaltabitur, quia parcens vobis, quia Deus iudicij Dominus. Loquebatur præterea reprobis Saluator. Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluiisti. Quòd si reprobis non posset diuina admonitione intus aliquantulum tractus à malis resipiscere, ac quiescere agere peruerse, nequaquam argueret illum Deus, sed neque in vindictam suâ inobedientiæ desereret illum, aut secundum desideria cordis sui ire permetteret, iuxta illud. Mea est ultio, & ego retribuam eis in tempore, vt labatur pes eorum. Etiam secundum quod supra quoque meminimus, Paulus Apostolus iam raptus vsq; ad tertium cœlum, de quo etiam dictum erat, Vas electionis est mihi iste, vtique sciebat se prædestinatum, & tamen sibi timens ait. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauero ipse reprobis efficiar. Verum hic notandum aliud esse reprobis fieri, aliud fieri reprobis. Nam homines reprobatos ab aeterno, seiplos, inquit Ambrosius, reprobos faciunt, spernentes Dei donum. Insuper potest contingere, quòd prædestinatus fiat reprobis secundum præsentem iniustitiam. Et quia potest in illa iniustitia perseverare, potest nõ fuisse prædestinatus. Alioquin non dixisset vas electionis. Datus est mihi stimulus carnis angelus sathana, qui me colaphizet, ne videlicet magnitudo reuelationum extollat me. Etiam prædestinatis loquitur Apostolus dicens. Noli altum sapere sed time, & qui se existimat stare, videat ne cadat. Et alibi de prædestinato legitur. Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Nequaquam enim malitia vlla, aut fictio mutare posset intellectum ipsius, aut decipere animam illius vsque

vsque in finem, si prædestinatus omnino perire non posset. Sequitur ergo quòd prædestinatio, aut reprobatio non tollit liberum hominis arbitrium. Etiam Saluator suos electos Apostolos, quos tamen sciebat prædestinatos admonuit sollicitè, vt vigilarent, & orarent, ne intrarent in tentationem. Sed neq; sollicitos esse, neq; vigilare, aut orare oporteret electos, si non possent esse reprobi, aut gratiam semel acceptam perdere.

Ex præmissis igitur manifestè liquet, quòd libertas nostræ voluntatis in hac vita consistit, non solum in eo quòd ipsa spontaneè & non coactè operatur, sed & in eo, quòd non ex necessitate, sed contingenter consentit in id quod vult, & operatur, habens in potestate non consentire. Sed his obuiare videtur argumentum sumptum ex verbo Augustini, de correptione & gratia, dicentis. Et eorum, qui secundum propositum vocati sunt electi, seu prædestinati, si quisquam perit, fallitur Deus, sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Firmum, inquit Paulus, fundamentum Dei stat habens signaculum hoc, cognouit Dominus qui sunt eius. Loquebatur similiter idem Apostolus in persona electorum, cū diceret, Certus sum enim, quia neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Videntur hæc eadem corroborari per beati Iohannis sententiã, dicentis, Qui ex Deo natus est, hoc est, qui prædestinatus est, peccatū non facit, quoniã semen ipsius in eo manet, & nõ potest peccare, supple, peccato ad mortem, quoniã ex Deo natus est. Præterea Saluator dicens, Surgent pseu dochristi, & pseudopropheta, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorè inducantur si potest fieri, etiam electi, videtur significasse electos non posse seduci, quia electi sunt. Amplius autem idem Saluator de prædestinatis & reprobis loquebatur, cū diceret Iudeis, Vos non creditis, quia nõ estis ex ouibus meis. Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me. & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas, quisquã de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est, & nemo potest rapere de manu patris mei. Præterea idem Aug. lib. 2. de dono perseverantiæ. Donū, inquit, perseverantiæ suppliciter emereri potest, sed cum semel fuerit datum, contumaciter amitti non potest. Cum igitur prædestinatus quisque donum acceperit finalis perseverantiæ, consequens videtur eum non posse contumaciter illud amittere, quod nequaquam consequeretur, si prædestinatus posset non esse in bono perseverans in fine vitæ. Item dicit idè August. Electorum numerus, neque minui potest, neque augeri. Ad hæc respondemus, hic præmittentes verbum Apostoli Pauli dicentis, nihil nos posse separare à charitate, quæ est in Christo Iesu. Nam sensum illius habes infra in solutione tertij argumenti principalis.

Ad verbum Iohannis, Qui ex Deo natus est, peccare non potest, dicimus hoc accipiendum esse secundū vsum loquedi communè, vt significetur impossibilitas subiecti cū prædicato, quemadmodū cū dicimus, Dormiēs nõ potest ambulare, facile intelligitur sensus esse, nõ potest esse, vt dormiēs ambulet, & sic verus est propositus sermo Apost. Nõ potest esse, vt is qui ex Deo natus est, id est, qui secundū æternã Dei prædestinationè est electus peccet, supple peccato vsq; ad mortè, hoc est, non potest esse, vt prædestinatus moriatur in peccato mortali, quia generatio cœlestis. i. æterna Dei prædestinatio cõseruat eum, ne sic in peccato perseveret, qui alioqui ex se peccare potest, & in peccato perseverare. Prædestinati habent quidè pro tempore peccata interdū multa sed recta sunt, & nõ apparèt in eternitate, quia cha-

Obiectiones ex prædestinatione diuina cõtra liberū arbitriū.

Responso ad obiectiones supra dictas.

quia charitas patris ipsorum cooperit multitudinem peccatorum. Pro quibus tamen facit eos sollicitè ambulare, vigilare, & orare. Ad testimonium Augustini, de perseverantia dicendum, secundum quod idem sanctus pater dicit se perseverantiam non accipere donum aliquid creatum spiritualis gratiæ, quam non possit humana voluntas contumaciter perdere. Sed de illa perseverantia loquimur, inquit, qua perseveramus vsque in finem. Pro qua perseverantia David orabat, Domine Deus Abraham, Isaac, & Israel patrum nostrorum custodi in æternum hæc voluntatem cordis eorum, & semper in veneratione tua, mens ista permaneat. Et talis perseverantia non habetur, nisi sit perseveratū vsque in finem. De hoc latius infra in solutione tertij argumenti principalis. Quod autem dixit Saluator, vt supra meminimus, si fieri potest, & cæter. significabat de ipsis electis, diuinam electionem non posse frustrari, aut impediri, & non posse contingere, vt electus à Domino, finaliter seducatur in errorem. Ad hunc sensum dicit Ioannes Euangelista, Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum. His & similibus scripturis significatur Dei præscientiam non falli, & voluntatem eius non impediri, atque omnes habere finalis gratiæ perseverantiam, quotquot fuerunt à Deo præordinati, & ab ipso electi.

Ex quibus nullo modo sequitur, electos necessitate, & non (secundum communem magistrorum sententiam) libera voluntate perseverare. Quod facilius poterit intelligi, si consideremus, quia omnem quem nunc Deus prædestinat ad vitam æternam, potest nunquam prædestinasse, quamquam fieri non possit, vt prædestinatus sit reprobatus. Sicut nec contingere potest, vt sedes ambulet. Sicut Antichristus nunc potest non esse futurus, sed non potest nunc incipere non esse futurus. Ita potest homo, qui est electus, non esse electus, & ab æterno fuisse non electus, quis non possit incipere non esse electus. Hæc atque his similia, si non capit ingenij nostri imbecillitas, humilitemur oportet sub potèti manu Dei, sub abyssu diuinæ potestatis & sapientiæ trepidantes, & vtrunq; conformiter ad sacras literas consiteamur certà videlicet & infallibilem esse Dei electionem, prædestinationem, ac reprobationem, & liberam esse ipsius electi voluntatem, qua si vellet, posset transgredi legem altissimi, & manere in peccato, etiam vsque ad mortem, atque damnari. Quod si faceret, fuisset vtique ab æterno non electus à Deo. Hoc præterea sciamus, quia inaccessibleis est lux diuinæ sapientiæ, inuestigabilis potestas voluntatis illius. Iudicium super futuris effectibus, prorsus est occultum. Ipsa quoque connexio seu concordia infallibilitatis & immutabilitatis in sempiterna electione diuina, cum possibilitate, qua effectus possunt non fieri tam à diuina, quam humana voluntate omnino est incomprehensibilis. Igitur non ingrediamur abyssum diuinæ sapientiæ, cuius non est numerus, sed neque omnipotentis voluntatis, quæ est incomprehensibilis.

Item non cauesmur in cordibus nostris, dicentes, Cur angustiamur? cur laborè impendimus? quid solliciti sumus pro assequenda æterna vita? magis omnia committamus Deo, à cuius voluntatis consilio pendunt omnia, voluntati enim eius quis resistet? Si decreuerit saluare, saluabimur: sin minus, damnabimur. Nam cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Nam ista & similia, demonum sunt iacula, quibus conantur ferire lætaliter imprudentium hominum corda, intermiscentes nonnunquam suis falsitatibus, quæ catholica sunt & verissima. Vera quidem est sententia, Si Deus voluerit persuadere vt conuertar, saluabor, Si noluerit, in interitu permanebo. Sic dicentes non arguo, inquit Chrysostomus, sed valde probo, quod ad voluntatem Dei & illius gratiam confugiunt. Diuina quidem voluntas sola non saluat, non quia infirma, non quia impotens, aut insufficiens, aut

aut etiam frustrata, sed quia vult nostram voluntatem habere comitem, & obsequentem sibi. Qui autem propter diuinam prædestinationem aut reprobationem declinant corda sua in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis, tradentes semetipsos suis desiderijs, falluntur proculdubio serpentis antiqui astutijs insidiantis, suadentis, ac docentis eos in otio & negligentia torpescere, culpamque propriam non in se, sed in Deum reicere. Vnde Sapiens, Insipientia viri violat vias suas, Deum autem caufatur in corde suo. Sed huiusmodi inimici machinantur, pietas Christiana occurrit, non voluntatem Dei in malis, sed hominum accusans. Deus enim mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Sed neque mortem vult peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat, qui & ab initio fecit hominem rectum & immortalem. Etiam vnumquemque iuxta vias suas iudicat, id est, iuxta opera sua. Ipse quoque neminem ad peccatum impellit, sed neque suggerit malum, qui intentator malorum est. Deus enim neminem tentat, sed vnusquisque tentatur à sua concupiscentia abstractus & illectus. Igitur peccantes, peccata nostra non impetimus Deo, sed nobisipsis, confitentes cum Psalmista, Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccaui. Verum speremus nos esse prædestinatos, id enim sperare iubemur, sed tamen timeamus damnari, posse reprobos fieri, & ideo cum Apostolo corpora nostra castigemus, & in seruitutem redigamus, vigilantes & orantes assidue. Memores quoque efficiamur scripturæ dicentis, Altiora te ne quaesieris, & fortiora te, ne scrutatus fueris. Itemque, Noli altum sapere, sed time. Atque iuxta beati Petri admonitionem satagamus, vt per bona opera certam nostram electionem & vocationem faciamus.

Scire etiam oportet consilium Augustini docentis, quod prædicantes diuinam prædestinationem, sic temperare oportet sermonem, ne vel imperita multitudo in segnitiam adducatur, vel ipsa Dei præscientia, & intentio falli, aut redargui videatur. Vnde sicut peritus medicus ægrotanti adhibet medicinam corporalem, quamquam non dubitet, quæ præscit Deus (qui falli non potest) super ægrotum futura. Ita & Christianæ fidei peritus medicus doctor sanæ doctrinæ, dicit cum Apostolo, Sic currite vt comprehendatis, suadens tamen, ne in ipso cursu suo quisque confidat, sed neque viribus suis innitatur, magis autem confidat in Domino, sicut mons Sion, qui non deserit sperantes in se, totius cursus nostri, & ordinem & finem prænosens. Caueat proinde iustus, ne efficiatur impius, pro occasione se subducens aut subtrahens à iugo obedientiæ Christi. Studeat autem in obedientia mandatorum Dei, vsque in finem perseverare. Qui enim perseverauerit vsque in finem, hic saluus erit. Non igitur desperemus, sed ipsius obedientiæ perseverantiam à patre luminum speremus, & quotidianis orationibus poscimus, sollicitèque in lege Domini vigilemus, confidentes nos à prædestinatione populi Dei minimè esse alienos. Quis enim sperauit in eo, & confusus est? Insperemus cum Psalmista, dicentes plena fiducia, in te Domine speraui, non confundar in æternum. Etiam si occideris me, in te sperabo, confitendo toto corde, quia & si me damnaueris, non potest voluntas tua non esse, nisi iustissima. Hoc etenim implebimus modo quo dicit Psalmista, Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.

Reprobos enim
pa. & damnatio
neguquid
est in Deo
reprobatio.

August. in lib.
de prædestina-
tione sanctorum.

Christianus
quisq; debet
habere se esse
prædestinatum,
sollicitè
ambulans
in lege Domini.

¶ *Secunda particula huius capituli, in qua ex supra dictis inferuntur sex conclusiones pro concordia liberi arbitrii, & predestinationis diuinae.*

Conclusio prima.

Quemadmodum predestinatus, qui Deo seruit, ea fide & charitate seruit, quam Deus inspirauit, ac dedit, & in bono cepto perseuerat ea uoluntate, quam inhabitator spiritus uidelicet sanctus animae praesidens in suauitate regit ac ducit, ita suauiter impendens huius regiminis moderamina, ut declinandi ad vitia non tollat potestatem, qua scilicet potestate, si ad malum non ueretur iustus qui peccat, nec relinqueret Deum, nec relinqueretur a Deo. Ita & reprobis diabolo seruit ea concupiscentia, eaq; uoluntate praua, quam non Deus in ipso, sed homo ipse sibi fecit sua sponte diabolo suggerenti consentiens. Potest quidem diabolus rem delectabilem nobis proponere, eiusq; delectationem suggerere, & inuitare. Sed non potest producere, seu infundere cogitationem malam, aut uoluntatem malam. Deus uero non solum inuitat, non solum suadet, aut suggerit, sed & uoluntatem bonam infundit, ac immittit. Neuter tamen hominis uoluntatem cogit, sed uterque exigit liberum hominis consensum, uterque cupit uoluntatem nostram, ut spontaneum possidere mancipium. Siquidem credere in Iesum, diligere Deum, timere ipsum, & recte ambulare in preceptis eius, quibus sint Dei dona, petit tamen haec, atque exigit ab homine, dicente scriptura. Et nunc Israel quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in uisibus eius, & diligas eum, ac seruias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua: custodiasque mandata Domini. Sunt quidem haec, ut praemissimus, Dei dona, sed & simul nostrae uoluntatis opera, quia ipse Deus facit, quod libera uoluntate faciamus illa. Nisi enim libera esset uoluntas nostra ad haec, ut possit ea facere saltem adiuuante Domino Deo, non exigeret Deus a nobis, ut faceremus illa, sicut nec exigit a iumentis, in quibus non est intellectus.

Conclusio secunda.

Ex supra dictis manifesta est, quod liberum hominis arbitrium, quantum nequeat diuinae predestinationi, aut reprobationi obistere, ipsa tamen predestinatio aut reprobatio liberum hominis arbitrium non cogit quicquam facere, sed neque urget uilla necessitate, quod tam in bono quam in malo ita liberè operatur, ut & facere, & non facere, aequè in eius sit potestate, ut superius sufficienter probatum est. Admonet secundum haec spiritus sanctus per scripturas sacras tam impios, ut quiescant, resipiscant, & surgant a malis, quam iustos ne cadant, deficiantque; a uia iustitiae. Unde pro reuocandis impijs, loquitur per Isaiam prophetam, Quiescite agere peruersae, discite benefacere. Et per Apostolum, Surge qui dormis, & exurge a mortuis & illuminabit te Christus. Et per prophetam, Declina a malo, & fac bonum, inquire pacem, & persequere eam. Pro iustis autem instruendis, loquitur per Apostolum, Qui stat, uideat ne cadat. Videte quomodo caute ambuletis. Nolite locum dare diabolo. Et per Psalmistam, Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de uia iusta. Huiusmodi admonitionibus scriptura plena est. Verum nouerit homo, quia ex Deo adiuuante, pulsante, atque trahente habet, ut respiciat a malis, ostium cordis Deo pulsanti aperiat, surgatque; a peccatis, rectè uiuens in iustitia & ueritate. Ex se autem habet ut deficiat, cadat, & secundum sua ipsius praua desideria uiuat. Sed utrum cuilibet peccatori in hac uita sufficiens praebatur a Deo auxilium respiciendi, & resurgendi a peccatis, diximus in libro de diuina prouidentia, in capitulo de auxilio sufficienti.

Conclusio tertia.

Licet Deus, quos predestinauit ad gloriam, eosdem & predestinauerit ad iustitiam, non tamen quos predestinauit ad poenam, predestinauit ad culpam. Siquidem in predestinatis opera sua Deus remunerat. In reprobis uero opera non sua

con

condemnat. Conformiter ad hanc sententiam apud Apostolum legis, Stipendia peccati mors, gratia autem Dei uita aeterna in Christo Iesu Domino nostro. Mors enim redditur peccatis, seu malis meritis: uita autem aeterna datur gratis, datur & bonis meritis, quae per nos operatur Deus, per Dominum nostrum Iesum Christum, & ideo uita aeterna gratia dicitur, quia ex gratia Dei est opus pro quo datur.

Vita aeterna gratis sumi, et ex merito datur.

Reprobatio diuina nec excitauit peccantis uoluntatem, nec praeparauit fomentis malignitatem, sed nec suauitatem peccantium cupiditates, quamuis iusti supplicij iudicium, peccantibus praeparauerit, quod utique nemini praeparasset, si nemo peccasset, & ita claret, quod quamuis predestinatio multis sit causa standi, non est tamen reprobatio alicui causa labendi, sed qui labuntur spreuerunt uoluntatem Dei inuitantem, atque ideo eandem sententiam uindicantem. Non ad hoc sunt homines a Deo reprobat, ut male operentur, sed uel suo libero arbitrio, uel a suis concupiscentijs abstracti & illecti male operantur sua utique uoluntate, & idcirco Deo iuste uindicantur praedestinantur ad poenam inuiti, qui spontaneè mandatum Dei sunt transgressi. Poena enim malum est quod patimur inuiti, culpa malum est, quod spontaneè agimus. Nullo igitur pacto reprobatio Dei facit, ut aliqui ex filijs Dei sint filij diaboli, aut ex templo spiritus sancti, fiant templum spiritus maligni, sed eos qui templa daemoniorum sunt facti ex peccante libera uoluntate, diuina prouidentia nunc facit spiritus sancti habitacula pro immensa sua misericordia, nunc deserit iusto suo iudicio, sic relinquens quales sese fecerunt, de nemine tamen desperandum est in hac uita, ut credatur sibi correctionis uia adempta. Quia etsi natura humana in Adam meruerit, ut damnaretur tota, non tamè sine misericordia Dei tota est derelicta. Sed certis rerum temporumque mensuris uocatur a Deo, & inuitatur ut redeat. Nisi enim contempisset inuitantem Deum, ac iuuare paratum, ut peccatum caueret, nequaquam peccasset deserendum Deum. Vasis irae Deus nunquam praeparasset interitum, si non spontaneum inuenirentur habere delictum, nec peccanti Deus iuste inferret iram, si ex predestinatione Dei caderet in culpam. Nam illius Deus est ultor, cuius non Deus, sed ipse homo est author.

Conclusio quarta.

Quamuis diuina predestinatio, & reprobatio non pendeant ex libero hominis arbitrio, bona tamen opera, ad quae quisque diuinitus est predestinatus, & mala in quae quisque finitur cadere reprobatus, contingenter sunt a libera hominis uoluntate. Et ita quisque predestinatus non potest incipere esse ab aeterno reprobatus, utique tamen predestinatus facere potest id, ad quod sequitur eum nunquam fuisse predestinatum, sed ab aeterno reprobatum, & quisque predestinatus non potest fieri reprobatus, utique tamen potest esse reprobatus. Nec his obstat, quod dicit Paulus, Ne forte reprobis efficiat: quia reprobis ibi dicit reprobationem, quae est secundum praesentem iniustitiam, secundum quam predestinatus potest fieri reprobatus. Illa uero reprobatione, quae est secundum Dei praescientiam, neque predestinatus fieri potest reprobatus, neque incipere esse reprobatus. Quidam inquit Ambrosius. Sunt scripti in libro ueteris, secundum praesentem iustitiam, sicut olim Saul & Iudas, & 72. discipuli, de quibus Saluator, Nomina uestra scripta sunt in caelo, quibus cum iusti erant, merces in caelo respondebat, hoc enim est iustum, ut unicuique pro merito respondeatur, qui cum sibi ipsis fuerint in causa perditionis secundum aeternam Dei praescientiam, nunquam fuerunt in libro uita, quos Deus praesciuit futuros malae uoluntatis.

Conclusio quinta.

Quidam scripti in libro uita secundum praesentem iustitiam.

Predestinatos elegit Deus ante mundi constitutionem, non quos praesciuit credituros, & fore obediens uiribus solius liberè uoluntatis, sed quos ipse facturus erat tales, qui uoluntariè crederent, & obedirent, nec ob id dicitur tolli liberum hominis arbitrium, quia ad credendum, & bene operandum ita inclinatur hominum

Conclusio sexta.

hominum voluntates Deus, vt faciat eos credere, & bene operari, non coacto, sed libero & spontaneo arbitrio. Vnde iuxta Augustini sententiam, Opera bona quę sunt Dei dona, à nobis exiguntur, nobisque præcipiuntur, quatenus intelligamus nos ea facere libera voluntate, etsi, vt illa sic faciamus, Deus faciat, secū dum quod dicit per prophetam, Ego faciam, vt in præceptis meis ambuletis & faciatis ea. Deus enim, inquit Augustinus, cum vult fieri quicquam, quod non nisi volentibus hominibus decreuit fieri, inclinatur eorum voluntates, vt & hoc velint voluntate libera & spontanea. Curiosius autem interroganti, cur huius, & non illius preparatur à Domino voluntas, vt liberè ac spontancè velint credere. Respondendū est, Quis cognouit sensum Domini, cuius sapientię non est numerus. Qui nihil potest facere, nisi iustè, siue secundum iustitiam, siue secundū suum misericordię iudiciū opera. Cognoui Domine, inquit propheta, quia omnia iudicia tua æquitas. Cui laus & gloria in secula seculorum, Amen.

¶ *Caput tertium in quo argumenta supra dicta, de prædestinatione diuina, & de libero arbitrio, reducuntur ad concordiam.*

IAM superest solucere, & concordare argumenta in primo capite huius secundę partis, vtrimque adducta, tam pro defensione liberi arbitrij, quàm pro truitione prædestinationis diuinę.

Ad primū argumentum.

Ad primum argumentum, quo dicitur, aliter quàm Deus ab æterno præuidit atq; proposuit, fieri non potest, quodlibet igitur ex necessitate futurum est. Admissa propositione antecedente, dicimus hoc argumentū, nō id quod inferitur, sed contrariū potius cōcludere. Ex eo etenim quod res neq; aliter, neq; alio modo fieri possunt, quàm sic vt Deus præuiderit, atq; voluerit illas fore, consequens est res ipsas nō ex necessitate, sed cōtingenter euenire. Nā taliter eas euenire, aut fore præuidit, volens quibusdam effectibus præparare causas liberas & cōtingentes, alijs causas ex necessitatis inclinatione operantes. Proinde ex eo q̄ homo non potest credere, aut cōsentire, aut mouere membra in opus alio modo, q̄ secundum eum, quem Deus & præuidit, & voluit, consequens est hominem omnia hæc facere libera & spontanea voluntate. Deinde propositio in antecedente assumpta, qua dicitur, Aliud quàm Deus ab æterno præuidit, atq; proposuit fieri non potest. Si intelligatur impossibilitas absolutè de re in seipsa secundū sensum diuinum, falsa est sententia, quia res illa quam Deus futuram præuidit, potest non esse futura. Si verò intelligatur impossibilitas esse super dictum, absurdissima positum habet verum, quia significatur dictum esse impossibile, quo dicitur aliter fiet q̄ Deus præuidit. Demonstrauimus autem in superioribus, & in libro de diuina prouidentia, quod homo quanuis per liberum arbitrium non possit æternum Dei propositum impedire, vtrique tamen aliquid quod Deus, neque se facturum præordinauit, neque futurum præsciuit ipse homo, potest facere, quęadmodum & ipse Deus aliquid, quod proposuit se nō facturum, potest facere. Ex scripturis sacris nobis reuelatū est multa esse apud Deum possibilia, quę nunquā sunt futura, quę & Deus ab æterno præsciuit atq; decreuit non producere vnq̄. Quemadmodum ergo diuina præscientia, super his quę præuidentur nunquam esse futura, non impedit quo minus illa maneant absolutè possibilia, ita & diuina prouidentia, atque voluntas, qua ab æterno decreuit, & voluit ea quę futura sunt facere nō impedit, quo minus illa maneant absolutè contingentia. Absurdissima igitur est consequentia, concludere ex diuina præsciētia, omnia ex necessitate esse futura, quandoquidem simili argumento sequeretur alia nulla esse apud Deū possibilia fieri, q̄ ea quę facta & futura sunt, contra scripturas sacras, significantes Deum omnipotentem esse & multa, quę non facit posse facere.

Rursus

Rursus dum secūdo in argumēto assumitur. Deus neq; mētiri, neq; falli potest, cum igitur Deus in verbo suo æterno præuidit, proposuit, & asseruit de quolibet futuro ipsum esse futurū, cōsequens videtur, quodlibet ex necessitate esse futurū. Respondeo. Ex eodem fundamento manifestū est id consequens nō esse, quāuis necessariū est, res ipsas quatenus subijciuntur diuinę visioni, volūtati, & assertioni esse futuras, nō habētes vllam potestatem, qua valeat cassare aut impedire diuinā voluntatē, in se tamē res sunt variabiles & cōtingentes. Et secundū hunc intellectū, sunt intelligendę Augustini sentētia, dicētis, necessariū esse fore, quod futurū est, Dei voluntas est necessitas. Quāuis autē impossibile est Deum esse aut periturū, aut errore deceptū, res tamen quā facere iurauit, potest nō euenire, quā si ponamus non esse futuram, simul & ponemus Deū, neque ab æterno præsciuisse eam esse futurā. Atque ita Deū, neq; iurasse, neque asseruisse illam, necessariū quidem est dictum, aut iuramentū semel foris prolatum transisse, sed nō ob id necesse est Deum illo dicto semel foris prolato, habuisse asserendi, & iurandi intentionē. Deinde & argumentū hoc non cōcludere, ex eo possumus demonstrare, quod simili argumento transmutatis terminis, consequens esset Deū omnia, quę vult ex necessitate velle, omnia quę facit, ex necessitate facere. Ipse enim nō potest, neq; velle aliter, neque facere aliter, q̄ ab æterno decreuit, & in verbo suo æterno præuidit. Simili quoq; argumento concluderetur, homines ex necessitate colere agros, plantare vineas, quibus admissis, frustra sunt exhortationes & consilia. Quemadmodum autē diuina præscientia & voluntas, qua Deus ab æterno decreuit, & voluit multa possibilia fieri non facere, non adimit ab illo potestatem faciendi illa. Ita & eadem diuina præsciētia & voluntas, qua ab æterno decreuit & voluit solum ea quę futura sunt facere, non adimit ab illo potestatem non faciendi illa.

Impossibile est Deum mentiri, aut periturū esse

Deus quod facit nō ex necessitate facit, quamuis ab æterno decreuit illud facere.

Quod tertio in eodē argumēto dicitur, Si aliquid est in sola possibilitate, quod nunquam erit in actu, illud igitur poterit habere causam extra Dei voluntatem. Respondeo id nō sequi. Nam quāuis id nō habeat in Deo causam, qua producat in actū, habet tamen in Deo causam, qua res ipsa possibilis, potest absolutè in actū prodire. Sine controuersia omnes catholica fidei tractatores ex scripturis sacris edocti, admittunt Deum plura posse facere, quā faciet. Virtus enim Dei increata, neq; habet habitudinē magis necessariam ad ea quę sunt futura, quàm ad ea quę possunt esse, & nunquā futura sunt, neq; minus potens est producere animā rationalem, quę nunquam erit, quàm creare rationales animas futuras.

Ad tertium argumentum.

Cum autē quarto in eodē argumēto primo assumitur. Omne scitū à Deo necessariū est esse. Respondeo propositionē illam absolutè intellectā, falsam esse. Verū quidem est, omne scitū, seu visum à nobis in se cōsideratū, esse necessariū, sed nō inde consequens est, Omne scitū seu visum à Deo in se cōsideratū, necessariū esse. Nam à nobis nō sciūtur, nisi necessaria, quę iā sunt actu, & in presentia visus nostri omne quod est, quādo est, necesse est esse. A Deo autē intuitiuè videntur, & sciūtur etiā ea, quę futura sunt, quę & absolutè in se cōsiderata, possunt nō esse in actu.

Ad quartū argumentum.

Ad id quod quinto in eodē primo argumento dicitur, hæc consequētia est necessaria. Deus præuidit Antichristū esse futurū, ergo Antichristus erit. Antecedens est necessariū, ergo & consequens. Respondeo. Sunt qui dicūt propositionē illam antecedentē nō esse necessariā, sed contingentē, & Deum ea, quę ab æterno præuidit, posse nō præuidisse. Sed hæc respōsiōne coarguūt venerabiles patres, Hugo de sancto Victore, & diuus Aquinas Thomas, volentes propositionē illam, Deus præuidit Antichristū esse futurū, necessariā esse, & consequens illud, Antichristus erit, cōsideratū, quatenus subijcitur diuinę visioni etiā esse necessariū, quamuis absolutè in se cōsideratū sit contingens, & hic iam est tota huius rei difficultas.

Ad quintū argumentum.

h Verūm

Verū ne propter diuersas magistrorū sentētiās cōturbetur animus verē Christianus, sciendum est inter sacræ theologiæ probatissimos interpretes, plerumq; esse piam quandam cōtrouersiam super sententijs ad fidem nō necessarijs, ad eandem tamen nō profusū impertinētibus, & præsertim super veritate & falsitate quarūdam propositionū, dum vnus vnā, alius autē aliam conatur explicare propositionis sententiā, sed nihil admodum aut parū refert, dum quisq; suam sententiā profert cum pace, & fidei Christianæ cōcordia, quē admodum super hac re cōueniūt omnes theologiæ magistri, & veteres, & recentiores, docentes semper contingentiam & mutabilitatē esse non in Deo, sed in rebus ipsis, Deumq; nō ex necessitate facere quæ facit, multa quoq; quæ nō est facturus, eum posse facere, atque ita non omnia ex necessitate euenire, & proinde res futuras intuitiue à Deo vilas, nō propter hoc esse necessarias. Vnde & ipsi patres præfati, quāuis doceāt propositiones assumptas in argumēto esse necessarias, cum eisdem tamen planē docēt Antichristum posse aut saluari, aut nō nasci, quē admodum scriptura dicit, Omnia possibilisunt apud Deum, qui vitæ & mortis habet potestatem, cui & subest cum voluerit posse, qui & potēs est statuerē hominē lapsum, potens de lapidibus duris suscitare filios Abrahæ. Thomas ipse in lib. de veritate, materia sexta, quæst. 4. in solutione ad vltimū argumentum. Deus absolutē, inquit, loquendo, sicut potuit ab æterno vnūquēq; prædestinare, & nō prædestinare, ita & nunc potest prædestinasse, & non prædestinasse, quia actus prædestinationis cōmensuratur æternitati, idcirco nunquā transit in præteritū, sed cōsideratur, vt semper egrediēs per modum libertatis, stans fixus & immobilis, & idcirco humana voluntas, quanquā nō possit efficere, quod Deus incipiat aut præscire aliquid, aut prædestinare, vel reprobare hominē, vtiq; tamē potest facere aliquid, ad quod sequitur Deū aut prædestinasse illum, aut reprobasse. Vnde cū dico, Deus id quod præscit, potest nō præscire, nō significatur, quod vlla res verbo præsciendi designata in Deo, possit à Deo remoueri, quia Deus, siue ponatur ab æterno præscijsse Antichristū esse futurū, siue ponatur præscijsse Antichristū nō esse futurū, nō propter hoc alius ponetur in Deo actus intellectus aut volūtatis, eo quod vnico actu simplicissimo, fixo, & inuariabili cognoscat, & velit omnia, & quod in hac materia imaginationē nostrā fallit, præcipue hoc est, quod scientiā illā diuinā, immensam, vnica scibiliū omniū, nō à rebus natam vel acceptā, sic imaginamur, quē admodum scientiā nostrā mutabile, limitatā secū dum vnūquodq; scibile, & à rebus singularibus sensu acceptis partā.

Ad illud quod sextò in eodem primo argumento assumitur, prædestinatū esse, & reprobatum, esse proprietates inseparabiles à subiecto. Respondeo id falsum esse. Nam prædestinatio secundum quam quispiam dicitur prædestinatus, non est forma seu proprietas in prædestinato, sed in prædestinante, sicut res dicitur scita à scientia in sciente, & desyderata à desyderio in appetente. Proinde homo ipse ad bona opera prædestinatus, nō fit immutabilis ac inuariabilis, ob hoc quod subiectus est diuinæ volūtati immutabili ac inuariabili, & ita is qui est prædestinatus propter vertibilem & mutabilem voluntatem in ipso, potest peccare, & in peccato vsque ad mortem permanere. Propter diuinam autem voluntatem immutabilem ac inuariabilem, cui subijcitur, & cuius intentionem nequit euadere, nō potest in peccato mori, si fuerit prædestinatus.

Ad septimum argumentum. Ad id autem quod septimò in eodem argumento dicitur, Tam diuinam prædestinationem, quam reprobationē esse æternā, inuariabilem, immutabilem, atq; ita necessariā, electos proinde ab æterno ad vitam æternā immutabiliter ac inuariabiliter prædestinatos, nō posse incipere esse nō prædestinatos. Cōcedimus totū argumentū, sed cum subindē inferitur, homines prædestinatos, aut reprobatos esse inuariabiles

inuariabiles ac immutabiles, & illos neque posse à charitate deficere, istos autem non posse proficere, Non valet consequētia. Nam Deus vnico immutabili & efficacissimo actu nobis incomprehensibili, ea quæ fiunt, vult fieri cōtingenter, vult, inquam, non ex necessitate vlla, sed voluntate libera, iuxta Paulum Apostolum, operans omnia secundum consilium voluntatis suæ, diuidens singulis prout vult, id est, ex libero voluntatis arbitrio, non necessitatis obsequio. Cum igitur omnia quæ fiunt à diuina voluntate, eo modo fiant, secū dum quem voluntas ipsa diuina vult fieri illa, hoc est, aut liberè aut contingenter, aut ex necessitate, vel absoluta, vel conditionata, secundum modum, quem ipsa determinauit, consequens est diuinam voluntatem prædestinantē aut reprobantem, nō modò non impedire, sed & facere aut permittere, vt homines tam prædestinati quàm reprobatī, liberè & contingenter agant, quæcunque libero suo arbitrio agunt & faciunt.

Ad illud quod octauò in eodem argumēto dicitur. Gratia prædestinationis nō solum dat posse velle & facere, sed operatur ipsum velle & facere pro bona voluntate. Cōcedimus totum, Nam quē admodum ex superioribus patet, prædestinatio significat diuinā essentiam, vt causam effectus gemini, videlicet gratiæ diuinæ bonitatis, facientis nos libera & spontanea voluntate facere bona opera in præsentī, & largētis gloriā in futuro, sed nihil sequitur cōtra vim liberi arbitrij liberè operantis sub nutu, dominio, potestate, & tractu Dei trahētis hominem de luto peccati. Verum quidem est prædestinationem, nō solummodo dare electis virtutem habituales, quæ est potestas quædam bene operādī, qua electus potest vti, & non vti, sed etiam operari in eisdem electis ipsum virtutis opus, ipsumque bonum voluntatis vsum, sed non inde sequitur liberum arbitrium nihil agere, aut ex necessitate recipere solum opera bona à Deo, Nam quemadmodum saepe iam diximus Deus operatur in nobis opera bona, propterea quod ipse sua gratia iustificatē facit nos libera & spontanea voluntate bene operari. Sic ergo intelligas opera bona esse in nobis dona Dei operantis in nobis non otiosis, sed operatibus ex adiutorio ipsius faciētis nos facere, hoc si Deo donatē intellexeris, facilius vtiq; valebis penetrare intellectu, quomodo pater trahit ad filiū homines, quos in libero dimisit arbitrio, ita vt possint facere mala quæ non faciant. Gratia igitur non est naturalis potestas, sed est naturalis potestatis perfectio, seu virtus, secundū quā Deus sanctificat, & purificat animam à maculis peccatorū, liberat à reatu damnationis, & ad Deum suum conuertit, suauiterque ducit, & dirigit liberum hominis arbitrium in finem destinatū, atque ita gratia non solum iuuat liberum arbitrium hominis, vt facilius possit rectē & iustē viuere, tanquā videlicet homo posset sine gratia Christi redemptoris rectē viuere, sed nō tam facile. Illa enim est impia & damnata Pelagij hæresis, putantis hominē ex libero suo arbitrio sine gratia Christi posse esse aut viuere sine peccato. Quod ergo Pelagius dicebat Deum suæ gratiæ auxilio hominem adiuuare, dum cordis nostri oculos aperit, dum diaboli tollit insidias, verē vtiq; dicit, sed non sufficienter explicat præcipua gratiæ Christi redimentis officia, de quibus longē, lateq; differuimus in libro de captiuitate & redemptione generis humani. Hæc pro solutionibus eorum, quæ in primo argumento videntur facere contra liberum arbitrium dicta sufficiant.

Iam restant examinanda, quæ in primo argumento cōtrariò pro defensione liberi arbitrij opponuntur, oportet enim super huiusmodi rebus ita accommodare & interpretari scripturam sacram, ne volentes defendere liberum arbitrium faciamus diuinæ præscientiæ, gratiæ, ac prædestinationi iniuriam, vt & ostendamus vnā scripturam super his rebus non esse alteri contrariam.

Ad id igitur quod in primo argumento assumitur, per prædestinationē liberū h ij hominis

Omnes theologia doctores vā veteres quā recentiores, in re ista sunt cōcordes.

Quomodo Deus est quē prædestinavit potest nūquā prædestinasse.

Ad sextū argumētū.

Ad septimum argumētum.

Ad octauū argumētū. Prædestinatio non solum dat posse bona operari, sed etiam facit opera bona.

Quomodo male bona opera sūt Dei dona et solum à libero arbitrio hominis facta.

hominis arbitriū non impediri ex eo, quod Ezechia orāti supra annos vitæ semel cōstitutos, adiecti sint quindecim anni, & ex eo, quod Paulus prædestinatus, castigabat corpus suū, ne fieret reprobus. Respondeo. In omnibus huiuscemodi scripturis, cauēdus est absonus intellectus, ne videlicet ex illis intelligamus liberum hominis arbitriū per studia, seu opera, aut per orationes suas posse aut impedire, aut mutare, aut cassare diuinā præscientiā, prouidentiā, aut voluntatē. Neq; enim Ezechias sua oratione mutauit, aut impediuit diuinā præscientiā, aut sempiternā Dei voluntatē, sed quod Deus ab æterno præsciuit, & voluit in ipso Ezechia volūtariē orate, fuit adimpletū. Nā vita eius, quæ secundū inferiores causas fuerat breuianda secundū æternā Dei præscientiā & voluntatē fuerat ad quindecim annos proroganda, propter voluntariā eiusdem Ezechie orationē, ab ipso Deo similiter præuisam & ordinatā. Sic neq; Paulus castigabat corpus suū, vt mutaret, aut impediret sempiternū Dei propositum, sed ne ex iusto fieret reprobus seu impius. Proindē & ex illo verbo Apostoli, vtq; demonstratur liberū fuisse Pauli Apostoli arbitrium, eundemq; potuisse fieri reprobum, propter mutabile suū arbitrium.

Ex scripturis in argumēto citatis, euidentissimē demonstratur, quod is qui apud Deum est probatus, id est brauius sempiterno seu incorruptibili corona dignus, propter mutabilem suā voluntatē potest fieri reprobus, hoc est illa corona indignus, quod ne fieret, Paulus castigabat corpus suū & in seruitutē redigebat. Si beatus Apostolus Paulus iam Christo acquisitus, vas electiōnis effectus, nequaquā sub nomine prædestinationis in otium manus relaxat, sed cum Dei gratia suos iungit conatus, periclitari metuit, iam probatus timet electus reprobus fieri, & iam triumphans in Christo, adhuc militia pertimescit euentū, & strenuē laborans, dicit, Castigo corpus meū, cōsequēs est, quod vis ipsa prædeterminatiōis aut reprobatiōis, nō vim vllam, nō fatalem necessitatem operatur in liberis hominū voluntatibus.

Proindē cum homo per gratiam cœperit vas esse honoris, inuigilandum est vt acceptus honor per Dei gratiā humana cooperatione seruetur, ne vas honoris fiat vas cōtumeliæ, quod si negligētia voluntatis iam inter vasa cōtumeliæ sit deputatus secundū apostolicam doctrinā sese ex his, Dei gratia iuuante, purget, & rursus erit vas in honorē sanctificatū, sed nō inde consequēs est, hominē ab æterno prædestinatū, posse aut fieri, aut incipere esse reprobū, & desinere esse prædestinatū. Nā inde consequēs esset, quod Deus posset incipere & scire, & velle aliquid, quod prius & ignorasset, & in suo proposito nō fuisset, ex hoc enim sequeretur Deū nō esse omnī rerū cōscium, & ita Deum nō esse Deū, quod est impossibile. Si iustus incipiat esse impius, hoc ab æterno præsciuit Deus, idq; in voluntate sua æterna sic permittere voluit, finēs, quod homo iustus se faceret impiū, sed nō inde sequitur, Deū incipere reprobare illum, accepta reprobatione, secundū æternā Dei præscientiā. Nam & is qui est secundū præsentē iustitiā pro tempore dignus vita æterna, potest in præscientia ab æterno fuisse reprobatus. Et ita quod in argumēto concluditur, Deū ab æterno voluisse suā voluntatē esse indeterminatā, indifferentē, & quasi neutralem, & cę. falsum est, neq; id sequitur ex eo, quod prædestinatus potest facere mala. Dices forsitan, Diuina voluntas si ab æterno fuerit determinata ad faciendū ea quæ factura est, ergo ex necessitate factura est quicquid ab æterno voluit facere. Nam potentia aliqua, licet sit libera ad exeundū in actum, & ad non exeundum in actum, tamen cum semel exiit in actum, non potest non exiisse, sicut homo qui semel aliquid aut voluit, aut decreuit, atque proposuit, non potest id non proposuisse. Sicut & diuina potestas, antequā crearet mundum, libera erat ad creandum mundum & non creandum, iam tamen non potest non creasse illum.

Respondeo primam consequentiam esse inualidam, neq; probatur ex his quæ adijciuntur,

adijciuntur, quia hac in parte non potest esse vlla similitudo humanæ voluntatis cum voluntate diuina. Nam homo exit in actum aliquem sibi accidētalem à substantia sua distinctum & separabilem, qui transit in præteritū, & cum semel trāsierit, non potest non trāsiisse. Deus autem volens aut proponēs, exit in actum sibi substantialem, qui nunquā trāsit, sed manet vnus simplex & inuariabilis, tanquam semper egrediens liberē. Proindē principiū æternū, Deus, apud quē neque transmutatio vlla est, neq; actuum, aut cogitationū, aut affectionū vicissitudo, quamuis nō possit incipere scire, aut velle aliquid, vtique tamen potest incipere facere effectum nouū, absq; sui mutatione, secundū antiquā suam & sempiternā voluntatem, nō accidentalem sibi, sed substantialem, qua voluit ab æterno effectum nouū fieri nunc, & neq; prius, neque posterius ab æterno sese liberē ad illum effectum determinās, & idcirco nō sic ad illum arctatus est, quin & potestatem habeat omnipotentissimā, qua posset & eundē effectum nō facere, & alia multa facere si vellet, quæ nunquā est facturus. Et hic iam est sermo ab humano ingenio impenetrabilis, in quo & acutissima ingenia naturalis philosophiæ, Aristoteles, Auerrois, & ceteri philosophi, de creatione mūdi inuestigantes defecerūt, arbitrātes effectum nouū nō posse fieri à voluntate antiqua, sine illius aut mutatione, aut impedimēti amotione per cōcursum alterius causæ. Errauerūt profectō non humiliter sapientes, non intelligentes diuinā essentiā esse simplicissimā, inpermixtam intelligentiam, sapientiā, iustitiā, virtutē, super omnia possibilia immēsam, & liberrimā causam, liberē sese ad quæ voluerit determinantē, absq; sui mutatione, potentē ex nihilo, & absq; cōcursu alterius causæ incipere facere effectus nouos, non ad vllum rerum ordinem, aut naturaliter, aut ex necessitate sic arctatam, vt non possit inde alius effluere. Hæc omnia nos diuinis literis edocti credimus fide verissima, quæ facit credere etiam ea, quæ sunt supra humanæ rationis indaginem.

Ad hoc igitur, quod in argumēto concluditur, Diuinam voluntatem ad opera per liberum nostrum arbitriū futura esse indeterminatam, eandemq; solum permittere nos agere secundum liberi arbitrij vires. Respondeo hoc falsum esse. Nam & ad omnia, quæ & facit, & facturus est Deus, sua voluntas ab æterno sese determinauit. Ipse omnium est initium, tam visibilium, quam inuisibilium conditor. In rebus quoque, quæ iam sunt, non est otiosus, sed in omnibus creatis causis operantibus operatur, sua prouidentia gubernans omnia, & disponens omnia suauiter, vt agant secundum vires, & potestates semel datas, ita dirigens & gubernans causas liberas, vt agant liberē, id est, ex libero rationis arbitrio, causas verò naturales, vt agant ex inclinationis naturalis necessitate.

Quantum verò attinet ad liberum hominis arbitrium iam vitiatum per Adæ peccatum, similis est ratio in eo, quod liberē agit, quæcunq; agit sub prouidentia Dei generaliter cooperatīs. Verū sine miserētis Christi gratia nihil benē & iuste, nihil Deo gratū ageret, quia iam homo sine gratia est natus, iræ filius, Deo inimicus, ab adolescētia sua in malū pronus, quod si per naturā, aut per legē sine gratia Christi redimentis, posset remissionē peccatorū habere, bonus fieri, bene viuere, & ad vitā æternā peruenire, ergo Christus gratis mortuus esset. Sic enim argumētatur Apostolus Paulus. Si per legē iustitia, ergo Christus gratis mortuus est, & ita nō sequitur Deum sua prædestinatione neq; dirigere, neq; determinare hominū volūtates ad opera bona. Verū quidē est, homines iam Dei prædestinatione iustificatos, suis studijs, suis circūspectis deliberationibus, suisq; consilijs rectis, seipfos determinare ad bonorū operū electiōes, sed Deus facit eos ad bene viuendū spontaneē determinare seipfos, & omnia hæc facere libera volūtate. Ipse est à quo sunt sancta defyderia, recta consilia, & iusta sunt opera, nō quod nos hæc nō faciamus,

h iij sed quod

Quomodo ex
clius oratione
sua prorogauit
sibi vitam in
quindecim an-
nos.

Probat quod
homo prædesti-
natus nō potest
fieri aut incipere
esse reprobatus.

Libera arbitrii seipsum de terminat, applicat et mouet ad opus boni, sed Deus facit, ut ipse hoc faciat

sed quod ipse adiuet nos, ut nostra voluntate hæc omnia faciamus, nostraq; sponte incipiamus rectè nobis cõsulere, de agendis pro salute nostra deliberare, gratiam eius desiderare, & voluntariè operari, ut cū propheta valeamus dicere, Inclinaui cor meū ad faciēdas iustificaciones tuas in æternū, & simul orare, Inclina cor meū Deū in testimonia. Ipse inclinat corda nostra, dum ipse facit, ut nos velimus illa, & possimus dicere cum propheta, Voluntariè sacrificabo tibi, & ex voluntate mea confitebor illi. Ad hoc enim Deus sua prædestinationis gratia præuenit homines, ut spiritu fidei in sanguine Christi accepto, remittat eis peccata, & ex impijs iustos cõstituat illos, conuertēs corda eorū, & sic deinceps illustrationibus, affectionibus, inspirationibus, faciat illos iustē, & bene volentes. In omnibus itaq; diuinæ prædeterminationis effectibus salua manet liberi arbitrij virtus. Deus in nobis sine nobis operatur, incipiēs. Verū quicquid ipse sua bonitate erga nos sic incipiēs, operatur suadendo exhortationibus, monēdo exemplis, terrendo periculis, incitādo miraculis, dando intellectum, inspirando cõsiliū, cor ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuēdo, ad hoc tendit, ut nostræ voluntates prædictis excitatē præsidij, illi operatī, liberè cooperētur. Hæc est plana Pauli doctrina, ad Titū. 2. docentis Christum dedisse semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Homo igitur redemptus & mundatus sua inclinatione, suoq; amore diuinitus impresso fertur in executionē operum diuinæ legis, non sic tamen, quemadmodum lapis deorsum fertur inclinationis necessitate, non quemadmodum belua fertur in pabulum sensualitatis impulsu, sed libero rationis iudicio, quo posset etiam si vellet transgredi eandem Dei legem, & in peccato perseuerare vsq; ad mortem, quod si faceret, Deus id quoque ab æterno non præsciuisset, & eundem hominem ab æterno non prædestinasset, sed reprobasset.

Opera bona sunt hominis opera.

Ad scripturas autē quæ dicūt, Deus ab initio fecit hominē rectum, & ab initio reliquit illum in manu cõsiliij sui, & c. Dicimus huiuscemodi scripturas accipiendas, de homine secundum eum statū, in quo fuit conditus à Deo, qui ab initio instituens hominū genus, fecit hominē rectum ad imaginē & similitudinē suam, & subiiciens omnia sub pedibus suis, reliquit illum in manu consilij sui, rectum quidem, id est, sanum, integrū, immortalem, absque vllō vitio, nulla pugna nec intus, nec foris legi mentis reluctante, ut nec caro intus concupisceret aduersus spiritū, nec foris vllum esset periculum, aut boni impedimentū, hominē autem sic conditum reliquit Deus in manu consilij, id est, in potestate liberi arbitrij, quo peccare poterat & nō peccare, ut gloriosior appareret, si nō peccaret, cum peccare posset, quæadmodū in laudē viri iusti dicit scriptura, Qui potuit facere mala, & nō fecit, quo sanē arbitrio poterat & in superiora ascēdere sine difficultate, & in inferiora descendere sine carnis illecebra. Sed iam omnes hæc nostra naturæ incolumitatē, rectitudinē, seu potestātē nō peccandi vnā quā parentis nostri præuaricatione perdidimus, & absq; eo quod sumus vinculo damnationis obstricti, facti sumus etiam instabiles, vagi, imperiti, mortales, ad vitia procliuēs, & hospites peccati habitātis in carne nostra, & operatī in illa omnē concupiscentiam aduersus legem mentis, quam sanē concupiscentiam homo non sensisset, si in accepta à Deo rectitudine persistisset. Proinde si iam homo etiam in Christo regeneratus relinqueretur in manu consilij sui non datis illi armis, & virtutibus, & quotidianis diuini spiritus auxilijs, quibus pugnaret contra hostes suos, tam intus, quàm foris, neque resisteret, nec vinceret, nec perseuerare posset in gratia per regenerationis lauacrum semel accepta. Cum igitur maius nunc sit adiutoriū necessarium aduersus tot & tantas tentaciones, quæ in paradiso non fuerunt, Deus sua prædestinationis gratia

peculia-

peculiariter nunc dirigit suos electos iam iustificatos, ut suo libero arbitrio vim faciant suæ naturæ sic vitiatæ, ut velint, & eligant, moueantque membra in opera iustitiæ contra desideria carnis propriæ, ut cum omnibus terroribus, & amoribus vincatur hic mundus.

Proinde & Deus curam habet magis specialem de suis electis, quàm de reprobis. Super electos non permittit euenire aliquid quod impediāt finalem eorū salutem. Impios autem dimittit ire secundū desideria cordis eorum, & ex merito antecedentis peccati iratus tradit plerumque eos in reprobam sensum. At dicēs, si homo fuerit relictus in manu consilij sui, tanquam gubernandus libero suo arbitrio, seu consilio, fuit ergo constitutus extra diuinę prouidentię ordinem, potens aliquid facere Deo non cooperante.

Respondeo id consequens non esse, quia Deum reliquisse hominem in manu consilij sui, est Deum dedisse homini potestatem operandi ex proprio consilio, & ex suæ rationis sententia, quod velit eligendi, non affixā ad vnum aliquem agendi modum secundum inclinationis necessitatem. Verum tamē ipse homo in suis consilijs, suisq; actionibus ita derelictus, sic mansit subiectus diuinæ voluntati, ut nihil contra eam, neque sine illa cooperante valeat agere, quemadmodum sine Deo ipso nihil potest fieri, ita & impossibile est fieri quicquam extra illius prouidentiam, sic res quas condidit administrātis, atque mouentis, ut secundum vires, affectiones, & potestates proprias agant. Vnde etiam rationalis creatura siue bene, siue malè viuat secundum vires proprias operatur. Nam & secundum scripturas in homine etiam regenerato est gemina inclinatio, vna lex carnis concupiscentis aduersus spiritum, quæ non est à Deo patre humanum genus instituyente. Alia naturalis quadam lex mentis concupiscentis aduersus carnem impressa à conditione naturæ, inter quas leges duas, vis liberi arbitrij media consistit, vtramq; legem discernens, & iudicans tanquam flexibilis, & in facultate habens, vel huic, vel illi consentire. Proinde & ipsa operans sub diuinā prouidentia, siue legi carnis, siue legi mentis consentiat, semper sub eadem diuina prouidentia gubernatur, ut liberè, & secundum proprias vires agere nō impediatur, sub qua tamen nihil rectè, & bene operatur, donec spiritu fidei in Iesum corrigatur. Pro intellectu autem illius quod consequenter in eodem argumēto assumitur, liberum arbitrium secundum vniuersos Ecclesię patres esse vim mediam non solum passiuam, sed & actiuam, quæ tanquam mancipium quoddam inter duos dominos constituta, potest se vertere tam ad licita, quàm ad illicita pro arbitrio rationis. Operarepretium est cõsiderare hanc vim iam post Adę peccatum, nō sic esse mediam inter bonum, & malum, quod æqua potestate inter illa versetur, qualis erat potestas eius sub innocentia statu. Iam enim ad male viuendum sub nutu diuinę prouidentię, vis hæc sibi sufficit, ad bene autem operandum est insufficientis, donec accipiens desuper Christi misericordis gratiam, ex ira Dei liberetur, sanetur, & adiuetur. Cæterum ante gratiam istam vis hæc est quidem media inter legem carnis, & legem quadam naturalem mentis, quæ etiam in paganis, & in gentilibus secundum Apostolum Paulum, ad Romanos primo & secundo, non prorūsus est extincta, secundum quam etiam furta, adulteria, & homicidia puniunt tanq̄ mala, per quæ & ipsi possunt, nunc ad hæc, nunc ad illā mentis aciem vertere, & nūc secundū iudicium dicentis consciētę, nunc cõtra agere secundū ipsi⁹ carnis stimulū, sed hæc lex mentis sic omnib⁹ insita, ad operandū bonū salutis æternæ nō sufficit. Nam liberari à peccatō, & bene ad salutē æternā operari nō potest homo absq; Christi misericordis dono. Et secundū hūc sensum interpretādę sunt ecclesiasticorū patrū sententię, docētium liberū arbitriū, etiā nūc vitiatū per Adę peccatū, esse vim mediā. Neq; enim

Homo relictus in manu consilij, regitur nihilominus secundum diuinā prouidentiam.

Libera arbitrium, quomodo est vis media, etiam in paganis, non solum in recipiendo, sed et in operando.

h iij intelligi-

Liberum arbitrii, quomodo nunc est post peccatū est in media.

intelligunt, quòd per vim liberi arbitrii nunc quisque tantū habeat facultatis ad bonum salutis eterne, quantū habeat ad malum damnationis perpetue, aut quòd habeat pari momēto ad virtutes, perinde atque ad vitia sese extendere, sed quòd nunc etiā per vim liberi arbitrii homo potest & bene & male operari. Male quidem ex se, à sua concupiscentia abstractus & illectus, bene autem non ex se, nō ex sola virtute naturali sibi ingenta, sed ex Christi docentis, viuificantis, liberantis, & adiuuātis gratia, sine qua neque remissionem potest habere peccatorum, neque iustificari, & placere Deo, vt faciat opera illi grata, & accepta.

Ex his consideratis manifestum est quòd hereticus consequentias faciat insulsiſſimas, ex eo q̄ liberum arbitrium, nihil boni pertinentis ad vitam eternam ex solis ingenite libertatis viribus potest agere, arbitrans esse consequens nō esse vllam vim liberi arbitrii, eamque in bono opere non agere, sed pati solum, & recipere, ac rapi à Deo mouente, cum sit etiam pueris ipsis manifestissimum ex vocabulorū viribus, quòd is qui docetur, inuitatur, adiuuatur, quamuis aliquid patiat, aliquid tamen etiam ipse operatur, quemadmodum languidus, qui in via ducitur, cooperatur suo duci, habens etiam in potestate illi non cooperari.

Deinde quemadmodū ex eo quod dicimus hominem non habere potentiam, seu potestatem, qua potest videre sine lumine, non est consequens illum non habere potentiam visuam, ita ex eo quod dicimus hominem non posse bene velle, aut rectē ambulare absque fidei lumine, non est consequens hominem nō habere potentia, qua potest bene velle. Sicut enim oculus, aut clausus, aut in tenebris habet potētiā, qua videt, dum illi aperto adest solis lumen. Ita anima nostra etiam in tenebris peccatorum habitans habet vim quandam seu potentiam, qua potest videre & operari ea, quę sunt salutis, dum illi adest Christus, qui est vera lux in tenebris lucens, & illuminans omnem hominem, qui apprehenderit salutis viam.

Ad illud quod postremum in eodem argumento concluditur, Gratia Dei predestinatis datam solum esse bene operandi potestatem. Dicimus hoc ex his, quę in argumento assumuntur, non posse concludi. Pro cuius intelligētia opera preteritum est considerare, & iugi tenere memoria, quod sepius repetendo Apostolus docet, omnem hominem ex Adam propagatū nō posse aut bene operari, aut esse sine peccato, aut iuste viuere, nisi per sanguinem, seu meritū passiois Christi liberetur à peccato, accipiens gratia, qua ex inimico fiat amicus Deo. Atque ita Deus sua predestinatione non solum adiuuat per habitualia dona, quemadmodum homines iam credentes, & diligentes iuuat per infusas cœlitus virtutes, fidem, spem, & charitatem, sed etiam per spiritum sanctum datum nobis remittit peccata, & purificans, atque conuertens corda hominum motionibus quibusdā, ac tractibus adiuuat non tales, vt tales fiant, hoc est, vt incipiant credere, & diligere, atque habere fidem & charitatem, qui prius neque habebāt has virtutes, neque sic credebant, aut diligebant, & in hoc iam Deus prouenit omnem bonum liberi arbitrii motum, dum interna quadam motione, excitatione, & suasione tangit hominum corda, vt faciat eos iustos, & bene velle, qui prius volebant malē. Et ita Deus quadam operatur in nobis, solus, id est, sine nobis, quadam autem operatur in nobis, non solus, sed cum bona voluntate nostra iam sibi sociata, & per gratiam Christi Deo reconciliata. Quod Paulus de cœlo, & tam magna, tamque efficaciaci vocatione vocaretur, vt abiecta durissima contra Christum voluntate suam præstaret assensum, & conuersus diceret, Domine quid me vis facere, Deus operabatur solus sua motione gratuita, excitans, atque immittens cogitationem bonam, & immutans duram, rebellem illius voluntatem, in bonam. De qua gratia ipse loquebatur. Gratia Dei sum, id quod sum, misericordiam consequutus sum,

vt fidelis essem, non quia fidelis eram, inquit, sed vt essem fidelis. Et hæc iam gratia vocatur preparans, seu proueniens, secundū quam rationalis anima subito seu ex improuiso diuina miseratione tangitur, seu pulsatur, vt intus ad se reuersa, seu compuncta sibi displiceat, & ad iam sibi cœlitus ostensam, miserētis Dei gratiam confugiat, quam vel prius non cogitabat, vel etiam odiebat, vel non quemadmodum oportuit diligebat. Quod autem ipse idem Paulus iam factus obediēs Deo ex acceptis fidei, spei, & charitatis virtutibus laboraret, corpus suum castigaret, in seruitutem redigeret, & sollicitus ambularet, vt declinaret à malo, & faceret bonum, nō gratia sola, sed vnā cum libero arbitrio sibi sociato operabatur. Et hæc iam vocatur gratia cooperās siue sit infusa virtus fidei, spei, aut charitatis, siue diuina quædam excitatio, & inspiratio, id est, motus quidam, seu actus, factus in anima à Deo liberum hominis arbitrium mouente. Est igitur quidam actus, seu motus voluntatis, in quem voluntas, est mota tantum, & non mouens. Est & alius voluntatis motus, in quem voluntas non solum est mota, sed etiam ex spiritu Dei mouens seipsam ex amore, seu desyderio finis concepti.

Et ex his iam poterit manifesta esse Augustini doctrina, dicentis, vt velimus, Deus in nobis operatur sine nobis. Cum autem volumus, & sic operamur vt volumus, nobiscum cooperatur Deus. Hoc premissis dicimus ad argumentum, verum quidem esse, gratiam Dei esse facultatem, seu potestatem quandā bene operandi cœlitus infusam, vt pote gratuitum spiritus sancti donū habituale, quo parata est anima exire in actum cum opus est, sed non solum tale donum habituale est gratia, verum etiam actus, & motus animæ, tam in intellectu, quam in voluntate. Deinde virtus hæc sic diffusa per spiritum sanctum in corde nostro, non est naturalis possibilitas, quam Pelagius docebat esse gratiam Dei, æstimās hominem per solam naturalem vim, seu potestatem liberi arbitrii à conditore nature insitam, secundum naturalem discretionem boni & mali, impressam omnib⁹, qui tempus acceperat libere rationis posse bene & male viuere, posse esse sine peccato, posse peccare, & non peccare vnq̄. Si naturalis hæc nature possibilitas sufficeret homini, vt per illā sine gratia alia posset esse sine peccato, & bene viuere, ergo Christus iuxta Apostoli Pauli argumentū, gratis mortu⁹ esset pro tollēdis peccatis nostris, longē verò alia est potestas bene operandi possibilitati nature superueniēs natura vitiatam, vinculoq; damnationis captiuā, sanās, ac liberans, qualem potestatem habent electi, iam fide iustificati, & induti virtute ex alto, de qua apud Ioānem legimus, Dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius. Ex his igitur concluditur Deum pro gratuita suæ bonitatis clemētia miserū hominem bifariam adiuuare. Vno quidē modo ipsam animā mouēs in actum, seu motū quandam transeūtem, secundum quem ipsa, aut cognoscit, aut cogitat, aut vult, aut intus sentit, seu percipit aliquid, aut cōsentit. Alio modo Deus adiuuat animā induens illam virtute quadā ex alto, infundens illi charitatem per spiritū sanctum immittens habituale donum, seu permanentem quandam virtutem, secundū quam ipsa anima est parata, aut cognoscere, cogitare, intelligere, & cōsiderare, aut velle. Esse autem aliquid tale, & permanere in nobis, per quod sumus, aut proni, aut parati aliquid agere, etiam dum non operamur, ex scripturis sacris iam alias contra Lutheranam insitiā demonstrauimus. Deus ergo non solum operatur in nobis virtutem, qua parati sumus bene operari, sed etiam faciens nos bonos, seu iustos immittit actum, & motum, quo bene operari volumus, qui sanē actus seu primus motus quamuis nō fuerat in potestate voluntatis, vtiq; tamen est in potestate voluntatis sic cœlitus allecē, & tractæ eidem motui consentire, & rursus dissentire, præsertim reluctante cōcupiscentia, & ex aduerso aliorum trahēte animam.

Fide,

Gratia Dei operans & gratis cooperans.

Quemadmodū homo absente solis lumine habet potentia visuam, ita et rationalis anima absente Christo vera luce, potentia habet naturalem, qua potest videre spiritualiter.

*Charitate infu-
fa nitur homo
si velit, sed ut
velit operatur
Deus.*

Fide, charitate, cæterisq; virtutibus infusa anima iusta utitur quidem si velit, sed ut velit uti, & secundum temporum opportunitates perseverare in usu, inter tot & tantas tentationes aliorum trahentes, Deus operatur quotidianis suis auxilijs, protegens & confortans animam ut perseveret. Deus intus trahens, inuitans, suggerens, solus quidem, id est sine electione, & præueniente nostra voluntate, operatur in nobis quendam Christianæ veritatis sensum, immittens præcursores aduentus sui, cogitationem salutarem, & tractum seu amorem quendam, non tamen solus operatur consensum, qui fieri in nobis non potest sine iudicio rationis iudicantis id, quod sentit esse præeligendum. Proinde & hunc consensum ipse ab homine exigit, Pœnitentini, inquit, & credite Euangelio. Vnde ad angelum Laodicæ Ecclesiæ à charitate pristina lapsam, inquit Christus, Utinam calidus esses aut frigidus, & cetera. emulare & age pœnitentiam. Ecce ego sto ad ostium & pulso, si quis aperuerit mihi ianuam, introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Apocalyp. tertio. Dum ad ostium cordis nostri stat Deus & pulsat, ipse solus operatur, & nos patimur percipientes illius pulsus. Cum autem mens nostra aperiendo consentit, voluntas nostra Deo cooperatur, sed Dei munere præuenta, & secundum eundem motum, cui consentit tracta, illecta, & inuitata, accipiens de super fidei, spei, & charitatis spiritum. Et ita quicquid mens nostra permanens in virtute eiusdem spiritus sic primum immissa, postmodum operatur bene, id operatur ex voluntate bona, quam Deus primitus in illa fixit & creauit. Ex quibus consequens est, Deum operari omnia opera in nobis bona, quæ nos operamur libera voluntate nostra. Quemadmodum & plano sermone designauit Apostolus Paulus, cum admonisset, ut nos operemur salutem nostram cum timore & tremore, causam continuo adiciens, Deus, inquit, est qui operatur in nobis, & velle, & operari pro bona voluntate. Diximus autem de his latius in lib. de natura & gratia, & rursus in lib. de seruitute & captiuitate humani generis. His omnibus confideratis, perspicuum erit testimonia scripturarum, & dogmatum ecclesiasticorum patrum, quæ in argumento primo, pro defensione gratiæ, seu prædestinationis electorum afferuntur, non aduersari testimonijs, quæ in argumento altero illi opposito, pro defensione liberi arbitrii proponuntur. Et ita hæc tenus, quæ pro eorundem argumentorum sunt examinatione dicta, sufficiant.

¶ Accedamus iam ad examinandum ea, quæ in argumento secundo pro defensione gratiæ contra liberum arbitrium videntur proposita.

Ad id quod primum in argumento assumitur, Credere non esse in potestate humanæ voluntatis. Dicimus ea quæ in argumento assumuntur solum probare, neminem posse credere absque adiutorio diuino. Adiuuat autem Deus ad hoc opus, Primum vocando, seu ea, quæ salutis æternæ sunt, proponendo, vel per semetipsum, vel per Angelum, vel per hominem, hac enim ratione dicit Apostolus, Fide esse ex auditu. Deinde intus inuitando, & suasionem quadam occultissimam suggerendo seu significando menti, se Deum infallibilem veritatem esse, qui loquitur & attestatur ea quæ sunt pro salute nostra, quibus fit, ut mens nostra non coactè, sed corde, id est, libera voluntate incipiat credere, accipiens id, quod dicitur ut verbum seu testimonium Dei, sicut reuera est Dei verbum, ex quibus consequens est credere, non esse solius liberi arbitrii opus, sed simul Dei & hominis, dicente saluatore ad Iudeos non credentes. Operamini cibum qui non perit, sed qui permanet in vitam æternam. At illis interrogantibus. Quid faciemus, ut operemur opera Dei? Respondit, Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille. Quibus aperte insinuat nos oportere operari opus Dei. Vnde consequens est illud, scilicet credere, esse opus Dei, simul & nostrum, quia nos operamur illud. De nos præuenit, ut credere velimus, quod nos præuenire non possumus.

Proinde

Proinde saluator si dixisset, hoc est opus vestrum, ut credatis in eum, quem misit ille, rectè utique dixisset, sed noluit dare hæreticis occasionem erroris, quo arbitrarentur se posse credere, absque Dei præuenientis misericordia, quam confyderans Paulus Apostolus, dicit. Non est volentis, neque currentis, sed Dei misericordis, tanquam diceret, esse vas honoris, esse filium adoptionis, esse electum ex massa perditionis, esse sine peccato, non est hominis, sed non inde consequens est, credere non esse hominis, aut liberi arbitrii opus, aut credere non esse unquam in potestate humanæ voluntatis. Nam & Deus pro loco & tempore vocat, pulsat, & adiuuat incredulos, ut credant libera & spontanea voluntate. Quemadmodum hi qui credunt iuuantur, ut in fide recta semel accepta, voluntariè maneant & proficiant. Sic & hi qui nondum crediderunt, pro loco & tempore iuuantur, ut voluntariè credere incipiant, & quemadmodum illi qui credunt in sua habent potestate, ut exeant, dicente scriptura, Potuit facere mala & non fecit, sic & hi qui nondum credunt, in sua habent potestate ne veniant. Vnde & in eodem capite ad Romanos, ubi Paulus dicit, Non est volentis neque currentis, sed Dei misericordis, qui cuius vult miseretur, & quem vult indurat, planè subindicat, tam culpam, quam iustitiam esse in hominis arbitrio, Iudeis induratis tribuens culpam, pro eo quod ex operibus legis sine fide in Iesum conati sunt apprehendere iustitiam, gentibus verò iustitiam apprehendisse, quia non ex operibus solis, sed ex fide in Iesum quaesierunt illam.

Deinde cum in argumento assumitur, non esse in potestate humanæ voluntatis, ut euangelio solū foris audito, incipiat credere pro suo arbitrio. Respondeo hoc utique verum esse, neque enim in rebus alijs ad salutem impertinentibus, potest intellectus ex solo imperio voluntatis credere quodlibet sibi propositum, alioquin quis posset credere papam nunc dormire, & rursus credere cum nunc non dormire? sed oportet super eo quod proponitur suasionem seu idoneam testificationem alicuius, qui euidenter ostendat menti, se esse qui loquatur, neque aperta reuelatione faciat videre id quod dicitur, hæc enim si faceret, esset clara rerum visio, & non esset opus fide, idonea tamen suasionem insinuat menti se esse, qui vel in scripturis, vel in homine, vel in ecclesia Christi loquitur, mentemque nostram mirabili quodam modo, pia affectione afficit ad se, tanquam ad eum, qui dat testimonium. Vnde Augustinus in lib. de spiritu & litera, tractans questionem sub hac forma. Vtrum voluntas illa qua credimus, sit Dei donum, an potius sit naturaliter insita ex libero arbitrio, ratiocinatur hoc pacto. Si dixerimus, inquit, Dei donum non esse, contradicimus Apostolo increpanti & dicenti, Quid habes, quod non accepisti? si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Si autem dixerimus eandem voluntatem esse Dei donum, rursus metuendum est, ne infideles non immerito Deum accusare & sese excusare videantur, ideo videlicet se non credidisse, quod dare illis Deus noluerit istam credendi voluntatem. Deinde si voluntas hæc, qua volumus credere sit à natura, queri potest, quare non omnibus, cum sit Deus omnium creator. Si sit à dono Dei, etiã hoc ipsum queri potest, quare non omnibus detur, cum ipse Deus velit omnes homines ad agnitionem veritatis venire. Sed prius, inquit, hic videamus, utrum huic questionis satisfecerit is, qui dicit liberum arbitrium naturaliter insitum à conditore naturæ, esse vim mediam, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem possit, & idcirco hominem, istam voluntatem, qua credit non habere, quandoquidem illa voluntas, Deo vocante, surgit de libero arbitrio, quod naturaliter homo cum crearetur accepit. Vult autem Deus omnes homines venire ad agnitionem veritatis, non sic tamen, ut auferat liberum eis arbitrium, quo vel bene, vel male utentes, iustificentur. Si quis putat per hæc esse que-

Quomodo euangelio foris prædicato liberum arbitrium potest credere.

*Credere sicuti
Christiani credunt,
quomodo sit in potestate
voluntatis*

Motus quo
lucis uult cre-
dere est à Deo,
motus autē, quo
uoluntas con-
sentit nolens
credere, non sic
est à Deo.

esse quæstioni satisfactum, sufficiat. Veruntamen hic, inquit, cauendum est, ne uoluntate illam, qua uult credere, idcirco tribuat diuino muneri, quia de libero surgit arbitrio, quod cum crearetur homo accepit. Nam & simili argumento, nolle credere, & cõtẽmnerẽ euangelium, tribuendum foret diuino muneri, quia de libero surgit arbitrio. Sed idcirco Dei munus dicitur, quia prater hoc, quod Deus sua bonitate faciens credibilia, uenirẽ in hominis mentem suafione quadã, & tractu intus operatur, ut consentiat, uocationi autem, Deoque intus suadeti, consentire, aut dissentire, est propriæ uoluntatis.

His ergo modis Deus agens cum anima rationali operatur ipsum uelle credere in homine, misericorditer præueniens hominem idonea suafione, ut sese accommodet, & spiritum fidei purificantis desuper accipiat. Iam si ad illam profunditatem scrutandã, quisquam nos coerceat, cur Deus uoluit ita illi suadere, ut persuadeat, illi autem nõ ita. Duo interim, inquit August. sunt, quæ respondere mihi placet ex Apostolo Paulo. Primum, O altitudo diuitiarum, & cæt. Secundũ, nunquid iniquitas apud Deum? Cui ista responsio displicet, quærat doctiores, sed caueat, ne inueniat præsumptores. His igitur confyderatis est manifestũ ex scripturis, quib⁹ dicitur, Nemo uenit ad me nisi cui datum est à patre meo, & rursus. Abscondisti hæc à sapiētibus, & prudētibus, & reuelasti ea paruulis, & id genus alijs, non esse consequens credere uel non esse opus uoluntatis, uel non esse vnquam in potestate illius. Tametsi consequens sit quædam esse ad credendũ necessaria, quæ non semper sunt in potestate uoluntatis, uerũ in illis preparatur uoluntas à domino, ut fiat in potestate, quod erat extra illius potestatem. Iam si roges cur auxilia ad credendum necessaria, faciat Deus in quorundam potestate, in aliorum autem potestate non faciat.

Respondeo, ut supra cum Apostolo Paulo. O homo tu quis es, qui respondeas Deo, nunquid iniquitas apud Deum? Et per hæc iam patet Vitale Carthaginensem errasse dicentem, Credere in Deum, aut euangelio prædicato consentire, nõ esse Dei donum, sed hoc nobis esse à nobis, id est, ex propria uoluntate, quam nobis in nostro corde non operatus est Deus. Contra hunc errorem per omnem locum scriptura loquitur, docens credere in Christum, quemadmodum Christianus credit, esse opus gratiæ Dei miserentis, tollentis peccatum, uiuificantis mortuum, eruentis nos de potestate tenebrarum, transferentis in regnũ charitatis sue, idoneos nos facientis in lumine partis sanctorum. Nec inde sequitur credere, nõ esse opus uoluntatis. Nam, ut inquit August. in eadẽ epistola contra Vitalem. Scimus eos qui corde proprio credunt in dominum, sua id facere uoluntate suoq; libero arbitrio, sed non ex ipso sine Dei miserentis auxilio. Et hæc solum sententiã confirmant omnia scripturarum & ecclesiasticorũ dogmatum testimonia, quæ in argumento afferuntur. Oportet autem in omnib⁹ cauere insulsiſsimas hæreticorum consequentias, quibus utitur hoc pacto. Omnia opera bona sunt Dei dona, ergo non sunt à libero hominis arbitrio. Et iterum, Liberum arbitrium absque Dei gratia nihil boni ad salutem pertinentis potest facere, ergo liberũ arbitrium nihil boni ad salutem pertinentis potest agere, quod profectò perinde est acsi concludam hominem non posse ambulare, pro eo quod sine pedibus ambulare non potest. Vnde opera bona sunt Dei dona, nõ quòd ipse solus faciat ea, sed quia ipse sua gratia facit, ut nos faciamus illa uoluntate libera. Verũ hic sciendũ est, quòd non illo solum modo operatur Deus opera bona, tanquam operetur solum mediãte causa creata, sed ipse intimẽ præsens etiam operatur illa, tanquam causa immediatẽ producens ea. Sed de hoc operandi modo in libro de natura & gratia latius tractatur. Deinde quemadmodum ex eo quod dicimus, oculũ non posse

videre

sine lumine, non est consequens, oculum uidere non posse, quandoquidẽ oculos etiam plenissimẽ sanos dicimus nullo modo uidere posse, si desit lucis auxilium. Sic natura humana, etiã si in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo posset absq; gratia Dei adiuuantis ea quæ ad obtinendũ, & promerendum vitam æternam pertinẽt operari, sicut docet August. in libro de correctione & gratia, cap. ii. de quo latius infra in solutione tertij argumenti, quanto minus natura ipsa nunc uitiata, & Deo inimica poterit absque gratia quicquam bene aut cogitare, aut incipere operari. Hic rursus si te ueritas ad Dei præscientiam ac prædestinationem, & dixeris quemadmodum hæreticus semper dicit homines electos, seu prædestinatos, credere quidẽ uoluntariẽ, sed non sequitur eos non ex necessitate credere, cum sit impossibile, & diuinam præscientiam, aut falli, aut mentiri, & diuinam uoluntatem prædestinationem, ac reprobationem frustrari, aut impediri. Ad hoc iam respondimus in principio huius capituli. Illa etenim sunt antiqua hæreticorum retia iam olim ab initio trita, euentilata, & absoluta à patribus sciētibus in scripturis sacris nobis reuelatum esse, huiusmodi consequentias esse inualidas, quibus ex diuina præscientia, prædestinatione, electione, seu infallibili, & sempiterna uoluntate concluditur absoluta rerũ futurarũ necessitas. Nam præscientia Dei & efficacia uoluntatis illius exigit nõ solum, ut illud existat, quod Deus præscit, & uult suo tempore existere, sed etiam ut secundum eum existat modum, secundum quem præscit, & uult illud existere. Cũ ergo Deus nihil aliud à se uult existere necessariò, consequens est, omne aliud à Deo esse essentiam contingẽtem, quæ scilicet posset desinere esse si Deus uellet. Ex scripturis discimus multa esse Deo possibilia, quæ nõ sunt futura. Alius modus puniendi Ægyptios, & liberandi ex Ægypto filios Israel erat Deo possibilis, ut dicitur Sapientia. ii. sicut & alius modus redimendi genus humanũ, erat in diuina potestate, sicuti supra diximus. Quemadmodum igitur sempiterna Dei præscientia, & uoluntas qua uidet, & uult nõ esse futura ea quæ nunq̃ futura sunt, non impedit quòd minus illa manẽt absolutẽ possibilia, seu subiecta diuinæ potestati. Ita & diuina præscientia, & prouidentia seu etiã prædestinatio, eorũ quæ futura sunt nõ cõuincit illa, quæ futura sunt esse absolutẽ necessaria. Quemadmodum diuinitas à nobis incomprehensibilis præuidet omnia futura, subiecta esse suæ uoluntati, ita & nouit ab æterno omnia possibilia etiam ea, quæ futura non sunt esse subiecta suæ potestati. & quemadmodum uidet omnia possibilia posse fieri sua ipsius libera uoluntate, ita & præuidet omnia quæ futura sunt per suam ipsius uoluntatem liberam esse futura. Ab exordio ecclesiæ uniuersus sanctorum patrum cœtus, ex scripturis sacris intellexit, & Deum futura omnia præscire, & omnia quæ futura sunt esse contingentia, & tamen præscientiam Dei falli non posse, neque Deum mendacem esse posse in suis promissionibus. Ad id igitur quod rursus in eodem argumento assumitur, reprobati hominis uoluntas non potest vlla suafione, vlla admonitione, seu correptione ad bonum ita excitari, ut corrigatur. Respondeo id falsum esse, & contra scripturas, quibus discimus corda filiorum hominũ esse in manu Domini Dei, qui potest sua suafione inclinare illa quocunq; uoluerit. Ipse omnipotentissima sua potestate omnium hominum corda potest cõuertere. Ipse potens est facere abundare omnem gratiam. Sua igitur in eo præscientia, ac reprobatio non conuincit hominem reprobum ex absoluta necessitate oportere damnari. Ad scripturam autẽ quæ dicit, confydera opera Dei, quod nemo possit corrigere, &c. Respondeo, quis nõ sit possibile, quòd ab ipso Deo despectus seu reprobatus corrigatur, & emendetur, neq; enim potest quicquam euenire, præter præscientiam, & intentionem Dei operantis. Vtique tamen potest

Cum præscientia, et efficacia diuinæ uoluntatis fiat rerum contingentia.

Respondeo
Vitalis di-
centis credere
non esse opus
Dei.

test non esse reprobatus, & ita potest à Deo intus operante esse correctus. Hic iam si dixeris Deum quidem reprobati hominis voluntatē posse corrigere, & cōuertere, sed non ipse reprobus, nec alius quisquam. Respondeo. Ipse reprobus potest Deo adiuuante seipsum conuertere atque corrigere, sed nō absq; Dei auxilio. Reuelauit nobis Deus per scripturas suas sanctas, liberum hominis arbitrium posse Deo adiuuante pœnitere de peccatis, cōuertere se ad Dominū Deū suum, & facere sibi cor nouum, & spiritum nouum. Nam huiuscemodi opera in scripturis sacris exiguntur ab homine, vbicunq; in diuinis literis opus aliquod, inquit August. ab homine exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium. In iustificatione impij quādam operatur Deus solus, quādā verò cooperantibus nobis. Ad hoc corripimus impios, non vt soli ipsi sese faciant iustos, sed vt faciamus illos ad sua peccata attentos, quatenus incipiāt agnoscere sese esse egrotos seu infirmos, & indigere opera medici, & orare cum propheta, Miserere mei Domine quoniā infirmus sum: quod si vltra pōnas Deum noluisse hominem hunc vel illum adiuuare, aut in aeterna sua p̄sciētia ac voluntate noluisse ita adiuuare, qualiter aptum nouit, vt ille sese corrigeret, quemadmodum contigit in reprobatis.

Respondeo, Ex illo vtique cōsequens est, illum nō esse corrigendū, nec à Deo, nec ab homine Deo adiuuante, sed nō idcirco sequitur, nec Deum, nec hominem Deo adiuuante posse illum corrigere. Iam verò si vrgeas omnino, & pōnas homini reprobo deesse auxiliū, quo valeat à peccato resurgere, Deūq; noluisse ab eter no dare illud. Respōdet Aug. in lib. de p̄destinatione sanctorū. Quispiā si fateatur hoc posse cōtingere, nō perniciose fallitur. Verūm si quispiā hoc cōtendat esse iniustū, is certē nōdum sapit, quēadmodum oportet sapere gratiā Christi miserētis, nemo tamē neq; de semetipso, neq; de alio sic de auxilio Dei potest desperare, q̄dū viuūt in hac vita. At dicit curiosior quispiam, quid iuuat ad dissoluendum huius rei difficultatem sic docere Deum aliquid posse facere, modō nolit facere illud, & decreuerit nunq̄ hoc facere, dum cōstat voluntatē hominis nō secundum posse Dei, sed secundum voluntatē illius prorsus regi ac gubernari, nec posse aliorum sese vertere, q̄ proposuerit aut decreuerit Deus ipse. Quid cōfert ad succurendum imbecillitati intellectus nostri, ad intelligendum concordia diuinæ p̄destinationis, & liberi nostri arbitrij transfugere ad diuinam potestātē, si sit firma, certa, fixa, & ab aeterno p̄scita veritas, nullum p̄destinatorum esse damnandum, & nullum reproborum esse saluandum. Quales Deus decreuit nos esse futuros, tales erimus. Quōd igitur oportet nos adhibere studiū, vt saluemur, si decreuerit saluare nos, saluabimur, si decreuerit nō saluare nos, peribimus. Frustra & in cassum conatur ad aliquem finē nostrum liberum arbitrium, si nō ad illum efficaciter faciendū fuerit determinatum sempiternæ voluntatis decretum. Quōd si dixeris idcirco nos oportere per bona opera conari ad obtinēdum salutem aeternam, quia ex qua sumus parte, nescimus, & ita studemus bona operari, vt iuxta Apostoli Pauli doctrinā per bona opera certā faciam⁹ uocationem nostrā. Quis non putet rationabiliter ac sapienter hoc esse responsum? Sed quid refert, si nondum nouerimus locum nostrum, si certissimō sciamus vnum, aut alterum locum nobis esse ab aeterno p̄paratum, & diuinam voluntatem manere fixam & immobilem, nec posse flecti à suæ mentis proposito, ex illo etenim sequi videtur, quōd frustra supponatur liberum hominis arbitrium conari ad salutem aeternam, si fuerit homo ab aeterno deputatus in mortem, sed neque potest esse vllus nostræ voluntatis conatus, quem non ab aeterno voluerit fieri prouidentia diuinæ voluntatis. Ex quibus omnibus consequens esse videtur, omnia de necessitate absoluta euenire per nutum diuinæ voluntatis, omnipotentisue operantis

operantis de nobis, quicquid sibi placuerit. Ad hæc respondeo ad primum.

Hoc quod dicimus, Deum aliquid posse facere, sed nolle, atque proposuisse id non facere, planē destruit hæresim asserentem omnia quæ fiūt, euenire ex necessitate absoluta. Nam si Deus potest non operari ea, quæ per liberum hominis arbitrium est operaturus, consequens profectō est, operari per liberum hominis arbitrium futura à Deo fieri, non tanquam à causa operante ex necessitatis inclinatione, sed tanquam à causa libera, quæ potestatem habet faciendi, & nō faciendi illud. Et cum vltra in argumento assumitur, Voluntas hominis gubernatur non secundum potestatem Dei, sed secundum efficaciam voluntatis ipsius.

Respondeo verissimum vtique esse hominum voluntates secundum diuinam voluntatem gubernari, nec esse possibile, quōd ipsæ hominum voluntates aliorum se vertant, quam voluerit, proposuerit atq; decreuerit Deus ipse. Sed nō inde sequitur liberum hominis arbitrium ferri in omnia sua opera ex necessitate impulsionis diuinæ, perinde atque serra trahitur ab homine. Nam Deus per liberum hominis arbitrium operatur, non tanquam per instrumentum, quod trahitur motum, non mouens, sed tanquam per causam, sub sua diuina prouidentia liberè operantem: liberè, inquam, id est, nō ex necessitate Deus operatur in nobis rectas electiones, bonosq; consensus voluntatis nostræ, dum facit nos rectè eligere, liberaq; voluntate nostra Euangelio consentire & obedire. Et hic iam est articulus in quo Lutherus, suiq; complices, mirabili cæcitate falluntur, putantes liberum hominis arbitrium nihil agere, omniaq; ex necessitate absoluta euenire, dum ex scripturis sacris audiūt Deū omnia opera bona in nobis operari, omniaque opera bona esse Dei dona, hoc sic accipientes, quasi Deus huiuscemodi opera faceret in nobis, otiosis nobis, & nihil agentibus, sed merè patientibus, ac recipientibus solum. Qui si intelligerent Deū operari in nobis rectas electiones, consensum in opus iustitiæ, & obedientiam, dum facit nos libera voluntate recta eligere, hilari & spontanea voluntate cōsentire, atq; obedire Christi Euāgelio, non sic à traditionibus ecclesiasticis deuiarent. Causam liberè operantem voluit Deus esse hominem, creans illum ab initio rectum, ad imaginem & similitudinem suam, relinquens illum in manu consilij eius, non tamen alienatum à sua prouidentia ac p̄sciētia. Et quemadmodum ex eo, quod homo sub innocentia statu sic relictus in manu consilij sui, necessariō subiectus erat diuinæ p̄sciētia ac prouidentia, non erat consequens illum ex necessitate dereliquisse Dominum Deum suum, aut ex necessitate consensisse satanæ suggerenti, & gustasse de vetito pomo. Sic & ex eo q̄ nunc homo necessariō subiectus est diuinæ p̄sciētia ac prouidentia, & voluntati, suscipiens à Deo actionem, & motum, non sequitur hominem ex necessitate nunc omnia facere, & quēadmodum in Deo sua p̄sciētia, suumq; propositū, quo decreuit ab aeterno aliquid facere, non aufert ab ipso Deo potestatem non faciendi illud. Sic & p̄sciētia, eademq; prouidentia Dei, per liberum hominis arbitrium quicquam operantis, non aufert etiā ab ipso homine potestatem non faciendi illud. Hæc si nondum penetrare valeas, satis est si credas ex scripturis sacris nobis esse reuelatum, planē docentibus Deum p̄destinantem, & reprobantem esse iustum iudicem, qui reddat vnicuiq; secundum opera illius. Quomodo Deus iudicaret genus humanum, si nō essent voluntaria & libera opera hominum. Deus qui p̄parauit electis suis coronā, p̄parauit & ipsis gratiam, ex qua per liberum arbitrium facient opera bona. Ipse rursus qui p̄parauit reprobis pœnam, non coegit eos ad culpam, sed permisit illos peccare voluntate libera, non p̄parans illis peccantibus gratiam, qui propter liberi arbitrij opus indigni sunt illa. Homo iam iustificatus, vt faciat opera bona, nō vl-

Deus quoniam modo per liberi arbitrium operatur opera bona.

Canilla contra libertatem arbitrii.

la necessitate, sed spontanea voluntate, tametsi non possit resistere diuinæ prædestinationi, intétioni, seu voluntati, quæ est secundum æternum eius propositum, utique tamé potest resistere diuinæ inspirationi, & sicut Deus id quod ab æterno proposuit facere, potest non facere, quia potuit ab æterno non proposuisse. Ita & homo id quod libero suo arbitrio facturus est, potest nō facere. Deus enim creatas causas, quas condidit ita gubernat, ut taliter agant, quales ipsæ sunt, hoc est ut agāt vel liberè, vel ex necessitatis inclinatione, causam liberè operantē rapit Deus taliter, qualis ipsa est tā suauiter gubernans illā, ut ipsa liberè operetur, nō adimens illi potestatem etiā operādi ea quæ non operatur. Cū in argumēto consequēter assumitur, In Deo fuit ab æterno præscita veritas de futuro contingēti.

Respondeo. In Deo pro hora ista est vnum, & idem simplicissimum, ac indiuisibile æternitatis instans, nunc quale fuit ab æterno, idem ipsum permanens semper in illo instanti æternitatis Deus videt & intuetur omnia futura, tanquam iam sibi præsentia. Proinde sicut Deus id quod futurum est potuit ab æterno non proposuisse. Ita & nunc ab æterno potest hoc ipsum non proposuisse, quia neque propositum, neque præscientia in illo significat actum, qui transit in præteritum, nec distinguitur à substantia eius, in qua omnia sunt vnū, potest esse substantiale fixum, & motum, & immotum. Atque ita Deus vnico & inuariabili actu vnā, & eandem rem videt, & vult quandoq; nō esse, & quandoq; esse. Vnico immobili iudicio iudicauit olim Christum nasciturum eodemq; prorsus immutato, videt nunc Christum non nasciturum, sed natum esse. Secus accidit in nobis, qui actibus transeuntibus variabili, & à substantia intellectus nostri distinctis componendo, & iudicando de rebus iudicamus. Proinde nos si de propositione contingenti & mutabili teneamus idem iudicium, re mutata etiam iudicium de veritate mutatur in falsitatem & econtrariō: & sicuti illa propositio, Christus nascetur, vna & eadem scripta manens, est mutata de veritate in falsitatem. Ita & iudicium in iudæis iudicantibus Christum nasciturum, est nunc falsum, quod olim in sanctis patriarchis & prophetis verum fuit. Proinde si quemadmodum rerum contingentia, nostræque voluntatis libertas stat cum diuina præscientia & voluntate immutabili, nondum penetrat cogitatio intellectus nostri, credamus scripturis docentibus Deum esse omnipotentem, libera sua voluntate operantem, & ita eundem tam ea quæ proposuit non facere, posse facere, quam ea quæ proposuit facere, posse non facere, atque ita captiuantes intellectum in obsequium fidei, dicamus cum Apostolo Paulo, ei qui potens est omnia superabundanter facere quàm petimus, aut intelligimus secundum virtutem, quæ operatur in nobis, ipsi gloria in omnes generationes seculorum.

Cæterum cū in argumento assumitur, Quales Deus præsciuit, aut voluit, atque decreuit nos esse futuros, tales erimus. Respondeo, id vtiq; verum esse. Sed quid queremoniæ aduersus Deum, ex hoc tibi poteris coningere? Nam ipse si te voluit à peccato, & à morte æterna liberare, & te facere sanctū, iustum, perpetuamque pace gaudentem, non habes unde causeris Deum, sed unde gratias illi agas sempiternas. Si autē voluerit te in peccato dimittere, scias q; hoc peccatum, non ipse, sed tu in te feceris tibi, atque ita si voluerit damnare te, intelligas ipsum hanc tuā damnationem, nō nisi propter peccatum tuum velle. Atq; ita scias q; voluntas eius in omnibus est æqua & rationabilis: & hac scientia humiliatus sub potenti manu Dei, certissimō cōfidas te esse de numero prædestinatorū, nec Deum voluisse damnare te, quem seruat in vita, ut ad bene viuendum iuuet, sciasque, q; & Deus ab initio fecerit hominem rectum, & quod neq; præscientia, neq; voluntas illius vllum hominē fecit aut malum, aut peccatorē esse, aut habere peccata.

Proinde

Proinde cū tentaris ad scrutandum rationes diuinæ voluntatis ab altitudine diuinæ immensitatis resiliens in tuas prauitates, dicas cum propheta. Scio Domine, quia omnia iudicia tua æquitas, etiā si me damnare volueris, recta & æqua erit voluntas tua, qui non nisi propter peccatum inferis vlli homini damnationis interitum. Per peccatum pauperes & miseri facti fuimus vniuersi, & ideo desiderantes à peccatis & miseria liberari, supplices eramus ex intimis præcordijs. Omnia in vero iudicio fecisti Domine, quia peccauius tibi, & mādatis tuis nō obediimus. Fac nobiscum secundum misericordiam tuam. Ad verbum Christi apud Ioannem dicentis, Propterea nō poterāt credere, quia iterum dixit Isaias, &c. respondent Athanasius Chrysof. & August. quorum omnium concursus est sentētia definiētiū coniūctiōes causales, propterea, ut, quia, & id genus alia in scripturis sacris, non semper designare causam essendi, sed plerunq; euētum, ordinemue consequutiōis, & sequelę. Proinde dum in huiuscemodi sententijs necessitas aliqua vel impossibilitas designatur, non significatur vllius operis aboluta aut necessitas, aut impossibilitas, sed vel necessaria sequela, seu dependentia vnus sententiæ ex alia, vel impossibilitas separationis vnus veritatis ab alia, etiam in rebus contingentibus, veluti cū dicimus, Propterea necesse est Ioannem habere pedes, quia ambulat, & propterea impossibile est hominem scribere, quia non habet papyrus & calamus. Ita cū dicit scriptura, Propterea nō poterant credere, quia dixit Isaias, significatur incredulitas iudæorum non potuisse stare cum præscientia & prænuntiatione prophete, qua Deus præsciuit illos non credituros. Causa incredulitatis iudæorum non erat sermo prophete, sed econtrario potius futura iudæorum incredulitas, causa erat, ut propheta hæc prædicaret. Pariformiter ad verbum Ioannis Apostoli dicentis, Qui ex Deo natus est, non potest peccare. Patet responsio ex superioribus, quia significatur, quod natiuitas ex Deo, quæ est secundum æternum Dei propositum, nō potest stare cum peccato vsque ad mortem, quia non est possibile, quod prædestinatus moriatur in peccato, quamuis homo ipse, qui iam prædestinatus est, possit in peccato mori & damnari, & ita nunquam fuisse prædestinatus. Deinde ex superioribus patet eum, qui ex Deo natus est, quatenus ex Deo natus est, non posse peccare peccato vsque ad mortem. Sic enim interpretatur venerabilis Augustinus, qui & in cæteris quoq; suis sententijs ad hanc materiam pertinentibus similem vult haberi intellectum, dum docet res in se, & secundum inferiores causas esse contingentes, necessarias autem, quatenus subiiciuntur diuinæ præscientiæ, quæ falli non potest, futura intuitiue videns tanquam præsentia. Ab initio, inquit Augustinus, Deus omnia præsciebat, cuius præscientia falli non potest, & ideo quod præsciebat necessario futurum erat, libro sexto super Genesim ad litteram. Necessitas autem hæc non est absoluta rei in se necessitas, sed solum necessitas rei, ut subiectæ diuinæ præscientiæ infallibili, ad quam necessario consequens est, rem esse futuram, quæ tamen contingenter futura est, quamuis non sit possibile, quod res illa sit non futura, & simul à Deo præscita esse futura. Quemadmodum absurdissima est cōsequentiā, si dixerō, Quod præscitur à Deo, potest non euenire, ergo possibile est, quod aliquid sit à Deo præscitum, & nō eueniat: sicuti verissimè dico, Is qui scribit, potest nō scribere, sed tamen non inde sequitur esse possibile quod aliquis scribat, & non scribat. Cæterum quemadmodum & ex superioribus patet, Ezechias secundū aliquas inferiores causas morturus tunc erat, secundum quas dictum est illi, Dispone domui tuæ, quia morietur tu: qui tamen secundum Deum causam primam victurus erat quindecim annos, vbi non suam mutauit Deum voluntatem, quando adiecit illi quindecim annos,

Non poterant credere.

Qui ex Deo est peccare non potest.

Quomodo est etiam oratio, adiecit sunt 15. anni, non mutata præscientia ex providentiā diuina.

nos, nec tamen illi anni propter Ezechia orationem rectè dicerentur adiecti, nisi aliquid adderetur, quòd se in alijs causis aliter habuerit, q̄ in diuina voluntate.

In similem intellectum interpretandum est verbum Augustini, dicentis, Quicumque in præscientia Dei & prouidentia præciti ac prædestinati sunt, etiam nondum nati, aut renati, iam filij Dei sunt, & omnino perire non possunt, Intellegitur enim, quòd homines prædestinati in diuina præscientia habeant esse immutabile & inuariabile, qui in se sunt mutabiles ac variabiles. Quòd autem ipse Augustinus sic intelligat prædestinatos secundum illud esse, quod in Deo habet, de quo & apud Ioanem Euangelistam, Quod factum est in ipso vita erat, patet ex eo, quòd dicit ibidem, nondum natos iam esse Dei filios, quòd quisque facile confyderat, intelligendum esse eos inconcussa stabilitate conscriptos esse in libro vitæ, id est, in Dei notitia præordinatos ad vitam æternam, de quibus Saluator, Omne quod dedit mihi pater non perdam ex eo quicquam. Quicquid factum est, & quicquid futurum est ab æterno in mente diuina, fuit vita immutabilis & inuariabilis, hoc est, nõ potest incipere aliter illic sciri, aut cognosci, aut intelligi aliter q̄ ab æterno fuit illic cognitum, scitum & intellectum, & idcirco homines illic scripti, seu noti tanquam ordinati in vitam æternam, non possunt illic incipere, aut aliter esse scripti, aut aliter esse cogniti. Hoc respectu loquitur ipse Christus, Quod dedit mihi pater, nemo potest rapere de manu patris mei. Proinde & eorum qui in regnum Dei sunt prædestinati, ita certus est numerus, vt nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis, qui tamen in se sunt mutabiles propter quod & eisdem dicitur. Seruite Domino in timore & exaltate ei cum tremore, ne quando irascatur Deus, & pereatis de via iusta. Item qui stat videat ne cadat.

Ex supra dictis patet impossibile esse, quòd numerus prædestinatorum possit esse maior vel minor, quòd si augeri vel minui posset, consequens esset in mente diuina posse cõtingere mutationem, & Deum posse incipere scire aliquid, quòd non antea præsciuit. Vtique tamen admittimus, quòd numerus prædestinatorum possit esse maior, vel minor illo numero, qui nunc est, quia præter istos, qui nunc sunt prædestinati potest aliquis saluari: quòd si ponerentur plures quam nunc sunt, essent ab æterno prædestinati. Hæc pro solutionibus & intellectu eorum, qui in secundo argumento videntur facere contra liberum arbitrium, dicta sufficiunt. Iam restant discutienda, quæ in argumento illi contrario, pro libero arbitrio afferuntur, quorum intellectus, tametsi possit ex superioribus esse manifestus, quibus patet omnia scripturarum, & sanctorum patrum testimonia, quæ tribuunt opera bona voluntatibus hominum, non commemorata Dei gratia, ita esse accipienda, vt illa nusquam intelligatur exclusa, sed in omnibus operibus bonis præuenire hominum voluntates, propter minus tamen capaces, quæ illic proponuntur, sigillatim declarabimus. Ad id igitur quod primum dicitur, Euangelio prædicato seu audito, potest quisque aut obedire & consentire, aut saltem non contemnere illud, alioquin nolens credere non efficeretur reus supplicio magis quam infans, aut stolidus, audiens Euangelium foris prædicari.

Respondeo. Ex hoc antecedente vtiq̄ consequens est, credere Euangelio, fieri in potestate voluntatis per Dei miserentis gratiam, quòd alioquin non erat in illius potestate, & ita homines plerumq; sic adiuuari, & diuinitus pulsari, vt valeant, vel credere, vel saltem consulere, deliberare, & nõ cõtemnere, iuxta omnium scripturarum & ecclesiasticorum patrum dogmata definitum, aut docentium, quòd credere aut mutare voluntatē suam in melius, sit in potestate voluntatis, quæ admodum declarat Aug. in libro primo suarum retractationum. In potestate hominis, inquit, est credere, & mutare voluntatē suam in melius, & fa-

cere arborem bonam, sed ea potestas nulla est nisi detur à Deo, de quo dictum est, Dedit potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius, vtrumque videlicet, inquit, & credere, & bene operari nostrum est propter arbitrium voluntatis, & vtrumq; Dei opus est præparatum in nobis per spiritum fidei, & charitatis. Proinde dum contra Manicheos disputatio suscipitur pro defensione naturæ & liberi arbitrij non est improbandum, si quis dixerit nos natura nostra & voluntate nostra credere in Iesum, diligere spiritualia, rectè viuere, & bene operari, natura inquam & voluntate adiuta Dei miserentis gratia. Deus iam credentes adiuuat vt bene operentur & rectè viuant, sed non solum tales adiuuat, nam & adiuuat etiam non tales, id est nondum credentes, vt tales fiant, vt piè & diligenter querant, orent, & pulsent, voluntas est, qua & peccatur, & qua creditur, & rectè viuatur, quamuis & ipsa neque credere, neque rectè viuere valeat, si non eam Dei miserentis gratia præueniat. Hæc Augustini, imo & Apostoli Pauli doctrina, secundum quam interpretanda sunt omnium scripturarum & ecclesiasticorum patrum dogmata, quibus definitur credere, & bene viuere, esse opus voluntatis, non commemorata Dei gratia. Vnde quòd aliquis non credat in Iesum, aut non rectè viuatur, multifariam potest contingere. Vno quidem modo, quia non habet liberum rationis vsum, qua credere & rectè viuere possit, vt infantes & stolidi.

Quomodo credere sit, vel non sit in potestate voluntatis.

Secundo, quia non habuit à quo disceret, nec intus, nec foris erat, qui gratiam Christi miserentis reuelaret. De quibus dicit Augustinus, in libro de natura & gratia. Iustè damnantur etiam hi, qui fidem Christi audire non potuerunt, quia non habuerunt à quo audirent, & in eodē libro, rectè non admittitur in regnum cælorum non regeneratus, etiam quamuis Christianus non solum non fuerit, sed nec esse potuerit. Et in talibus infidelitas cum sit pura negatio, iuxta saluatoris doctrinam, Si non venissem, & cætera. Non est peccatum sed cum peccato, nec inde consequens est, homines sic derelictos, non habere liberum voluntatis arbitrium ad consultandum, deliberandum, eligendum, consentiendum, prosequendum aliquid, pro suæ rationis iudicio, & cætera, sed solum sequitur eos non habere voluntatis arbitrium liberum à peccato, liberum à damnationis vinculo, liberum ad bene recteque viuendum. Tertio contingit aliquem non credere, quia Euangelium iam sibi prædicatum contēnit, & huiusmodi infidelitas peccatum est. Non inciperet autem in illis infidelitatis esse peccatū, nisi iam vel factum fuisset in eorum potestate, quòd prius in eorum potestate non erat, vel saltem vitare contemptum Euangelij, seu incredulitatem fuisset in eorum potestate. Sola prædicatio Euangelij foris pullans aures, non est sufficiens causa credendi, sed & Deus sua suasionē intus operatur in cordibus hominum vocatione secundum propositum suum, vt qui audiunt Euangelium foris prædicari, non inaniter audiant, sed eo audito credant, & excipientes verbum, non sicut verbum hominum, sed sicut verè verbum Dei conuertantur. Intellectus credit Euangelium, non ob id solū, quia Deus solus agit fidei assensum, nõ cooperatē hominis voluntate, nec ob id solū, quia voluntas vult credere absque ratione & suasionē vlla, sed ob id, quia Deus suasionē suā interna præparat corda hominum vt credere velint, intus suauiter alliciēs & trahēs, & signis quibusdā seu inspirationibus, suadens se esse testē, qui huiusmodi credenda pro salute nostra & loquitur, & testificatur, siue per homines, siue per scripturas. Proinde & ipse Deus sic trahens non cogit, sed inuitat, ita vt attractos homines in libero dimittat arbitrio, vt & quisq; quòd voluerit eligat. Actus igitur credēdi, est à Deo, est à voluntate hominis, est ab intellectu hominis, est ex auditu, est & à prædicantibus verbum Dei. A Deo quidem, sicut à principio præueniente, præparatē, & mirabili quodam modo corda

Actus credēdi est à Deo, ab intellectu, à voluntate, à prædicante, ex auditu.

Credere Euangelio, sit in potestate voluntatis humane per Deum miserentis gratiam.

hominum

hominum penetrante, actumque illum credendi operante in animam, non que recipiat solum, & passiuè sese habeat, sed quæ agat etiã, Deo faciente eam voluntariè credere, consentire, & obedire. A voluntate autem hominis, sicut à causa, sub Deo imperante, & mota seu immutata à Deo. Ab intellectu quidè, sicut à causa eliciente, & exæquante ipsum credulitatis assensum. Ex auditu autem, id est, ex perceptione eorum, quæ vt credenda mèti proponuntur tanquã ex causa seu conditione, sine qua non, quia intellectus non potest assentire in aliquid, nisi hoc prius fuerit ab intellectu apprehensum seu cogitatu. A prædicatibus autè tanquam à nuncijs seu legatis, per quos Deus loquitur, & proponit nobis credibilia. Ad id quod deinceps in argumento assumitur, Deus adest omnibus, quantum in se est facientibus, paratus & vocare illos, & quæ salutis eorũ sunt necessaria reuelare, & intus trahere, atque ita inuitare, vt credere valeant si velint Respondemus supponentes aliqua. Primum hoc quod dicimus, hominem quantum in se est facere, quatenus attinet ad grammaticalem sermonis significationem, significat hominem facere quantum potest facere, ex his quæ in se habet. Sed hoc sermone nõ in tam larga significatione vtitur sacræ theologiæ interpretes. Vnde pro hoc sciendũ est, quod tria possunt reperiri in homine, quib⁹ liberũ operatur arbitriũ. Primum natura, seu lex naturæ. Secundum est peccatum in natura, siue in carne habitans, quod intrauit per Adæ peccatũ. Postremum est gratia per Christũ facta, Liberum arbitriũ neque per peccatum habitans in natura, neque per gratiã agit quicquid, quod nõ agat per naturam, quæ tã peccati quam gratiæ est subiectum seu fundamentũ. Deinde contra hæreticos huius temporis supponendũ est ex arte Grammatica, quod aliud est hominẽ facere quantum in se est, Aliud verò hominẽ facere quantum potest ex his, quæ à se habet: hæreticus autem accipiens vnum pro reliquo nõ intelligit, neque quæ loquitur, neque de quibus affirmat, indignis cõtumelijs tractas venerandã patrum antiquitatem, dum docet omnem hominem, quantum in se est facientem peccare. Nemo vnquam sacræ theologiæ interpretes intellexit hominem facere quantum in se est, dum facit quantum potest ex his, quæ à se habet, quia nihil homo habet à se præter peccatum, quod nõ est à Deo patre humanum genus instituyente, sed per vnum hominem intrauit in mundum. Amplius autem & hoc sciendum, quod aliud est hominem facientem, quantum in se est vitare peccatum, aut noui peccati seu culpæ reatum, aliud verò hominem facientem quantum in se est fieri saluum, seu præparare se ad gratiam, seu remissionem peccati obtinendum. Adultus relictus in solis naturæ talentis per solam naturæ legem, Deo generaliter cooperante, discernens inter multa licita atque illicita, pro tempore & loco potest non peccare, & iuxta Apostoli Pauli sententiam, naturaliter ea quæ legis sunt facere, quemadmodum docet Augustinus in libro de spiritu & litera. Verum Lutherus suique complices, sæculi huius hæretici, contemnunt non solummodo Augustini, sed & omnium patrum, omniumque seculorum autoritatem, attamen cum ipsi aliquid apud patres, utpote apud Augustinum, Hilarium, aut alium quẽuis veterem inuenerint, quod suis sententijs putant suffragari, continuo id afferunt, exaggerant, & sine cessatione producunt in medium, omittentes ea, quæ præmittuntur & se quantur, manifestè contraria sunt ipsorum sententijs, quibus si fuerint conuicti, vt fateri habeant patres illos non sic vt ipsi sentiunt, sed aliter sensisse, mox in patres eisdem stomachari incipiunt, asserentes illos aliter sentientes nõ spiritu Dei, sed humano fuisse locutos. Sic Lutherus indefinenter citat Augustinum in libro de spiritu & litera dicentem, liberum arbitrium non valere quicquam, nisi ad peccandum, si lateat veritatis via, non aduertens Augustinum illic agere de bono opere, quod valeat ad iustitiam

& remissionem peccatorum, & ad vitam æternam, quale bonum nemo potest agere sine cognitione veritatis, quæ est per fidẽ, & sine dono dilectionis per charitatem. Augustinus autem dicens liberum arbitrium non valere quicquam, nisi ad peccandum, cum lateat veritatis via, si intelligeretur voluisse liberum arbitrium sine gratia nihil posse nisi peccare, ipse in eodem libro sibi ipsi esset cõtrarius. Nam & postea in libro eodem, docet etiam in impijs reperiri quædam facta seu opera secundum iustitiæ regulam non vituperanda. Sicut non impediunt iustum, inquit, à vita æterna, quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita nõ ducitur, sic ad salutem æternam non prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficilimè etiam vita cuiuslibet pessimi hominis inuenitur. Intelligas igitur verbum illud Augustini significare, non quod sine fide, aut sine cognitione veritatis, ducentis ad vitam æternam, non posset homo nisi peccare, sed quod non valeat quicquam humani meriti, nisi peccatum. Augustinus cum de operibus liberi arbitrii loquitur, docet quid liberum arbitrium possit facere, de operibus, pro quibus redditur homini post hanc vitam merces, loquitur. Nam manifestum est liberum arbitrium sine gratia, stante prouidentia Dei gubernantis & cooperantis, posse ædificare domos, plantare vineas, comedere & bibere pro sustentatione naturæ, sicuti ipse docet in libro hypognosticon, de quibus & latius diximus in libro de natura & gratia. Sine gratia igitur potest homo agere aliquid, & hoc ipsum faciendo non peccare, sed sic sibi relictus absque Dei gratia faciens quantum in se est, non idcirco ad gratiam præparatur, aut saluatur, aut à peccato liberatur. Aliter sentiendum est de homine, qui iam iustificatus, quantum in se est facit. Aliter de homine, qui nondum iustificatus, desuper tamen attractus, vt credat, incipit facere quantum in se est. Aliter de homine, qui iam prorsus sibi relictus absque miserentis Dei gratia quantum in se est, facit. Homini iam iustificato facienti quantum in se est, non deest Deus super his quæ sunt illi ad permanendum in salutem necessaria, quia talis homo iam iustificatus habet spiritum Dei inhabitantem, paratum adiuuare imbecillitatem illius. Proinde talis pro salute sua seu perseuerantia in gratia, quantum in se est faciens, non ex solis naturæ talentis, sed etiam ex dono fidei & charitatis operatur. Insuper & homini nondum iustificato, etiam nondum fidem habenti, tamen ad accipiendum gratiam fidei attracto, etiam Deus ipse in necessarijs ad salutem non deest, si ipse homo sic attractus, quantum in se est, Deo adiuuante, faciat. Multis enim scripturis comprobari potest, Deum adiuuare, & illuminare, & suscipere non deserere homines tam iustificatos, quam non iustificatos, sic tamè attractos, quantum in se est facientes. Ipse dat spiritum bonum petentibus se, ipse propè est omnibus inuocantibus eum, ipse aperit pulsantibus, illuminat omnes accedentes ad se. Inuenitur ab his, qui fidem habentes in illũ, quærunt illum in toto corde suo, in tota tribulatione animæ suæ.

Verũ hic sciendum est omnes huiuscemodi scripturas loqui super homines iam præuentos Dei gratia, seu initia quædam fidei habentes, quia iuxta Paulum Apostolum, Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt, sine fide nemo inuocat, nemo orat, nemo pulsat, nemo quærunt. Alia est ratio credentis, alia nondum credentis, quia iam credens etiam nõdũ iustificatus, habet, inquit, Hieronymus testam, qua valeat haurire aquæ pusillum, Deo fiduciam inspirante, postulandi veniam, seu remissionẽ peccatorum. Oportet autem ad euacuandas difficultates in argumento tactas inquirere, an homo nõdũ credens, nõdũ fidem habens, sed sibi derelictus in solis naturæ iã vitiatæ talentis, quantum in se est faciens, sese ad accipiendum fidei gratiam præparet. Et manifestum est quod non, quia absque gratia-

Facere quantum in se est, quid si suscipiet.

Sententia Augustini ascẽta liberum arbitrium, si lateat veritatis via nihil nisi ad peccandum valeat quomodo intelligitur.

gratuito auxilio Dei, crucem mortemq; Christi reuelantis, intusq; docentis atq; trahentis, nemo incipit credere. Homo igitur nondum credens, nō sic attractus, sed sibi derelictus in solis naturæ viribus, quantum in se est faciens, non sese facit ad accipiendum fidem præparatum, quia ad accipiendum fidei gratiam, præparatur voluntas à Domino. Hic iam si dixeris, Homo nondum fidem habens, sua oratione potest fidem impetrare, sicuti Cornelius Centurio, Act. 10. Respondeo absq; omni fide recta, homo orare nō potest. Initiū fidei datur nō petitur, vt homo iam incipiens credere ex ipsius fidei petitione, cetera bona assequatur. Neq; absq; omni fide erat Cornel. Cent. quādo orabat & dabat elemosynas. Proinde doctores cū dicunt Deū homini q̄tum in se est facienti, non deesse super his, quæ sunt homini illi ad salutē necessaria, intelligunt de homine, q̄tum in se est faciente, cœlitus attracto ad accipiendā gratiā Dei. Sic diuus Thom. quod de facere q̄tum in se est, in. 2. sententiarū minus eruditē disseruerat, ad saniorē & meliorē intellectum, declarauit in secunda. 2. & in cōmentarijs epistolæ ad Ro. 9. sic & venerabilis Bonauent. dist. 28. secundi sententiarum, in solutionibus argumentorū questionis, vtrū liberum arbitriū destitutū omni gratia gratis data, possit sese ad gratiam gratū facientē disponere, distinguit facere q̄tum in se est bifariā dici. Vno quidē modo positiuē, veluti cū facit aliquid ordinatum ad gratiam accipiendā, & ex intentione assequendi illam, facit tantum, q̄tum potest, & sic facies q̄tum in se est, ad gratiā sese disponit, sed hoc nō potest facere neq; absq; auxilio gratiæ gratis datæ, neq; absq; speciali motione Dei intus suggerentis. Alio modo potest intelligi priuatiuē, vt dicatur facere quod in se est, qui facit quod potest, quis illud non sit ordinatum ad gratiæ susceptionem, & sic faciens quātum potest, sine gratia quidē operatur, sed non disponit sese ad gratiam. Cū autem queritur, an liberum arbitriū omni gratia destitutum possit facere aliquid aut nihil. Respōdet liberum arbitriū sic destitutum aliquid posse, sed illud aliquid nihil esse respectu suscipiendæ gratiæ, sicut posse comedere, ambulare, plantare vineas, est aliquid posse, nihil tamen facit ad hoc, vt quis suscipiat gratiæ donum. Paruulus baptizatus & furtim sublatus à paganis, atq; educatus inter illos, primū ad adultam perueniens ætatem, si faciat quantum in se est, nō deerit forsitan illi Deus super his, quæ sunt illi ad salutem necessaria, sed hoc non oportet sic consequēs esse de alio paruulo nō baptizato, qui nondū habet spiritū sanctū inhabitantē & custodientē omnē hominē iustū, q̄tum in se est facientē. Verūtamen nō perniciose fallitur, nec in hēresim cōsentit Pelagij, si quis tam piē de diuina sentiens misericordia, credat omni hominī adulto aliquid gratuiti auxiliij, pro loco & tempore adesse, quo valeat sese ad accipiendum seu obtinendum gratiā præparare, & ita neminē ex adultis sic esse derelictum per totum tempus vitæ suæ in solis naturæ talentis, aut si fuerit sic derelictus, eundem per ea, quæ facta sunt, seu per mundi fabricam posse assurgere ad cognoscendum ipsius Dei creatoris inuisibilia, ex qua cognitione, si q̄tum in se est faceret, vt Deū glorificaret, ad illumq; pro remissione peccatorū suspiraret, illuminaretur intus, vel prouideretur sibi de magistro, qui eū quod oporteat facere, doceret: quemadmodum solet dici, contigisse in Cornelio Ceterione, Act. 10. & in Macedonibus, Act. 16. quibus q̄tum in se est facientibus, diuinitus erat prouisum de magistris. Quod autem sic docētēs, nō cōsentiant Pelagij hēresi, patet: nam Pelagius docebat hominem ex naturalis arbitrij possibilitate sola, posse esse sine peccato, placere Deo, rectē viuere, & mereri gratiā ac fidem, qua Christianus fiat, credere autem & bene viuere, inquit, idcirco solum esse Dei dona, quia Deus & liberū cōdidit arbitriū, sine quo nō posset homo credere, & præcepta dedit, quibus doceat, quemadmodū sit viuendū, & credibilia

reuelauit quæ credamus. Hæc Pelag. Secus autem sentiunt docentes, Deum dare primam gratiam quantum in se est facientibus, quia isti, neq; dicunt hominem sine gratia iustificatē, posse esse sine peccato, neq; docēt hominem posse credere, aut iustē viuere, aut mereri ex solis naturæ viribus, sed dicunt credere, & bene viuere, esse Dei dona, non tantum, quia homini Deus dedit & liberum arbitrium, & præcepta credendi, atq; bene viuendi. Sed quia Deus per spiritū sanctum diffundit fidem & charitatem in cordibus eorum, qui pro loco & tempore cœlitus inuitati, intusque vocati, faciunt quantum in se est, voluntariē consentientes diuino spiritui reuelanti & pulsanti, consentientes Euangelio, non suis solius viribus, sed præuerti persuasione sancti spiritus. Diximus autem de facere quantum in se est, in libro de captiuitate & redēptione humani generis, latius in resolutione questionis, vtrum cuiuslibet homini adsit auxilium sufficiens, quo valeat fieri particeps fructuum ac meritum passionis Christi, & in capitulo, de præparatione ad gratiam. Ad hoc quod consequenter in argumento assumitur, nos ex nobis secundum solas naturæ vires, stante prouidentia Dei generali, posse aliquid facere, quo facto præparati accipiamus fidem, gratiam aut charitatem, quamuis non possumus nobis has virtutes infundere. Respondeo hoc falsum esse. Nam absq; speciali suasionē, seu tractu Dei nemo potest sese ad accipiendā fidē, charitatem, aut gratiam præparare se accommodare. Pro intellectu tamen eorum, quæ deinceps in eodem adijciuntur argumento, aliter in homine fieri virtutes, aliter opera virtutum, Sciendum est gemina esse Dei dona, quædam fiunt in homine, sed non ab homine, quædam fiunt in homine, & simul ab homine. Augustinus validissimus hæreticorum malleus in epistola ad Sixtum, docet opera bona in homine fieri aliter, quā fidem. Opera bona, inquit, fiunt ab homine, fides autem fit in homine, sine qua illa nō sūt ab homine, apertē insinuās, opera bona fieri ab homine, sed fidē ex qua fiunt opera bona, fieri nō ab homine, sed in homine à Deo, quemadmodū de charitate ait Apost. Caritas diffusa est in cordibus nostris per spiritū sanctū. Sic credere est Dei op^o in homine, quod etiā fit ab homine, loquimur autē de credere, quemadmodū Christianus credit. Habuit fidē quandā Pelagius, habuit & Donatus, habent & hæretici huius temporis fidē suam, arbitrantēs sese esse gratia esse veros Christianos, & sese totos pendere ex Dei misericordia, sed hæc eorū fides, nō est spiritus sancti virtus, quæ excludit omnem falsitatis pertinaciā. Ad similitudinē autē, quæ in argumēto adijcitur de homine in domo clausa, qui etsi nō possit illuminare domū. i. lumen producere in domo, utiq; tamē potest facere aliquid, videlicet, aperire fenestrā, quo facto domus à sole illuminabitur. Respōdeo ex illa similitudine cauendū est, ne homo arbitretur sese suis viribus absq; Dei auxilio posse ostium cordis aperire, seu cōsentire Deo pulsanti. Quemadmodū homo languid^o in domo clausa, nequit absq; adiutorio sese ad aperiendū fenestrā erigere, Sic nemo, nisi diuinitus attractus potest ostiū cordis sui aperire Deo pulsanti. Nam & ipse interior pulsus, quidā est animæ tractus. Quod igitur in argumēto cōcluditur nos ex nobis posse facere aliquid, quo accipiam^o Dei dona, vt pote fidē & charitatē, verū quidē est nos ex nobis. i. ex nostris virib^o nō solis quidē, sed diuino spiritu excitatis, & attractis. Certū est nos inquit Aug. credere, si volum^o, & seruare mādāta si volumus, & bene viuere si volumus. Certum est Deum intrare ad nos si aperiāmus illi corda nostra, & suscipere nos si confugiamus ad illum, & accedamus ad thronum gratiæ illius, vt auxiliū inueniamus. Sed vt hæc velimus, vt fugiamus, vt aperiāmus, vt accedamus, vt tantū velim^o quantum sufficit, vt mādāta faciamus, adiuuatur, & preparatur voluntas à Domino. Proinde interrogātib^o nos, cur nō oēs, quibus euangiliū prædicatur, credant

Facere quantum in se est, bifariā dicitur.

De parulo baptizato inter paganos educato.

Qui docēt Deū dare gratiā hominibus quantum in se est facientibus, nō cōsentimus hēresi Pelagianæ.

Duplicia Dei dona.

Fides non Christiana est in hac rescriptio.

Credit homo si uelit, sed ut uelit preparatur voluntas à Domino.

cur non

cur non omnes respiscant, cū Deus velit omnes homines saluos fieri. Bene respō demus, quia non oēs qui audiunt volunt credere, non omnes qui vocātur, volūt respiscere, vt salui fiant. Credere, respiscere, & pœnitere, vt crebrò iā diximus, fiunt à libero hominis arbitrio, quamuis non solo, sed cœlitus attracto per spiritum fidei diffusum in cordibus nostris. Vltrà verò interrogantibus, cur Deus in sua potestate habens omnium hominum corda, non sic præparat, & attrahit corda omnium qui audiūt, qualiter aptū nouit, vt nō contēnant, sed velint, & obediāt. Cur nō ab æterno præparauit illis auxilia, quib⁹ illos præsciret obedituos. Respō debitor forsītā, quia Deus quoscunq; trahit sic trahit, vt eos dimittat in libero arbitrio, ex quo libero arbitrio q̄ & contēnant, & reluctātur Deo vocāti, aut negligēter audiunt, suo merito malo se faciūt dignos, qui dimittātur ire secundū desideria cordiū suorū mala. Hęc verissīma quidē est sentētia, sed nō satisficit propositæ quæstioni. Interrogatur enim nō cur alij credūt, alij verò dimittūtur ire secundū desideria sua. Sed cur Deus omnipotens habens in potestate sua omnium hominum corda, nō sic trahit omnium corda, vt velint credere. Cur dimittēs omnes in libero suo arbitrio, habēs in sua potestate trahere illos, nō secundū æternū suum propositū præparauit illis auxilia, quibus obedirēt, & nō contemnerent, neq; audirent Euangelii negligēter. Hęc quæstio scrutatur occultissima & inuestigabilia diuinę volūtatis & sapiētiae iudicia, & querit rationem eius, quod est ab humano intellectu impenetrabile. Proinde ad eam respondendum est cum Paulo Apostolo, neq; enim melius, aliquid inuenire poterimus, O homo tu quis es, qui respondeas Deo, An nō habet potestatem figulus luti ex eadē massa facere aliud vas in honorem, aliud autē in contumeliam? O altitudo diuitiarū sapientiæ & scientiæ Dei, quam incōprehensibilia sunt iudicia eius. In eos quos sic trahit qualiter aptū nouit vt obediāt, est iudiciū suæ gratiæ & misericordiæ. In eos autē quos nō sic trahit vt obediāt, est iudiciū iustitiæ. Quantum ad huius quæstionis à curiosis hominibus propositæ responsionē attinet, nūc sufficiat scire, q̄ perditio nostra non ex Deo, sed ex nobis fit. Saluatio autē nō ex nobis, sed ex Deo est, Ipse castigat nos, inquit Tobi. propter iniquitates nostras, saluat autē nos propter misericordiā suā. In his fidei sentētijis periclitari nō possumus secundum Apostolicam doctrinam, agnoscētes diuinā voluntatē in omnibus quę facit erga gen⁹ humanū, esse equam & rationabilē, operantem nunc secundū iudiciū suæ misericordiæ, nunc autem secundū iudiciū suę iustitię. Cur autē erga hunc misericorditer, erga illum autē iustē, prout agere ab æterno proposuerit, noli scrutari, si nō velis errare. Talia sunt Dei iudicia in reprobatione & prædestinatione diuina, sub quibus occultū scandalum patiuntur homines à fide Christiana reprobi, nolētes intellectu dare in obsequium fidei, Deum videlicet omnipotentē omnia præuidisse, omniaq; sapiētē sua aequissima voluntate gubernare, & cōtra illius præscientiā atq; voluntatē nihil fieri posse, & Deū ab æterno electos suos ad gratiā & viam etiā præparasse, alios autē reprobasse, & decretis huiuscemodi prædestinationis & reprobationis diuinæ, nō fatalē vllā necessitatē induci in volūtariis hominū, de quibus diuinæ prædestinationis ac reprobationis iudicijs, ante exortā Pelagij hæresim, nondum fuerat exactē disputatum, quia nondū super his rebus in quæstionē venerāt difficultates, hæreticis Pelagianis nondum ecclesiis perturbantibus.

Ad scripturas in argumēto citatas, quibus significatur Deus expectare peccatores, vt respiscant, pœnitentiā agant, & reuertātur ad Dominū Deum suum, ex quibus videtur consequēs esse, homines per vires solius liberi arbitrii posse aliquid facere vnde iustificentur, aut gratiam accipiant. Respondeo argumētum non cōcludere. Huiuscemodi enim scripturæ sunt accipiendę, non quemadmodum

modum Pelagius interpretatus est, putās ex illis & similibus consequens esse, Deū expectare impios, quatenus ipsi absq; Dei miserētis auxilio credant, pœniteāt, aut se iustos ac bonos faciāt, sed quemadmodum ecclesiastica tradit definitio, docēs, quod credere, respiscere, pœnitere, rectē viuere, sunt opera liberi arbitrii, nō solius, sed per spiritū gratię attracti & adiuti, quod si sic cœlitus adiutum, diuq; benignitate Dei toleratum, operari neglexerit, succiditur tandē velut arbor sterilis, quemadmodū & planē significauit parabola Euangelica Lucę. 13. vbi Christus de Iudæorū synagoga dicebat ad quosdā per similitudinem. Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit quęrens fructū in illa, & non inuenit. dixit autē ad cultorem vineæ. Ecce tres anni sunt, ex quo venio quærens fructū in ficulnea hac, & non inuenio, succide ergo illam, vt quid etiam terram occupat. At ille respōdens dixit illi. Domine dimitte illam & hoc anno, vsq; dum fodiā circa illam, & mittam stercora. & siquidem fecerit fructum, finautem in futurū succides eam. Vnde Paulus, An diuitias bonitatis eius, & paciētię, & lōganimitatis contemnis? ignoras quoniā benignitas Dei ad pœnitentiā te adducit. Secundum autē duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddit vnicuiq; secundum opera eius, ad Romanos secūdo.

Ad id ergo quod consequenter in eodē argumento assumitur ex epistola beati Prosperi, & ex duob⁹ libris Fausti, catholici episcopi omnes Ecclesiasticos patres ante August. secula descripsisse propositum gratię Dei vocantis, in hoc esse, quod Deus velit omnes homines saluos fieri, & idcirco propitiationem sanguinis illius omnibus esse propositam, vt qui voluerint, salui fiant, & vnumquemq; per discretionem boni & mali posse, & ad agnitionem Dei, ad obediētiam mandatorū eius suam dirigere voluntatem, & ad gratiam, qua in Christo renascimur, peruenire.

Respondeo omnia patrum scripta, præsertim ante exortam, atq; damnatā Pelagij hæresim egent sale, & interpretatione sana, secundum August. regulā. Quando in doctrinis patrum opera bona tribuūtur, aut libero hominum arbitrio, aut naturæ hominum ipsa gratia non cōmemorata non intelligitur exclusa, sed tacitē intellecta, quemadmodū & docet venerabilis Faustus episcopus in scripturis sacris. Regula est obseruanda, quando in eis gratia sine labore, aut labor sine gratia ponitur, non intelligitur alterum esse separatim ab altero, sed tacitum, & suppressum secundum regulam illā, quam insinuat, inquit Antistes Augustinus. Non omnia quæ tacētur, negātur. Quod ergo venerabiles patres docent omnes, quotquot voluerint saluos fieri, & per liberum arbitriū, ac discretionem boni & mali posse ad gratiā, atq; iustitiā peruenire, & propositū, seu prædestinationem esse secundum præscientiā Dei præuidentis, in qua quisq; voluntate fit futurus. Hęc & id genus alia sunt accipiendā, vt gratia Dei liberantis, & adiuuātis nō intelligatur exclusa, sed tacitē subintellecta, vt dicatur homo, supple, adiutus gratuita Dei motione incipere credere, bene velle, & operari per naturā, per vim liberi arbitrii, per discretionē boni & mali. De⁹ enim nō solū præscit, q̄ sint futuri boni, sed & ipse quos elegit bonos facit sua gratia dum vocat, inuitat, trahit eorū volūtates, largiens spiritū sanctificatē, Neq; vllus ex patrib⁹ sanctis ante August. tempora aliter intellexit liberum hominis arbitriū posse incipere operari quicq; boni. Vnde Cyprianus in bonorum operum cōgerie totum Deo dandum nostrū verò nihil est, & Chrysostomus tradens regulam, sub qua periclitari nō possumus, sine gratia Dei nihil boni operatur homo. Proinde ad quod beatus Prosper in Epistola ad Augustinum recitat multos fratrum, & sororū Christi in Masilia, in Gallia, & intra Africā, temporibus illis consistentes, fuisse opinatos scripta Augustini, quę aduersus Pelagianos hæreticos condidit de vocatiōe, seu prædestinatione sanctorum electorum secundum propositum Dei esse contraria opinioni patrum, &

Ecclesiastico sensui, addentes patrum omnium parem & eandem esse sententiam definiendum prædestinationem secundum præscientiã, & scripturas de epistola Pauli super hac re sumptas à nullo Ecclesiasticorum patrum sic esse intellectas.

Respondeo beatum Prosperum verum quidem recitasse, multos videlicet seruatorum Christi sic fuisse opinatos, dogmata Augustini de vocatione electorum secundum propositum Dei esse cõtraria opinioni patrum, sed ipsi sic opinantes errabant, arbitantes eundem Augustinum in suis libris contra Pelagium de gratia, & prædestinatione diuina editis, voluisse tollere liberi arbitrii opera, & in die iudicij Deum nõ redditorum vnicuiq; secundum opera illius, quos errantes idem venerabilis Augustinus ad intellectum sanioerem reducit in epistola ad Valentinum, tradens illic regulã, secundum quam sint accipienda omnia sua scripta, gratiam Dei commendantia. Deinde quamuis patres Augustini prædecessores vocationẽ sanctorum secundum Dei propositum electorum, non perinde atq; Augustinus expresserint, nõ sic elucidauerint, nõ dum exorta Pelagiana hæresi, nihil tamen contrarium doctrinã eiusdem Augustini protulerunt, sed multis in locis eandem, aut tacite, aut expressè satis approbarunt, optimè scientes Deum omnia præscire, omnia gubernare secundum æternã suam voluntatem, & præscientiam illius non posse falli, & æternum eius propositum, non posse ab vlla causa creata, neq; frustrari, neq; impediri, & neminẽ ex dánata massa humani generis liberari, nisi quem gratia misericordie Dei erexerit, & eum quẽ erexerit ab atero fuisse electum ac scriptum in libro vitæ, sed cum huiusmodi sententijs etiã est in scripturis sacris manifestum, sic electos ac scriptos in libro vitæ ab ipso Deo non cogi vt inuiti credãt, aut inuiti beneficiãt, sed vocari ab illo vt spontaneè credant, & voluntariè beneficiant. Proinde alij patres ad ista consyderationem habẽtes attulerunt sententias, quibus contra Manichæos defenditur natura bene viuere cum Dei adiutorio, & Deum iustum iudicem reddere vnicuiq; secundum opera. Ad id ergo quod fratres addebant, omnium penè prædecessorum patrum parẽ esse sententiam definiendum prædestinationem secundum Dei præscientiam, Dicimus quod ipsi patres, verum quidem dicebãt, sic prædestinationẽ definiẽtes, verum serui, seu fratres Christi in Masilia sub temporibus Augustini, intelligebant hãc patrum sententiã præuẽ, opinantes præscientiã Dei solã, tanq̃ Deus præserierit solum, qui futuri sint credẽtes, beneq; viuẽtes, & nõ proposerit etiã sic adiuuare illos, vt fiant fideles, beneq; viuẽtes, sed de hoc in superioribus longè, lateq; differuimus. Ad id quod postremum ijdem fratres seu serui Christi, inquit, scripturas de epistola Pauli, præsertim exempla de Iacob & Esau, rationesq; sumptas super hac vocatione secundum propositum Dei, à nullo ecclesiasticorum patrum sic esse intellectas. Patet responsio ex superioribus. Neq; enim id verum est, quod à nullo ecclesiasticorum patrum, doctrina Apostoli ad Romanos de proposito Dei secundum electionem, seu prædestinationem sic fuerit intellecta. Nam si vigilanter inspiciamus veterum patrum scripta, consyderare poterimus eosdem, minimè latuisse, propositũ Dei super electos, nõ posse ab vlla creatura, aut impediri aut frustrari. Quod si donem⁹ à nullo ecclesiasticorũ patrũ doctrinã illã Apostoli scribẽtis ad Rom. de vocatione electorũ secundũ æternũ Dei ppositũ, sic fuisse intellectã. Nõ tamen inde cõsequens est doctrinã Aug. de prædestinatione sanctorũ cõtra Pelagianos, aut nõ esse in necessitate fidei, aut esse fidei Christiane imperinentẽ, seu contrariã. Nam quis textus ille Apostoli ad Rom. & de Iacob & Esau, posset forsitan interpretari in aliũ etiã sensum, quẽ intellexerũt veteres patres, studeas nondũ exorta Pelagij hæresi, sententiã dare p natura lib. arbit. cõtra Manichẽũ, humanẽ infirmitati medicinales, verissimas etiã & catholicas, sunt tamẽ alia scripturæ sacrę testimonia multa, quæ in aliũ sensũ trahi nõ possunt, qb⁹ August.

euidenter

euidenter demonstrat sua de prædestinatione dogmata. Ad id quod citatur in argumento ex libris Faustij coarguentis eos, qui docebant ex doctrina Pauli Deum alios prædestinare, Alios autem reprobare, nõ habita consyderatiõẽ vlla ad eorũ opera, vel officia. Respondeo Faustum arguere, & refellere eos, qui ex doctrina Pauli apostoli docebant Deum, alios reprobasse, alios autem prædestinasse, ita vt pro sua potestatis nutu violentoq; decreto, alios fecerit odio dignos, relinquantq; in perditionem. Alios autem faciat immutabiles, reddatq; salute dignos, eligatq; in salutem profus nihil operantes. Neq; enim præscientia Dei, neq; reprobatio cogit impios, si conuerti voluerint. Vnde Faustus ipse duos illos libros edidit pro defensionẽ liberi arbitrii statuẽdi simul cum gratia. Proinde & ipse in eisdẽ refellit quidem prædestinationem, & reprobationem quandã, qualem ponebat ipsi contra quos scribit, qui arbitrabantur prædestinationem, & reprobationem sic oportere defendere, vt tollerentur liberi arbitrii opera, ita vt Deus nõ secundũ opera iudicaturus esset hunc mundum. Sed nequaquã voluit Faustus coarguere prædestinationem & reprobationem, quam venerabilis pater August. ex scripturis sacris illustrauit, qua videlicet Deus ab atero decreuit ex massa perditionis, Alios secundum iudiciũ suã misericordie, ita præparare & adiuuare, vt credãt, ac gratiã habeant, qua rectè viuant, & perueniãt ad vitam æternã. Alios autẽ secundum iudiciũ suã iustitiã nõ ita præparare, & adiuuare. Vnde Faustus in libris illis imitatus interpretationem veterum videlicet, Origenis, Chrysoctomi, Ambrosij definiendum dilectionem illam Dei, & odium secundum æternum propositum Dei per præscientiam, siluit quidem de prædestinatione illa, & reprobatione, quam tacet Augustinus, sed non coarguit illam.

Ne quis autem fallatur ex doctrina eiusdem Faustij Episcopi scribentis duos libros de gratia, & libero arbitrio. Pro intellectu omnium eorum, quæ in eisdem libris traduntur supponenda sunt aliqua studioso lectori.

Primum oportet consyderare quænam fuerit eiusdem Faustij, in eisdem libris præcipua intentio. Ea autẽ fuit scribere cõtra hæreses illius tẽporis, quas & recitat in prologo eorundem librorum, scribẽs ad Lucidũ presbyterum, qui ex doctrina Pauli apostoli, præsertim ad Rom. 9. & ex prædestinatione, & reprobatione Dei absque meritis operum, alios prædestinantis, alios autẽ reprobatis arbitrabatur consequi, non esse vlla merita, aut liberi arbitrii opera, sed vniuscuiusq; hominis totũ vitæ cursum esse origine definitũ, necessitatiq; subiectũ, & omnes reprobos, q̃ pe-

reunt propter originale peccatũ in Adã perire, nec accepisse, vt salui esse possint. Proinde idem Faustus ex scripturis sacris studuit trahere sententias medicinales, quibus destruerentur supradictę hæreses, & ostenderentur nõ omnium reprobatorum hominum voluntates in Adam perire, earundem quoq; voluntatum esse opera bona aut mala, & Deum iudicaturum esse hũc mundum secundum vniuscuiusq; hominis opera.

Sic in capite nono ad Rom. eas annotauit sententias, quibus opera, & studia humanarum voluntatum comprobantur, ostendẽs Israelẽ nõ peruenisse in legem iustitiã, quia nõ ex fide, sed ex operibus voluit iustificari. Gentes autem inuenisse iustitiã ex fide, & sic vniuscuiusq; voluntatis opera esse causas, Cur De⁹ dilexerit Iacob & odio habuerit Esau, quia videlicet Iacob populusq; in eo designatus, credidit in eum, qui gratis iustificat impium. Esau autem populusq; in illo designatus noluit credere in eum, qui gratis iustificat impium, sed in operibus gloriatus, suã voluit statuere iustitiã. Vnde de vtrisq; ait Apostolus, Gentes quæ nõ sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam. Apprehenderunt, in quã, non otiosi, & nihil profus agentes, sed ex fide credentes, & inuocantes eum, qui iustificat impium. Israel vero sectans legem iustitię, in legem iustitię non peruenit, quia non ex fide,

k ij sed quali

Concordia omnium patrum cum sententia Augustini, de prædestinatione diuina.

Interpretatio capituli noni ad Romanos, diuersa est ab interpretatione aliorum patrum.

Declaratur doctrina Faustij Episcopi de prædestinatione & libero arbitrio.

Diuersæ interpretationes capituli noni ad Romanos conspiciunt in vniuersitate fidei.

sed quasi ex operibus, offenderunt in lapidem offensionis. Vides igitur secundum doctrinam Apostoli Pauli, quod fides & obedientia fuit gentibus via perueniendi ad iustitiam, Iudæis verò propriorum operum arrogantia, & incredulitas fuit causa non perueniendi ad iustitiam. Et propter huiusmodi opera à Deo preuisa, dictum est, Iacob dilexi, Esau odio habui, cum adhuc non essent nati. Proinde dum dicitur, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei. Maior seruiet minori, non omnia opera destruantur, sed opera legis, quæ sunt sine gratia Dei vocatis, seu attrahentibus, Oportet enim in scripturis sacris intelligere sententias, & ex his quæ sequuntur, & præmittuntur. Hæc sunt quæ ex illo capitulo nono considerauit Faustus contra eos, qui omnia voluntatis merita, & ipsam insuper hominis voluntatem conabatur tollere propter doctrinam Pauli in eodem capite. Opera igitur, & ipsa voluntas humana præcipuè demonstrantur ex eo Apostoli dogmate, in quo ipsa putantur ab hæreticis maximè destrui. Primum in eo quod Apostolus dicit Deum vocantem seu inuitantem, non cogentem. Cum audis Deum vocantem, intelligis eum non inferentem vim, sed suadentem. Deinde in eo quod dicit. Israellem in operibus gloriari, atque offendisse in lapidem offensionis, & idcirco iustitiam non apprehendisse, Gentes verò inuenisse iustitiam ex fide in Iesum, hoc est quæadmodum exponit Augustinus, non ex semetipsis præsumendo, sed eam ex fide in Iesum impetrando, Omnis enim qui inuocauerit nomen Domini saluus erit. At dices forsitan hoc quod dicit Apostolus, ex vocante, non illic acceptum esse, pro eo quod est inuitate, sed pro eo quod est secundum æternum suum propositum prædestinate. Vnde & Augustinus, multis in locis coarguit interpretationem eorum, qui in capitulo illo ad Romanos, dilectionem Iacob, & odium Esau referunt ad futura opera præuisa, volens Iacob dilectum esse ex sola voluntate Dei miserentis, Esau odio habitum similiter ex solo Dei beneplacito iusto, & æquo iudicio deserentis, seu induratis, non ex vllis operibus, neque præteritis, neque futuris præuisis. Alioqui conclusio Apostoli non sequeretur, non est igitur volentis, neque currentis sed Dei miserentis, & rursus. Igitur cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Vnde argumentatur hoc pacto Augustinus, si voluisset Apostolus ex futuris bonis, inquit, operibus præuisis Iacob esse dilectum, & ex futuris malis Esau odio habitum, nequaquam dixisset Apostolus non ex operibus, sed ex vocante dictum est, Maior seruiet minori, sed dixisset ex futuris operibus, quæstionemque, quam sibi proponit, non soluisset per Dei misericordiam, interrogatusque hoc pacto. Quid ergo dicemus, Nunquid iniquitas est apud Deum, qui de duobus antequam nascatur, vnum diligit, alterum odit, Respondisset, Absit, præuidit enim vniuscuiusque actus & exitus, Præuidit futuram in Iacob fidem, obedientiam & credulitatem, in Esau præuidit, inobedientiam & arrogantiam. Nunc autem Apostolus sic non dicit, sed dilectionem ad solius Dei retulit voluntatem misereri volentis, Miserebor, inquit, cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit. Insuper si Apostolus opera futura voluisset intelligere esse causas, ex quibus Deus miseretur vni, & alterum indurat, Ipse obiectionem quam sibi proponit hoc pacto. Dices itaque mihi. Quid adhuc queritur, Voluntati enim eius quis resistit? Non soluisset dicens. O homo tu quis es qui respondeas Deo, nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, &c. sed retulisset miserationem & indurationem potius ad liberum hominis arbitrium, & dixisset. O homo in potestate tua erat, si voluisses, te peruenisse per liberi arbitrii opera ut non indurareris, sed assequereris misericordiam. Nunc autem Apostolus soluens sic non dicit, sed omnia tribuit potestati diuinæ voluntatis, adducens etiam exemplum de figulo, qui operatur de luto vas secundum nudum suæ voluntatis beneplacitum. An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honore, aliud vas in contumelia. Videtur igitur doctrina Augustini, desinentis nulla esse futura opera nec bona nec mala, propter quæ Iacob fuit dilectus, & Esau odio habitus, prorsus contraria doctrina venerabilis

Liberum arbitrium ex operibus ex capite primo ad Romanos demonstratur.

Argumentum Augustini.

venerabilis Faustus & aliorum interpretantium & doctentium dilectionem & misericordiam erga Iacob esse, propter præuisam in Iacob fidem, credulitatem atque obedientiam, odium autem erga Esau propter arrogantiam, incredulitatem, & contempitum. Imo & videtur Augustinus, sibi metipsum contrarius, dum alibi dicit hominem impetrare iustitiam ex fide in Iesum. Alibi verò dicit, ut homo iustus fiat nulla esse opera seu merita, deinde & Apostolus si sic intelligat absolute, ut populus in Iacob designatus fuerit dilectus, non propter vllum præuisum opus, videbitur idem Apostolus sibi contrarius in eodem sententiarum cõtextu. Primum dilectionem Dei iustificantis, tradens esse ex vocante Deo sine operibus, & postea prope finem capituli, gentes in Iacob designatas inuenisse iustitiam ex fide sua & obedientia. Israellem autem non peruenisse in iustitiam, quia in suis operibus gloriatus, non ex fide voluit iustificari, sed ex operibus, contemnens Christum, & suam volens iustitiam constituere.

Hæc sunt in quibus propter diuersas patrum sententias, forsitan conturbari possit mens studiosi lectoris, sed diligenter insipientibus, facile est considerare, nullam esse in sententijs, fidei contrarietatem, neque Faustum, neque alios vspiciam docuisse vllum esse hominis meritum, propter quod à Deo aut vocetur, aut præparetur ut credat, & ex impio iustificetur, quis plerumque sit super intellectu scripturarum pia quedam inter doctores sanctos controversia, alijs sic, alijs autem aliter interpretantibus, vtriusque tamen sententias veras & catholicas ex eodem scripturarum cõtextu colligentibus, quemadmodum accidit super his, quæ in argumento proponuntur. Pro quorum vero & catholico sensu sciendum est, quod voluntas hominis bona, præcedit multa Dei dona, sed ut præparetur à Deo & fieret bona, nulla præcedit in homine illa voluntas bona, ut homo ex massa perditionis vocetur, aut ad regenerationis lauacrum, aut ad fidem, intusque ita doceatur à Deo, ut credat, nullum est meritum. Non est hominis opus vllum, aut quo meretur Dei auxilium præparatis illum ex massa perditionis, aut dignus sit ita adiuuari, ut ex fide in Iesum, fiat vas in honore, respiciat à veteri vita. Tota humani generis massa per peccatum ordinata est in contumeliã.

Proinde si ex hac faciat vas in contumeliã, facit secundum exigentiam materiam debitam. Si autem ex illa faciat vas in honorem, sublato peccato, infundens formam nobilem, ex sola sui ipsius liberalitate, facit non propter vllum hominis meritum. Et ad hæc considerationem habuit venerabilis pater Augustinus, definiens dilectionem seu electionem, quæ ita diligitur homo, ut ex massa perditionis segregatus fidelis fiat. Cum autem iam vocatus est homo, ut fidelis ac dignus Deo sit, spiritu fidei & charitatis desuper accepto, multa sunt illius merita, quibus superlucrat alia Dei dona seu talenta. Et ad hæc considerationem habuerunt venerabiles patres, definiens dilectionem, qua homo diligitur ad bonum aliquod suo tempore, tribuendum illi propter præuisam in illo fidem, obedientiam, inuocationem, & orationem, seu eleemosynam, quemadmodum Deus dilexit Cornelium Centurionem, ad tribuendum illi regenerationis lauacrum, propter orationes, & eleemosynas ex fide quadam prodeuntes.

Si quis ergo dixerit in Iacob, & in populo designato per Iacob antequam nasceretur, præuisam fuisse fidem & obedientiam, & propter hæc opera præuisa, illum fuisse dilectum ad premium quoddam, & remunerationem, & coronam gloria, verissimum quidem dicit, sed is cum ex scripturis sacris didicerit, fidem illam & obedientiam esse Dei voluntatis dona, respondeat quid fecerat homo boni operis, quomerebatur vocari ad fidem, intusque ita præparari, adiuuari, attrahi, seu doceri ut crederet, & credendo, spiritu fidei principium omnis meriti acciperet. Respondet igitur Augustinus arguere eos, qui docuerunt Deum dilexisse Iacob, & populum in illo designatum, propter futura opera præuisa, & alterum odio habere vocabulis dilectionis & odij acceptis pro prædestinatione & reprobatione, de quibus tractat scriptura, docens Deum suos electos ante mundi constitutionem prædesti-

Sententia patrum conformis doctrinae Augustini.

Declaratur sententia Augustini esse consonam omnibus patribus antecessoribus de prædestinatione diuina scribentibus.

nasse, vt fiant vasa gratiæ, secundum propositum suum, operans omnia secundum consilium voluntatis suæ, Alios autem deseruisse in vasa cõtumeliæ. Si Deus suos electos ad primâ gratiâ, vel ad auxilium, quo ad primâ gratiam præparatur, prædestinasset propter præuisa opera in illis, eiusdê gratiæ meritoria, cõsequens esset primam gratiam dari propter meritum liberi arbitrij sine gratia operantis, & ita principium salutis esset ex nobis, tanquam ex nobis, statuereturq; Pelagiana hæresis. Sed nequaquã reprobat August. sententiam eorum tanq; falsam, qui docuerunt Deum dilexisse Iacob ad præmium vel remuneratione tum in hac vita, tum in futuro seculo tribuendam propter præuisa ab illo opera bona, gratia adiuuante futura. odisse alterum ad seruitutē supplicij irrogãdi propter futura merita mala olim præuisa. Ex scripturis sacris firmissima fide tenendum est Deum venturum iudicē esse, & reddere unicuiq; secundum opera eius. Deinde & ipsum dare gratiam ac remissionem peccatorum præparantibus se, credentibus, pœnitentibus, orantibus, ac supplicatibus, & ita propter opera quædã tanq; dispositiones, & præparationes in gratiã dandam ordinatas. Verùm August. textum Apostoli ad Romanos, non secundum tales sensus est interpretatus, arguens etiam eos, qui sic interpretantur, tanq; non assequutos illic verum Apostolicæ doctrinæ sensum, habens argumenta, & rationes, quibus sibi visum erat Apostolum Paulum loqui nō de dilectione, qua Deus vult dare alicui bonum aliquod propter præuisa opera, quæ sunt tanq; merita, & dispositiones, seu præparationes ad bonum illud, sed de dilectione prædestinationis præparantis hominem ad primâ gratiam, qua valeat bene operari, & sine qua bene operari nō potest, qua ita præparatur, vt fiat iustus, qui prius erat impius. Cuius gratiæ nulla sunt merita, præterquã Christi merita, quandoquidem meritis impij nō gratia debetur, sed pœna, & istum sensum delegit August. disputans contra Pelagium asserentem gratiam primam dari propter solius liberi arbitrij opera. Chrysostronus autem & Ambrosius, Faustus quoq; & alij venerabiles patres, quibus disputatio erat contra eos, qui ex textu illo Apostoli arbitrabatur sublatum esse liberum hominis arbitrium, ad alium quendam sensum etiam verissimum, & catholicum, intellexerunt Apostoli Pauli doctrinam, elicientes ex illa sententias, ex quibus demonstraretur liberum hominis arbitrium, & opera illius, tum bona tum mala, docentes, Iacob præ Esau esse honoratum propter opera præuisa, interpretantes hoc quod dicitur non ex operibus sed ex vocante dictum est &c. etiam oportere intelligi non ex operibus legis sine gratia factis, ac si dicant, Iacob quidem fuit præ Esau dilectus propter præuisa opera, sed non propter opera legis, neque propter opera vlla, quæ facturum erat sine gratia. Non sunt igitur sententię patrum hac in re contrarię quamuis alij sic, alij autem aliter eundem scripturæ locum interpretatur, vtriusq; asserentibus sententias verissimas ex alijs scripturę locis euidenter demonstrabiles.

Ad id autem quod consequenter in argumento concluditur, Apostolum Paulum in eodem capite sibi ipsi contrarium fore, si populus in Iacob designatus significetur esse dilectus, non propter vllum præuisum opus, cum postea tradat in eodem capite, gentes inuenisse iustitiam ex fide, ex obedientia, ex eo quod inuocauerint nomen domini. Impius si iustificetur, ex motu fidei, obediendo, & inuocando iustificatur, ergo ex operib⁹, si quidem credere, obedire, orare, & inuocare sunt liberi arbitrij opera.

Respondeo Apostolum Paulum etiã sic intellectum, nequaquã esse sibi ipsi cõtrarium. Quod ex tribus potest esse manifestum. Primum quis ex præuisis operibus, vtpote ex motib⁹ fidei, obediētis interioris pœnitētis, popul⁹ Iacob fuerit iustitiã assequutus, nō tamen fuit iustitiã assequutus⁹ ex operib⁹ legis sine fide operatis, in quibus gloriabatur Israel, volens suam constituere iustitiã, & hoc insinuat ipse Apostolus

Apostolus dum in calce capituli dicit. Israel sectando iustitiã in legē iustitiæ non peruenit, quia nō ex fide, sed quasi ex operibus. Vbi antiqui codices adijciunt genitium legis, dicentes hoc pacto, quia nō ex fide, sed quasi ex operibus legis. Deinde aliud est populum in Iacob designatū iustificari, cõcurrentibus operibus liberi arbitrij credentis, obedientis, & pœnitētis. Aliud est populum in Iacob designatum ad gratiã electionis prædestinari, seu prædestinatū esse propter huiusmodi opera præuisa. Postremū quãuis populus in Iacob designatus fuerit ex præuisis operibus, tanq; ex præparationibus quibusdã iustitiã assequutus, nō tamē fuit assequutus illam ex ipsis tanq; ex meritis gratiæ iustificatis. Quod autē ex paruulis absq; motu proprii arbitrij, alij baptizantur, alij sine baptismi sanctificatione rapiuntur, nō infirmat hanc quam dicimus sententiã, quia quemadmodū ipsi nondum peccauerūt propria voluntate, ita & ipsis subuenitur per alienæ voluntatis arbitriū, absq; cõcursu propriæ voluntatis. Vnde per omnia volumina sacra litera euidenter loquūtur ad homines, in quibus apparere potest propriæ voluntatis iudicium. Veluti cum dicitur, Pœnitementi & credite Evangelio. Conuertimini ad me, & redite præuaricatores ad cor, & id genus scripturæ innumeræ, quibus liberū hominis admonetur arbitriū, & ita in iustificatione impij concurrunt quidem liberi arbitrij opera saltem interiora, sed opera illa, neque sunt absq; Dei miserentis gratia, neque sunt meritoria iustificationis, aut remissionis peccatorū, aut primæ gratiæ, seu fidei, qua iustificatur homo. Ad habendum gratiam iustificantem, oportet quidem animã motu quodam liberi arbitrij fieri præparatã, sed hæc præparatio est ex peculiari vocatis, atq; inuitantis Dei auxilio, quod vt cœlitus præstaretur nulla sunt liberi arbitrij, neq; merita, neq; præparamenta, præuenit enim omnem hominem iustificandum Dei misericordia.

Et ex eadem responsione patet etiam Augustinū sibi metipso nō esse contrariū, dum docet hominem sibi ex fide impetrare iustitiam, seu peccatorū remissionē. Aliud enim est impetrare remissionē peccatorū, aliud mereri illam, quæadmodū, & ipse idem Augustinus demonstrat in epistola ad Sixtū Romanū presbyterum. Remissio, inquit, peccatorū nullis præcedētibus meritis datur. Quid enim meriti possunt habere peccatores, nisi meritū malum, sed tamen nec ipsa remissio peccatorū, sine aliquo merito est, si fides hæc impetrat. Neq; enim vllū est meritū fidei, qua ille dicebat. Deus propitius esto mihi peccatori. Plane vides Augustinū docere remissionē peccatorū nullis præcedentibus meritis dari, peccatorē quoque nondum iustificatū non habere meritū nisi malum, & tamen in homine nondum iustificato aliquod esse meritum fidei, qua potest impetrare illam, sed hanc fidem non posse esse in homine absq; vocantis Dei gratia. Vnde sciendum est, quod nos ea quæ non meremur operando, sæpenumero præueni quodam Dei miserentis auxilio, impetramus supplicando, & orando. Quemadmodum demonstrat diuis Thomas secun. 2. quæst. 3. articul. 15. & 16. Oratio hominis nōdum iustificati, est quidē remissionis peccatorū impetratoria, sed nō est ipsius meritoria. Impetratio innititur liberalitati, aut gratiæ, atq; misericordię eius quæ oramus, in cuius potestate est si velit, aut liberaliter dare, aut absq; vllius iniustitiæ nota denegare. Meritū autē innititur iustitiæ, est enim opus rectè factū, per quod operans sit præmio aut braui dignus. Vnde & habet mercedem iustitiæ debitō sibi respondentem.

Diximus autem de his latius in tractatu de sanctorum meritis. Quamuis autem reus & miser peccator nondum iustificatus, neque sit dignus, neque sibi meritum faciat, vt exaudiatur, diuinæ tamen liberalitati atque misericordiæ congruit, & dignum est, vt homini misero etiam indigno, iam ingemiscenti veniã, neque precanti, suam gratiam & misericordiam largiatur, quem neque ad ingemiscendum, neque orandum instigasset, si proorsus illius misereri nollet.

k iiii Reuelauit

Fiducia quam peccatores erga Deū concipere possunt in scripturis sacris reuelatur.

Reuelauit spiritus sanctus in scripturis sacris peccatores talem posse fiduciam erga Deum concipere. Fili peccasti, inquit Sapiens, non adicias ultra, sed & de prius deprecare, ut remittantur tibi, miser homo adhuc immundus, & foedatus luto voluptatis suam agnoscens indignitatem, videns se non posse fieri mundum ab alio, quam a solo Deo si offerat sese cum quadam peccatorum suorum displicentia mundandum ab illo, Deum ad miserendum prouocat.

Prædestinati, adulti, ut veram inuenirent iustitiam, ut haberent fidem, qua fierent iusti, factum quidem est concurrentibus liberi arbitrii operibus, quia scilicet crediderunt, obedierunt, & abrenunciaverunt veteri vitæ, sed huiusmodi liberi arbitrii opera videlicet credere, ingemiscere, obedire, seu consentire Deo vocanti, non fuerunt in illis merita, quibus merebatur a Deo vocari, ad fidem inuitari, & iustificari. Sic quod Iudæi reprobis veram non apprehenderunt iustitiam, factum quidem est propter ipsorum opera mala, quibus meruerunt derelinqui, & non adiuuari ad fidem, quia videlicet noluerunt credere, & offenderunt, ut inquit Paulus, in lapidem offensionis, & operibus legis gloriantes, suam voluerunt constituere iustitiam, sed quod in istis, non quemadmodum in alijs sunt voluntates sic a Deo preparatae, atque adiutæ, ut non mererentur deserere, ut audientes Euangelium non contemnerent, sed obedirent, non est factum propter ipsorum opera mala, sed ex iusto iudicio Dei, deserentis illos secundum conditionem naturæ debitam. Sic Augustinus in libro de prædestinatione sanctorum, Creditur, inquit, isti, quia volunt credere, non credunt illi, quia nolunt. Si autem roges cur illi volunt, isti nolunt. Respondetur, quia in illis, inquit, præparatur voluntas a Domino, in istis non præparatur. Verum & in istis, quavis non ita præparetur voluntas, ut credant, ut obediant, ita tamen in quibusdam fuit præparata, ut possent non contemnere, ut possent Deo adiuuante credere. Proinde & infidelitas illis in peccatū reputata, etiam referri potest ad liberum ipsorum arbitrium nolum tium credere. Non semper est peccatū non credere in Christum, sed nolle credere & contemnere Christum, semper est peccatū. Amplius hic sciendum hominem posse sibi facere merita mala, quibus mereatur deserere & non adiuuari ad fidem atque iustitiam, sed non posse sibi facere vlla opera bona, quibus mereatur ad credendum & obediendum Euangelio adiuuari aut iustificari, & ex massa perditionis segregari. Quod & diligenter videtur obseruasse vas electionis Apostolus Paulus in eodem capite ad Roma. 9. assignas causam, quam obrem Israel sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit, quia non ex fide, inquit, sed quasi ex operibus legis, & quare non ex fide, offenderunt enim, inquit, in lapide offensionis, Vbi videtur assignare meritum eorum malum, esse causam, propter quam meruerunt non peruenire in fidem iustificantem, non sic autem assignat opus bonum, pro causa assequutionis fidei aut iustitiæ. Dat quidem Deus gratiam iustificantem seu remissionem peccatorum, propter motum liberi arbitrii, ad illam ex diuina motione sese preparatis, sed non propter illam, tanquam propter meritum, quavis propter illam, tanquam propter dispositionem seu preparationem, quam in gratia dandam ordinat. Proinde ne fallaris, oportet considerare huiusmodi reciprocas loquutiones. Deus dat gratiam propter preparationem liberi arbitrii, sese ex motione diuina ad illam preparatis, & Deus motum liberi arbitrii sese preparantis excitat, propter gratiam dandam, neque enim pariformiter accipitur propositio, propter, quemadmodum dicimus reciprocè sanitatem fieri propter ambulationem, tanquam propter causam efficientem, & rursus ambulationem fieri propter sanitatem, tanquam propter finem. Vnde concedimus hominem sanari propter ambulationem, & hominem ambulare propter sanitatem.

Ad id autem quod consequenter in argumento ex doctrina Faustii assumitur, dicentis Christum suam gratiam omnibus offerre, & eadem gratiam esse generale munus & publicum omnibus expositum. Respondeo, admittere Christum iam sub lege Euangelij pro loco &

loco & tempore communicare omnibus adultis auxiliū sufficiens, quo possent salui esse, non obuiat supradictis, modo auxiliū illud gratiæ, intelligatur fides, aut excitatio, vel ad fidem, vel ad initia quædam fidei, non autem naturæ talentū, secundum quod sumus substantiæ rationales, diffidentes a beluis, quemadmodum Pelagiani docuerunt. Libenter adimus Christi gratiam omnibus oblatam, omnibus ex æquo propositam, sed quid confert hoc reprobis, illam aut contemnentibus, aut negligentibus quibus melius fuisset illam gratiam non impendi, quam ipsos hanc contemnentibus reos fieri. Hactenus pro concordia sacrarum scripturarum atque ecclesiasticorum dogmatum, quæ in argumento secundo, & in argumento altero, contrarijs vijs illi opposito, pro defensione liberi arbitrii proponuntur, sunt dicta sufficienter.

Iam pergamus ad examinandum ea, quæ in argumento tertio pro defensione gratiæ, & in altero argumento contrarijs vijs illi opposito, pro defensione liberi arbitrii assumuntur. Omnes autem difficultates quæ illic aut assumuntur, aut concluduntur, possunt considerantibus esse manifesta, ex his quæ in superioribus sunt dicta. Verum pro tardioribus & minus forsitan capacibus, non est inutile aut superuacuum frequenter eadem, alijs atque alijs verbis inculcare. Ad illud ergo quod primo assumitur ex creationis & natiuitatis corporalis seu resuscitationis similitudine, cum iustificatione seu natiuitate ac resuscitatione ad vitam spiritualem. Respondeo ex admixta similitudine, non oportere consequens esse, nullam esse hominis voluntatem liberè operantem. Nam etiam paruulis vix rudimenta dialecticæ attingentibus, manifestum est consequentiam esse inualem, voluntas hominis non valet operari neque gratiam iustificantem, neque suam salutem & iustificationem, neque vitam suam spiritualem: ergo ipsa voluntas iam spiritualiter viuificata, & iustificata nihil potest liberè operari. Deinde ad antecedens assumptum dicimus, natiuitatem ad vitam corporalem, & natiuitatem ad vitam spiritualem conuenire quidem in hoc, quod quemadmodum homo corporalis nascitur & creatur, non propter vlla opera quibus meruerat sic nasci & creari, ita homo ad vitam spiritualem prædestinatur & renascitur, non propter vlla opera quibus meruerat ad vitam talem nasci, aut prædestinari. Sed tamen non esse omnimodam similitudinem patet. Nam ex scripturis sacris est manifestum hominem ut iustificetur oportere etiam aliquid agere, utpote credere ac poenitere veteris vitæ, homo autem ut nascatur, nihil operatur. Vnde Augustinus qui creauit nos sine nobis non iustificat nos sine nobis, neque enim natiuitas corporis, neque ætas, neque incrementum corporis, est in voluntate hominis, nullus quando vult aut creatur, aut nascitur, aut secundum carnem crescit. Quisquam autem quando vult ad spiritualem vitam regeneratur, crescit & proficit, nemo ex aqua & spiritu sancto nascitur nisi volens. Vnde interrogatur regenerandus vis baptizari? abrenuncias sathanæ & omnibus operibus? Credis in Deum patrem? Hæc omnia velle inquam baptizari, abrenunciare sathanæ, & credere, opera sunt humanæ voluntatis. Proinde scriptura hortatur & monet hominem ut credat & abrenunciet sathanæ, ut faciat sibi cor nouum & spiritum nouum, ut exuat hominem veterem, & induat nouum, sed ut velit homo hæc omnia facere necessarium est Deum gratuita sua vocatione, internaque motione illum præuenire, quæ sanè gratuita vocatio, internaque motio, non fit propter hominis merita, sed gratis sunt illi a vocante Deo, inuitante, excitante preparata, quemadmodum scriptum est. Preparatur voluntas a Domino, & hoc est quod dicit Apostolus, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, maior seruiet minori.

Ex his igitur consequitur, per prædestinationem diuinam, sublatum non esse liberum hominis arbitrium. Sic Augustinus in libro de spiritu & litera. Gratia diuina, seu etiam ipsa prædestinatio diuina, neque impedit liberum hominis arbitrium, sed potius in libertate confirmat hominis prædestinati voluntatem neque cogit, sed præparat, excitat, inclinatur, & intus docet hominum viuificandorum animas, ut consentiant ipsi Deo peccata

Conuenientia est differentia inter natiuitatem corporalem, & natiuitatem spiritualem.

Liberum hominis demonstratur arbitrium.

peccata remittenti & iustificare volenti. Atq; ita Deus operatur in nobis velle, & operari ex bona voluntate, nō quōd nos nihil agamus, sed quia facit nos liberē velle bene & liberē operari, ex bona voluntate, sicut hi qui credunt iuuantur, vt voluntariē credant, & in fide recta semel accepta voluntariē maneāt atq; proficiant, sic qui nondū credunt iuuantur, vt voluntariē credere velint. Et quemadmodū illi qui credunt in sua habent potestate vt exeant, sic qui nondū credunt in sua habēt potestate ne veniāt, qui & si fuerint praeſtinati à Deo vt eſſent credituri & perseueraturi in lege iustitię, tā suauiter tamen ac dulciter gubernātur à Deo voluntates eorū ad credendum recteque viuendū, vt & ipsi sentientes se posse excidere à via iustitię quotidianū implorāt adiutorium, vt in eo quod inceperūt perseuerarent. In omnibus igitur operibus suis est voluntas hominis libera, verū quamdiu hic viuuit nondum est in bonū confirmata, & idcirco mutabilis ac variabilis semper, non est à peccato aut à peccatorum periculis secura.

Ad id autē quod consequēter in argumēto assumitur, Deus quos voluit praeſtinauit, & quos voluit reprobauit, pro simplici suo beneplacito, absq; ratioe vlla, non propter vlla praeuisa opera aut bona in praeſtinato, aut mala in reprobo. Respondeo. Ex superioribus patet verū esse, Deum quos voluit praeſtinasse, & quos voluit reprobaſſe, non propter vlla praeuisa opera seu merita, sed falsum esse eundem pro simplici suo beneplacito absq; ratione vlla alios praeſtinasse, alios reprobaſſe, siquidē iuxta Pauli Apostoli doctrinā ad Roma. 9. Ipse Deus praeſtinando suā voluit declarare misericordiam, & reprobaſſe suā iustitiā. Cur autē ad declarationē suā misericordiae hos magis quā illos praeſtinauerit nō est inuestigandū, cum pen deat ex simplici eius voluntate, quae cum sit ratio & sapiētia immensa, fons omnis bonitatis atque iustitię, nō potest esse irrationabilis aut iniqua. Quēadmodū Deus creauit beatū Petrū propter semetipsum, cōmunicaturus illi bonitatē suā, qua fruere tur Petrus ipse, sed cur magis illum propter suā bonitatē creauit quā alium quē creare potuit, nō est querenda ratio, quēadmodum neq; ratio querenda, cur magis hunc mundū, quā alium creare voluerit, quia qualitercūq; mundū aliter fecisset, stultus homo praesumēs disputare cum Deo similes quaestiones facere posset. Cur sic & nō aliter Deus fecerit. Diximus autē de his latius in libro de prouidentia diuina. Ad ea quae consequēter in argumēto assumuntur ex doctrina Augustini in libro de correptione & gratia, alijsq; ex locis, considerandae sunt sex sententię, quas assumit argumentum.

Primā assumit de distinctione adiutorij in homine ante peccatū, & in homine post peccatū. Primo inquit homini datū fuisse adiutoriū, quo posset permanere, & nō permanere, si vellet, vt autē vellet in eius, inquit, arbitrio relictū esse. Nunc autē praeſtinatis datur adiutoriū nō solū, quo possunt permanere, & nō permanere si volūt, sed datur tale ac tantū, quo nō nisi volentes & permanētes existant.

Secundam sententiā assumit. Nunc post lapsum inter tot & tantas tentationes subuentum esse infirmitati voluntatis humanę, vt in declinabiliter, & inseparabiliter agatur à diuina gratia. Tertiā assumit. Praeſtinatorū ita certum esse numerum, vt nec eis addatur quicquā, nec minuatur ex eis. Ex his concludit argumentum, praeſtinatos nunc tale, ac tātum accepisse in hac vita adiutorium, vt à bona voluntate declinare non possint, nam si possent, nō staret praefata distinctio Augustini inter adiutorium, seu gratiam primi hominis ante lapsum, & adiutoriū Dei nunc datum electis, segregatis ex massa perditionis. Adijcitur quarta sententia confirmatoria ex testimonio Pauli ad Romanos, dicentis. Certus sum, quia neq; mors, neque vita, neq; aliud quicquā poterit nos separare à charitate, quę est in Christo Iesu. Quintā argumentū assumit. Perseuerare & nō perseuerare non esse in arbitrio voluntatis humanę per Augustinū in libro de bono perseueratię, seu de

seu de praeſtinatione sanctorum dicentē, Perseueratię suppliciter posse emereri, sed eam, cum data semel fuerit, non posse contumaciter amitti. Sextam assumit. Qui in accepta fide, aut in bona voluntate non perseuerat, donum perseuerantię non habet, & ideo non habet, quia non accepit, ideo autem nō accepit, quia Deus non dedit. Non peccat igitur quis non perseuerando in fide, cum donum perseuerantię non acceperit, quam Deo non dante habere non potuit.

Ad has sententijs secundum ordinē propositū respondentes ad primā dicimus, quod argumentū citat sententiā ex Augustino, quam ipse Augustinus nō sic dicit. Non enim habet Augustinus vsipiam, quod adiutoriū hominū primo datum fuerit adiutorium, quo posset permanere, & nō permanere si vellet. Nec item dicit, Gratia primo homini data erat, qua posset permanere, & non permanere in bona voluntate si vellet. Neq; tales item sententię ex doctrina Augustini ibidē cōcludi possunt, quia adiutoriū, seu gratia Adā data non erat illud quo non perseuerabat Adā, sed illud in quo nō perseuerabat, quia nō perseuerare in bono accepto de libero venit arbitrio, & nō ex Dei adiutorio. Et ideo ex doctrina August. sic dicendū erat. Gratia seu adiutoriū primo homini datū erat, in quo homo ipse permanere seu perseuerare, & nō perseuerare poterat, si vellet, & sine quo in bono perseuerare nō poterat, aut sic. Adiutoriū primo homini datū erat, quo homo poterat perseuerare in bona voluntate si vellet, quod & per liberū arbitriū deserere poterat si vellet, & sine quo in bono permanere non poterat etiam si vellet. Et tales sententię utiq; sequūtur ex doctrina August. tradētis ibidē substantialiter propositiōes tres. Quarū vna est. Adiutoriū gratię primo homini datū erat, sine quo permanere, aut perseuerare in bono, aut facere bonū nō poterat, & quo semel accepto perseuerare in illo adiutorio, & non perseuerare relictū erat in eius arbitrio. Quae propositio duas cōtinet particulas, vna quod Adam ante peccatū indigebat auxilio gratię, sine qua bene viuere, & in bona voluntate permanere nō poterat.

Et hanc ponit sub verbis istis. Nec ipsum primū hominē Deus voluit esse sine gratia, quem reliquit in eius arbitrio, quoniam liberū arbitriū ad malum sufficit, ad bonum autem parum est, nisi adiuetur ab omnipotente bono. Particulam secundam sic habet. Adiutorium hoc primo homini datum tale erat quod desereret cum vellet, & in quo permaneret si vellet, nō quo fieret, vt vellet, atq; in ipso, & in bona voluntate, in qua fecit eum ab initio rectum permaneret.

Secunda propositio. Sanctis nunc in regnum Dei praeſtinatis, non tantum ac tale adiutoriū perseuerantię datur, sine quo nō possunt perseuerare in bono, verum etiam, vt per hoc donum recipiant bonā voluntatem, quam perdidierant, & per ipsum non nisi perseuerantes sint. In praeſtinatis operatur quidē nunc Deus posse bene velle, posse nō peccare, posse perseuerare absq; peccato vsq; ad mortē.

Verū non solum tale adiutorium operatur, sed longē fortius, atq; potentius, quo facit vt homo ex auersa voluntate mutetur, & bene velit, ac perseueret: primum auferēs malam voluntatē, quae non nisi ab ipso misericorditer vocante auferri potest: deinde immittēs nouam voluntatē & cor nouū, per gratię spiritum, sine quo non poterat habere voluntatē, nec bonam, nec à peccato liberam: tertio multifariam adiuuās praeſtinatū, vt inter tot & tantos animæ hostes vim facientes bonā voluntati acceptā, repugnantesque legi mentis ita pugnet, ac vincat, vt finaliter à gratia nō deficiat. Et ad hoc valet exemplum, quod adfert Augustinus, de alimento quod est adiutorium, sine quo nō potest homo viuere, & quo potest bene viuere si velit. Verū si fit homo infirmus, vt alimentū naturæ suae necessariū nolit accipere, sed praue affectus, vel morbum suū non sentiens velit ea accipere, quae naturæ sunt noxia, seu mortifera, opus est adiutorio, quo sanetur, vt velit alimentum accipere, & vincere procliuatatem naturæ nitentem in contrarium.

De adiutorio gratię primo homini dato.

Similitudo de adiutorio gratię in Adā sumpta ex alimento.

Tertia

Tertia propositio. Si primo homini, vel angelo ante peccatū Adæ adiutoriū defuisset, id est, nō habuisset adiutoriū, sine quo nō poterat permanere in bona voluntate, vel in obediētia mādati accepti nō sua culpa cecidisset. Nūc autē quib⁹ vole adiutoriū deest, iā pœna peccati est, quib⁹ autē datur, secū dū gratiā datur, & tāto amplius ac fortius, vt nō solū adfit sine quo in bono esse, & permanere nō possum⁹ etiā si velimus, verū etiā tantū, ac tale sit, vt velimus, & nō nisi perseuerātes simus. Et per hoc patet solutio ad articulū secundū in argumēto citatū, quo dicitur nūc subuentū esse infirmitati humanæ voluntatis hominis prædestinati, vt in superabiliter, & indeclinabiliter agatur à diuina gratia. Nam hoc dicitur nō quod humana voluntas hominis prædestinati sit in bono cōfirmata, & immutabilis, seu indeclinabilis ad vitia, sed quod voluntas Dei intendens sua gratia sic iuuare electos, vt eant & fructū afferant, qui maneat, sit efficax, certus & immutabilis, & ab humana voluntate nō impedibilis, aut superabilis. Reprobato autē homini si desit tale adiutoriū nō sit iniustitia, quia nō Dei sed volūtatis humanæ est culpa, in qua reprobus homo vsq; ad mortē deseritur, & ita manifestum est Deo certissimū esse prædestinatorū hominū numerū. Quamuis autē ex prædestinatis nullus peccet, id est, in peccato perseueret vsq; ad mortē, quia Dominus, cuius firmū propositū stat, manēs immobile, nouit qui sunt eius, attamen quisq; prædestinatorū, quibus expedit incertā esse sui exitus conditionē, quantumuis fidat sese electum esse, sentit sese habere voluntatē mutabilem, ad malum pronam, & secundum hanc se posse ex se peccare, & in peccato vsque ad mortē perseuerare. Et ideo nondum securus timet sibi & trepidat ne finaliter in peccato moriatur, sollicitēq; in lege Dei ambulat, quemadmodū & Christus suos Apostolos prædestinatos admonuit, dicens, Vigilate & orate, estote parati, quia nescitis qua hora filius hominis venturus est. Atque ita fit vt cum prædestinatione diuina liberum saluetur arbitrium, sine quo homo vigilare, orare, & viuere in lege Domini non posset.

Ad sententiā tertio citatā cum assumitur. Prædestinatos nūc tale ac tantū accepisse adiutoriū, vt à bona voluntate declinare non possint: nam si deuiare possint, nō staret distinctio inter adiutoriū gratiæ primo homini datū, & adiutoriū gratiæ nunc datū prædestinatis, quod est cōtra Augu. resolutionē. Respondeo falsum est quod assumitur, prædestinatos tale ac tantū accipere adiutoriū vt à bona voluntate declinare nō possint, nam & Deus nō facit eos quā diu hic viuūt in bona voluntate immobiles, sed tam suauiter gubernat eos, vt voluntariē bene viuāt, habētes tamen in se quo decidere possint & procliuēs sint cōformare sese huic seculo.

Et dum cōtra hoc assumitur, tum sequi vt nō sit distinctio inter adiutoria primū status, & status lapsi. Respondeo id consequēs nō esse. Nam post Adæ peccatū voluntas humana iam vincēta peccati reatu auersāq; à creatore suo, adeo est infirmata, vitata, deorsumq; in terrena & corporalia incuruata atq; depressa, vt nisi Deus sua gratia vinculum illud peccati & inimicitia dirūperet, animamq; sanaret, quæ infirmitatē suā, de peccato venientē agnosceret atq; sentiret, bene velle nō posset, & iam bene volens inter tantas tentationes in bona hac voluntate perseuerare nō posset, nisi Deus quotidianis suis auxilijs bonā illā voluntatē custodiret, & virtutē pugnandi strēnuē atq; vincendi quotidianis suis auxilijs subministraret, quæ sanē omnia nō fuerūt in Adam ante peccatū, qui fuerat cōditus à Deo rectus & bonus, id est, sine vitio & peccato, in quo nullū adhuc erat bonæ volūtatis obstaculū, nullū intus habitabat malū, repugnās legi mentis, nullum foris bonæ volūtatis impedimentū, atq; ita in statu lapsi ita dirigitur humana voluntas, vt velit perseuerare & inter tot tantasque tentationes fortiter pugnare, in bono quod cœpit Deo suis auxilijs peculiariter quodammodo intus faciēte, vt homo liberē & spontaneē hæc velit & faciat. Mirabilis Deus, inquit propheta in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit

dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus. Omnia inquit Paul. possum in eo qui me confortat. Ad quartam sententiā citatā in argumento ex doctrina Pauli docentis, nihil ipsum posse separare à charitate, quæ est in Christo Iesu, Respōdet Bern. Nihil eorum quæ Apostolus enumerat potest animam nostram separare à charitate quia nemo potest perdere charitatē inuitus, vtiq; tamen ppria nostra voluntas, quæ in se vertibilis est & mutabilis, & in hac peregrinatione nondum in bono confirmata, potest nos separare. Apost. igitur cum illic multa recitauerit, quæ illum à charitate separare nō possunt, prætermisit voluntatem ppriam, quæ Deum deserendo & voluntariē peccando potest charitatem perdere, veruntamen sunt qui dicunt Apost. illic accepisse charitatē pro charitate increata, quā Deus habet erga suos electos, quæ scilicet ab æterno dilexit illos ad bonum gratiæ in presenti seculo, & ad vitam æternam in seculo futuro, & ab illa nihil potest eos separare, nepe hæc charitas est diuina prædestinatio, quā nihil etiā neq; ppria voluntas potest cassare aut impedire. Ad quintam sententiā in argumento tertio desumptam ex eiusdem Aug. doct. de dono perseuerantiæ, hominem scilicet posse suppliciter emereri ipsum, sed nō posse contumaciter amittere illud, cum semel fuerit datum, & ita hominem qui semel accepit perseuerantiæ donum amplius non posse peccare. Respōdeo sicuti & suprā dixi totum argumentum verum esse, accepto perseuerantiæ dono, quemadmodū ipsum accepit Aug. videlicet non pro perseuerantia tēporali, qua quis secundum tempus perseuerat in fide & charitate, sed de perseuerantia finali, qua quisq; electus perseuerat vsq; in finē huius vitæ, de qua dicit Christ. Qui perseuerauerit vsq; in finē, hic saluus erit. Hoc perseuerantiæ donū diebus ac noctibus postulat sancti in hac vita dicentes, Sanctificetur nomen tuum, & ne nos inducas in tentationē. Talis autē perseuerantia nō dicitur cuiq; data, nisi qui vsq; in finem pseuerauerit, atq; ita cum fuerit semel accepta vsq; ad mortē est perseueratum, quamobrē semel data contumaciter amitti non potest, quia iam post finem huius vitæ amplius cōtumacia esse non potest. Et hanc esse August. intentionem planē habes libro secundo de predesti. sanctorum. Ex his igitur liquidum est Aug. accepisse pseuerantiam, nō pro aliquo creato seu virtute infusa, quam homo in hac vita contumaciter non posset amittere, quia nulla talis, sicuti iam patuit, est inseparabilis faciens animam à bona voluntate immobilem, sed p permansione, qua quis pmanet in gratia seu charitate accepta vsq; ad mortem, quæ sanē pmanētio seu continuatio est quædā ipsius charitatis conditio seu circumstantia. Cæterū & hic sciendum, qd Aug. cum dicit talē perseuerantiā viā suppliciter posse emereri, nō intelligit quod eam quispiam ex condigno mereatur, quia talis perseuerantia depēdet solum ex motione diuina, quæ sanē motio cum sit gratiæ primæ, primum sub merito cadere non potest, quemadmodum neq; ipsa gratia prima, à qua est omne meritū. Cum igitur perseuerantia in gratia primum gratis accepta, non sit aliud quàm gratia ipsa vsq; in finē vitæ continuata, & à Deo conseruata, & conseruatio gratiæ non sit aliud quàm continua eius productio, consequens est eam nō posse sub merito cadere, atq; ita nemo potest mereri, vt in hac vita, & custodiatur in gratia accepta & adiuuetur à Deo, ne permittatur à gratia deficere aut cadere in mortale peccatum. Aug. igitur cum dicit talem perseuerantiam suppliciter posse emereri, intelligit de merito impetrationis, quod innititur liberalitati donantis quem rogamus, vnde & ea quæ non meremur plerumq; supplici oratione impetramus. Sic sancti in hac vita supplici, assidue, iugiq; oratione postulāt, vt in bono, quod inceperunt vsq; in finem perseuerent. Ad sextam sententiā ex argumento tertio citatā qua dicitur, qui in accepta fide aut charitate non perseuerat, donum perseuerantiæ non habet, & ideo non habet, quia non accepit, ideo autē non accepit quia Deus non

De dono perseuerantiæ quomodo non possit contumaciter amitti.

Quomodo prædestinatus indeclinabiliter & insuperabiliter agitur.

De peccō vsque ad mortem.

Distinctio inter adiutoria gratiæ status innocentie & status lapsi.

dedit, non peccat igitur declinans à fide & charitate. Respondet Aug. vt iam pa-
ruit in lib. de correptione & gratia. Si quis nunc post lapsum tale donum perse-
uerantiæ non acceperit iam pœna peccati est. Primus autem homo & angelus
ante lapsum quamuis non habuerunt donum perseuerantiæ tam potens & efficax
vt perseueraret, vtiq; tamē acceperunt adiutoriū, quo poterāt perseuerare, quod
& deserere poterant, qui si non habuissent tale adiutorium, quo in bona volun-
tate quam acceperant, perseuerare possent, vtiq; sine culpa sua cecidissent. Atque
ita factum est, vt neq; primus homo, neq; angelus habuerit perseuerantiā vīq; ad
assequutionē cœlestis præmij, quia non accepit. Ideo autē non accepit, quia acci-
pere noluit, quia Deum dantē adiutorium, quo sufficienter poterat perseuerare,
deseruit, & desertus est, vt deinceps tali careret adiutorio. Hæc igitur pro solu-
tionibus sex sententiarū, quæ in argumento. 3. fuerant adducta, quamuis sufficiat.
Pro maiori tamen intellectu doctrinæ Aug. in lib. de correptione & gratia cap.
vndecimo, distinguens inter adiutorium datum Adæ sub innocentia statu, &
adiutorium nunc datum prædestinatis sanctis, consideranda est diuersitas condi-
tionum humani generis, aliter sese habentis sub innocentia statu, aliter autē post
lapsum, quā sanē diuersitate demōstrat ibidem in principio cap. Adam inquit in
bonis erat, quæ bonitate sui cōditoris absq; vllis suis meritis acceperat, nullo pec-
cati aut dānationis vinculo reus, in loco beatitudinis cōstitutus, vbi sua secū pace
fruebatur, nulla rixa nec à seipso, nec ab altero aduersus semetipsum tentatus aut
turbatus, & idcirco tum non indiguit neq; sanguine, neque morte Christi pecca-
ta diluentis, aut à morte liberantis, neq; adiutorio gratiæ, vt recuperaret volun-
tatē bonā quam nōdum p̄diderat, neq; virtute pugnandi & vincēdi hostes, à qui-
bus nihil patiebatur inuitus, suffult⁹ adiutorio gratiæ qua poterat, & in bonis que
acceperat permanere seu perseuerare si voluisset, & ad iustitiā quandā atq; beati-
tudinē consummatam, quam nondum acceperat ascendere, bene merendo quē-
admodum angeli sancti, qui cadētibus alijs per liberū arbitriū, steterūt per idem
arbitrium liberum, vnde meruerunt recipere mercedē debitā tantā scilicet bea-
titudinis plenitudinē, qua illis certissimū sit semp se in illa esse māsuros. Sancti autē
in hac vita in malis sunt, quæ ex culpa primi parētis acceperūt sub vinculis pecca-
ti, ac dānationis nati in valle & exilio lachrymarū, deiecti, sibimetipsis graues
atq; cōtrarij, sentientes legem in membris repugnantem legi mentis suæ, cōcepti
in voluntate mala seu vitiata sub Dei ira, indigentes p̄inde & sanguine, & morte
Christi, qua gratiam talem ac tantam accipiāt, qua ex perditionis massa segregen-
tur, & iam segregati adhuc quotidiana pugna periclitati accipiant virtutē ac for-
titudinē pugnandi atq; vincēdi. Ex his igitur liquidū est q̄ primus homo cū ad-
huc cōstitut⁹ esset in statu innocētiæ, indigebat etiā adiutorio gratiæ ad assequen-
dā vitā æternā que est principalis ipsius gratiæ necessitatis. Verū quia vitā illa
lis erat in natura humana corruptio, qualis nūc est quæ pseuerandi difficultatem
præstat vt iam nō quecunq; homo velit faciat, ideo nūc homo infirmus vltra do-
nū habitualis gratiæ dirigētis in vitam æternā, indiget auxilijs quotidianis ad assi-
duā humanæ infirmitatis sustentationem. Proinde sancti nūc in hoc certamine
laborātes gratia indigent potētiorē, quāuis Adā sub innocētiæ statu gratiā habue-
rit letiorē, cū nullū adhuc esset bellū, nulla defatigatio animi pseuerantis in bona
volūtate, nulla infirmitas, nullū corruptibilis corporis grauemē, nullū vitium in
membris repugnās legi mentis. Vnde hac in re semper præ oculis habendum est,
alijs peccatis, quæ nunc post Adæ lapsum quisq; facit nō sic naturā humanā muta-
ri, quēadmodum illa primorū parentū præuaricatione mutata est, vt in hac vi-
ta iā sentiat assiduum, ac intestinum bellum, inter carnem, & spiritum. Ex his con-
sideratis, facile est videre differentiā inter hæc duo adiutoria. Nam adiutorium
sub in-

sub innocentia statu tale erat scilicet quo Adam non poterat, nec in bono pseue-
rare, nec habere iustitiam, qua meretur apprehēdere bonum, quod non dum ac-
ceperat, quo sanē adiutorio suffultus Adam ipse sic conditus in voluntate recta,
factum est, non vt semper vellet perseuerare, & semper bonus esse, sed vt posset
velle perseuerare, vt posset velle mandatum Dei custodire, vt posset magis obe-
dire Deo præcipienti q̄ serpenti suggerēti, & obediendo habere iustitiā quādam
bonæ opationis internæ, qua meretur tandē accipere iustitiā consummatā, ac in
mortalitatem. Adiutorium autem nunc sanctis prædestinatis præparatū tale, ac
tantum est, vt illo adiutus quisq; velit credere in Iesum, & largitate diuinæ misē-
ricordiæ ex massa perditionis segregari, obedireq; Deo patri attrahēti, & subijci-
enti sibi humanā voluntatē. Miser enim est nūc oīs homo absq; gratia Christi viē
salutis ignarus cōstitutus sub Dei ira, nihil in se habēs, quo valeat sese aut iustū fa-
cere, aut à reatu peccati, à vinculo dānationis, & mortis eximere. Proinde opus
est ei gratia Dei illuminantis, iustificantis, & reatū peccati dissoluentis, & faciētis
cor nouū & spiritū nouū, vt eat & fructū afferat, & donū pseuerantiæ accipiat, &
aduersus tot & tantas tentationes, quæ in paradiso nō fuerunt pseueret. Quapro-
pter hoc adiutoriū est, quo fit, vt homo fit fidelis, & bene velit, & pseueret, & sine
quo nec fidelis esse nec bene velle, & pseuerare potest. Illud adiutorium erat non
quo fiebat, vt Adam bene vellet, & ideo præcipienti obediret, sed sine quo bene
velle & perseuerare non poterat. Si autem hoc adiutoriū, sine quo nō potest quis
bene velle & perseuerare in voluntate bona, vel angelo, vel homini, cū primū fa-
cti sunt, defuisset, nō vtiq; sua culpa cecidissent. nunc autem quibus deest tale ad-
iutorium iam pœna peccati est, quibus autem datur, secundum gratiam datur.
Hic iam si roges quale sit adiutoriū vel gratia, qua indigent nunc prædestinati, vt
in bono cepto valeant perseuerare, adiutoriū enim hoc, aut est fides, aut chari-
tas, aut pseuerantia quædā habitualis, secundū quā voluntas vult perseuerare, aut
alia quæuis virtus per spiritum sanctū diffusa in corde nostro, sed talē virtutē as-
sequitur prædestinatus, cum iustificatur, tum enim accipit fidem, sp̄, charitatem,
ceterasq; virtutes, quibus opus est vt bene viuat. Respondeo adiutorium tale
vltra gratiam habitualem necessarium homini prædestinato ad perseuerandū in
bono cepto, non est aliqua res creata, neq; virtus acquisita aut infusa, quia nulla
talis facit hominē in hac peregrinatione ad peccandū indeclinabilē, aut à bona
vita immutabilē aut immobiliter adherere Deo, hæc enim sunt que solū in futu-
ra vita expectamus, vbi gratia erit cōsummata seu perfecta per lumen gloriæ con-
iungēs animā Deo, fini suo beatifico clarē viſo. sed adiutorium tale est ipse Chri-
stus, q̄ vnā cū patre & spiritu sancto iustificans prædestinatos, incipit habitare in
cordibus eorū, secundū temporū opportunitates varios erga illos operatur affe-
ctus, nunc salutare inspirationes & affectiones, nunc hominū admonitiones, nūc
vtilē metū, timorem, aut terrorem diuini iudicij ingerens, nunc aduersitatem &
tentationes apponēs in conseruationē humiliationis, & ad impediendū superbie
motus, nūc blāda ceteraq; id genus alia, p̄uidens singulis prædestinatis secundū
vniuscuiusq; qualitātē, conditionē, & tentationē superuenientē, qui sanē nisi sic
adiuarentur inter tot & tantas huius mūdi turbines p̄priaq; carnis blādimenta
pulsantis ad illicita, in ipsa infirmitate succūberent, pondere corruptibilis cor-
poris in terrena depressi, istius vitæ cursu lassī, seculiq; huius amfractu grauiter fa-
tigati deficerent. Atq; ita fit, vt Deus sit ipsis prædestinatis turris fortitudinis à fa-
cie inimicorū, dū inter medios hostiū cuneos, tā intus q̄ foris auocātes à bono in-
cepto, animas multis modis adiuuat, vt ex fide & charitate ceterisq; virtutibus
semel acceptis rectē viuant, quibus etsi ad tempus à veritate deuiant, fert opē vt
resurgant & rursus accipiant dona quæ perdidērunt, in quibus & perseuerent &

Declaratur di-
stinctio inter ad-
iutoria gratiæ
primo homini
data, & eius
gratiæ que nūc
datur electis.

Diuerſitas inter
statum hominis
ante lapsum, &
statum eius post
lapsum.

Adiutorium per-
seuerantiæ præ-
destinatis datur,
quid sit.

Donū incremēti
faciens electos
perseuerare est
Christus.

solicite ambulent cum Domino Deo, ut vigilent, orent, assidueque; postulent dare sibi pugnandi, vincendi; virtutem. Hoc est quod dicit scriptura. Spiritus adiuvat infirmitate nostra. Spiritus postulat pro nobis. id est postulare nos facit, ipse facit cum tentatione prouentum seu exitum, ut non vincamur in tentatione. Dominus illuminatio mea, & salus mea, Dominus protector vite mee, fortitudo mea & laus mea Dominus. Pro hoc adiutorio oramus quotidie dicentes, ne nos inducas in tentationem, quod & orabat sanctus Iob. Pone me Domine iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me. Donum ergo seu adiutorium nunc datum predestinatis, est ipse Christus, predestinans de perditionis massa sanctificans, & assidue inter tot & tantas tentationes imbecillitates nostras adiuuas per fidem, spem, charitatem, per salutes inspirationes, timores, affectiones, & id genus alia quotidiana auxilia. Ipse autem Christus & spiritus sanctus sic per fidem, spem, & charitatem inhabitans quauis voluntatem hominis ex se inualidam atque infirmam faciat efficaciter velle in declinabiliter ac inseparabiliter agi, hanc tamen facit liberum atque spontaneum velle & operari, neque firmat nunc eam in bonum, neque adimit illi potestatem cessandi ab opere, aut declinandi ad vitia, & idcirco per eam diuinitus adiutus homo sibi facit meritum, cum per illam potest facere mala, & non facit, quemadmodum in laudem viri iusti dicitur. Potuit transgredi, & non est transgressus. Neque tamen haec dicimus quasi merendi status exigat, ut is qui meretur posset peccare & ad vitia declinare, nepe contrarium patuit in Christo Domino qui meruit, & confirmatus gratia peccare non potuit. Haec tamen pro solutionibus difficultatum in tertio argumento contra liberum arbitrium allatarum ex defensione predestinationis diuinae dicta sufficiant. Iam pergamus ad ea quae in tertio argumento contrapposito pro defensione liberi arbitrii ita adferuntur, ut tolli videatur diuina predestinatio ac gratia. Et consistit argumentum illud tertium pro defensione liberi arbitrii, praesertim in quinque sententijs. Prima, Voluntas diuina in predestinando istos, aut reprobando alios non potest esse irrationalis, ergo habet rationem propter quam predestinat illos, alios reprobat, & haec rationes videntur opera praeuisa bona vel mala futura a liberis hominum voluntatibus, quemadmodum inquit Bonau. Deus vult iustificare istum, & dare gratiam propter bonum usum gratiae praeuisum. Vnde Henricus Gandauensis. Bonus usus liberi inquit arbitrii, quauis sit a gratia simul & a libero arbitrio, est tamen a libero arbitrio, aliquo modo secundum quem non est a gratia, quia liberum arbitrium cooperatur gratiae utiturque; illa, & secundum hunc modum quo est liberi arbitrii & non gratiae, potest esse causa predestinationis. Vnde rationabilissima & sapientissima videtur esse diuina voluntas, si det gratiam ei quem nouit bene usurum illa, & non det illam ei quem nouit abusurum ea. Cum igitur voluntas diuina sit rationabilissima, consequi videtur Deum velle gratiam dare ei quem nouit bene usurum, ei autem non dare quem nouit abusurum illa. Secunda sententia est, Si absque ratione ex simplici beneplacito diuinae voluntatis, alij sunt reprobati secundum quod placuit creatori, ergo Christus non est pro illis mortuus, & ita Christus non erit redemptor omnium hominum, neque passio eius aut mors videbitur fuisse sufficiens pro toto genere humano. Hoc autem falsum est & contra Apostolum dicentem. Dedit semetipsum redemptionem pro omnibus, vnde non omnes salui fiant, non est ex insufficientia passionis Christi, sed ex defectu hominum aut nolentium credere, aut contententium Christum & Euangelium eius. Atque ita videtur liberum esse arbitrium, quo potest homo saluus fieri si velit credere in Iesum & invocare nomen Domini, petere, orare, & in oratione perseuerare, quemadmodum & passim per omnem locum sacra docet scriptura. Tertia sententia in eodem argumento est ex testimonijs sanctorum patrum, Chrysostomi, Ambrosii, & Augustini definitientium quod Deus in illo tempore, & in illo loco, & apud illas gentes voluit

Euangelij

Euangelium Christi predicari, ubi sciebat & quando, & apud quos sciebat futuros esse, qui in Christum essent credituri. Quos autem sciebat fore renitentes, apud ipsos suum Euangelium predicari noluit. Ex quibus videtur sequi obedientiam & credulitatem aut incredulitatem hominum praeuisam a liberis hominum voluntatibus esse rationem predestinationis aut reprobationis diuinae. Et ita consequens esse videtur opus solius humanae voluntatis praeuisum esse primam gratiae causam, rationem, seu meritum quoddam, sicuti docuit Pelagius ipse. Quarta sententia in eodem tertio argumento pro defensione liberi arbitrii adducta est, bonus usus gratiae est a libero arbitrio, in cuius potestate est uti & non uti adiutorio gratiae, videtur igitur alia actio esse secundum quam agit liberum arbitrium, & alia secundum quam agit Deus, & actionem liberi arbitrii praeuisam esse rationem seu causam, cuius intuitu Deus homines ad primam gratiam predestinauerit, liberumque arbitrium posse rursus & ab illa gratia deficere, & perseuerantiam in gratia accepta contumaciter amittere.

Quinta sententia in eodem tertio argumento pro defensione liberi arbitrii est. Quauis impius aut lapsus in mortale peccatum non possit seipsum iustum facere, aut sibi ipsi peccata remittere, aut per seipsum redire ad Deum, Credere tamen Euangelio predicato, diligere, stare & perseuerare in fide & charitate semel accepta, & bene viuere, sunt opera liberi arbitrii nostri, quia nemo credit nisi volens, Corde inquit Apostolus, creditur ad iustitiam, nemo diligit, nemoque recte viuere aut perseuerat, nisi volens. Secundum scripturas sacras, facere fructus bonos & facere arborem bonam, sunt humanae voluntatis opera. Haec sunt quibus procul dubio demonstratur in hominibus esse liberum arbitrium. Verum quia haec ipsa in defensione liberi arbitrii possunt assumi, & detorqueri secundum prauum quendam intellectum, ut tendat in iniuriam gratiae voluntatis, & predestinationis diuinae, opus est demonstrare quoniam pacto huiusmodi sententiae sint accipiendae, ut ostendatur efficacia predestinationis & voluntatis diuinae per liberum hominis arbitrium non impedisse. Et quauis ad omnes sententias supradictas sufficiens pateat declaratio ex superioribus, nihilominus tamen propter minus exercitatos, in specie ad singulas respondendum.

Ad primam igitur sententiam, qua dicitur, Diuina voluntas predestinando ac reprobando est rationalis, ex qua consequens esse videtur, quod Deus predestinando vnum & reprobando alterum habeat rationem, seu considerationem ad aliquod liberum arbitrii opus, propter quod predestinauerit vnum, & non alterum, & hoc non videtur esse aliud, quam opus aliquod a libero vni arbitrio futurum. Respondeo, esse quidem rationem etiam totius effectus predestinationis diuinae, sed hanc non esse opus vllum liberi arbitrii in predestinato, quia omne opus in predestinato ipsum ordinans in vitam aeternam, est particularis quidam diuinae predestinationis effectus, etiam ipsa praeparatio ad gratiam primam, quia praeparatur voluntas a Domino, iuxta illud. Postquam conuertisti me egi poenitentiam. Intellectus autem sententiae huius qua dicitur. Voluntas Dei semper est rationalis, satis est manifestus ex capite tertio primae partis istius libri, & id quidem in responsione ad argumentum quartum, & ex his quae dicta sunt in libro de diuina prouidentia. Ex illis enim manifestum est erroneam esse sententiam eorum, qui dixerunt omnia fieri a Deo secundum simplicem voluntatem nudamque; beneplacitum eius, sic ut nullius rei oporteat reddere rationem, cur sit aut fiat, nisi quia Deus vult, quae sane sententia contrariatur scripturis sacris attestantibus Deum omnia in sapientia fecisse, & effudisse sapientiam suam supra omnia opera sua, passim per omnem locum scriptura sacra comonstrat Deum facere multa ex causis & rationibus, & alia quidem erga humana genus operari, nunc propter bona aut mala hominum merita, nunc non propter vlla hominum opera, sed propter suam bonitatem & gloriam nominis sui sicuti cecitatem operatur est in caeco nato, Io. 9. propter scelus autem populi sui percussit filium suum vnigeni

iij tum qui

tum, qui vulneratus est ppter iniquitates nostras, sic & in scripturis legitur Deus reddere in futuro seculo mercedem eis, qui in hac vita legitime certauerunt. Gratiam autē & iustificationem, qua quisq; ex impio iustus fiat legitur facere nō propter opera nostra, sed ppter suam misericordiā per redemptionem in sanguine Christi, quē admodū, inquit in scriptura. Ego sum qui deleo iniquitates nō propter vos ego faciā, sed ppter nomē meū magnū dicit Dominus. Ipse est, quemadmodum ait scriptura, qui castigauit nos ppter iniquitates nostras, & ipse saluabit nos propter misericordiā suā. Tobia. 13. Propter nomen tu Domine, inquit propheta propitiaberis peccato meo, multum est enim. Item, Ego doleo iniquitates propter memetipsum dicit Dominus, quemadmodum & sanctus orat. Propitius esto peccatis nostris propter nomē sanctū tuū, & ppter gloriā nominis tui libera nos. Itē, Non ex opibus iustitiā, quā fecimus nos, inquit Paul. sed secundū misericordiā suā saluos nos fecit, quibus scripturis significatur Deus remittere peccata, & saluos, ac iustos nos facere, non ppter merita, aut opera bona à libero nostro arbitrio, sed propter suā bonitatē, & gloriā nominis sui. Diuina bonitas cum sit finis oīum rerum, est causa, & ratio volendi omnia, quæ sunt diuersa ab ipso, quemadmodū ait scriptura, Omnia propter semetipsum operatus est Dominus. Verūm quia inter hæc oīa creata, vnum est alterius causa, aut finalis, aut efficiens, seu meritoria, idcirco in illa, vnum est ratio propter quā Deus vult esse aliud. Ratio autem quare in vniuerso Deus vult esse rationem seu causam alterius est bonitas totius vniuersi. Hoc enim congruit ad decorem, pulchritudinem, & ornatū vniuersi, quod in illo omnia sunt ordinata ordine quodam, & operata & operantia. Ratio verò propter quam Deus vult esse hanc bonitatē & pulchritudinem totius vniuersi, non est quarenda extra Deum vlla, sed est ipsa diuina bonitas, quæ sicut iam diximus, omnia propter semetipsam est operata, propter seipsam in quā, non quasi propter suam vtilitatem, sed propter suam bonitatem creaturis cōmunicandam. Postremum, ratio quare plenitudinem, ordinemq; totius vniuersi, Deus sic velit propter semetipsum nulla est quarenda alia, quā sua diuina volūtas, quæ est ipsa bonitas, sua sapientia, suaq; actio & volitio. Sic & Deus in effectibus diuinæ prædestinationis vult vnū esse alterius causam, aut rationē, aut meritū, quemadmodū iuxta Apostolicā doctrinā. Deus voluit causam remissionis peccatorum, & iustificationis impij, aut segregationis, qua segregatur quisq; credere volens ex massa perditionis, esse meritū Christi mediatoris, ac redemptoris, liberumq; arbitriū illius gratia tractū ac ductū esse causam efficientē bonorū operum, bonaque opera hominis iā iustificati esse causam præmij meritorij in futuro seculo. Atq; ita voluit in effectibus diuinæ prædestinationis esse ordinem, volens iustificationem gratiaq; infusionem habere meritum non liberi arbitrij eius qui iustificatur, sed Christi, cuius passione, & morte quisque credens gratiam assequeretur & remissionē peccatorū. Eius verò quod est credēs assequi gratiā, & remissionē peccatorū ppter Christi meritū, nulla est ratio querēda extra diuinā bonitatem, quæ secundū beneplacitū bonitatis dignatus est talem redemptorē humani generis præparare in laudē gloriæ gratiæ suæ. Hæc est Pauli doctrina passim per oīm locū, & præsertim in cap. 1. epistolæ ad Ephesios, vbi patet Deū benedixisse nos id est gratiam, & salutem dedisse nobis in Christo, id est, per Christum, & nos in adoptionem filiorū prædestinatos per Iesum Christū, & hoc secundū ppositū voluntatis suæ. & ne hoc propositū, quo nos voluit facere adoptionis filios per Christi meritū putaretur esse irrationabile, adiecit in laudē gloriæ gratiæ suæ. Vnde & ibidem sacramentum hoc redēptionis humani generis appellat sacramētum voluntatis suæ secundū beneplacitum suum, quod vniciq; credenti in remissionē peccatorum proficit secundum diuitias gratiæ eius. Atq; ita fit, vt voluntas diuina, siue

na, siue operetur per liberū hominis arbitriū, sicuti in prædestinatis, siue permitat illū peccare, & gratiā liberationis neget auxilium, sicuti in reprobatis semper sit rationabilis, id est, ex ratione qua ipse vult vnū esse alterius causam finalē, aut meritoriam, quanq̄ nequaquā sit ex ratione seu causa quasi diuinæ voluntati aliquid sit causa volendi. Actus namq; Dei volentis est vnicus, fixus, immobilis, & sempiternus, quo vult atque amat ex necessitate seipsum, quo & libere, & nō ex necessitate vult quicquid est aliud à se, cū nihil aliud sit necessariū diuinæ bonitati, quippe quæ sibi sufficiētissima, non indiget vllō bono creato. Est quidem ratio quamobre Deus in humano genere quosdā eligit, alios verò reprobatur, vt videlicet in reb⁹ creatis representetur diuina misericordia, simul & iustitia, quā rationem assignauit & Paulus Apost. ad Rom. 9. docens, q̄ Deus volens ostendere irā suam. i. iustitiā vindictæ suæ & notā facere potentiam suā in puniendis peccatis in multa patientia tolerauerit vasa apta in interitum, id est, homines reprobos habentes in se vilitatē, qua digni sunt morte nō statim, sed tēpore opportuno, inferēs vltionē, vt ostenderet diuitias gloriæ gratiæ suæ in vasa misericordiae, ex qua sanē doctrina Apost. liquidū est, Deū ex massa humani generis alios eligerre, alios reijcere ad manifestandū iustitiā suā simul & misericordiā. Sed q̄ hi potius q̄ illi sint ex massa perditionis prædestinati, nō habet rationē, nisi simplicem voluntatē diuinam, dicente eodem Apostolo ibidem. An non habet potestatem figulus lutū ex eadem massa facere, aliud vas in honorem, aliud in cōtumeliam? secundum hunc quoq; sensum accipi potest quod illic dicitur, Deus cuius vult miseretur, & quem vult indurat, hoc est, cui vult gratiā præstat, & cui vult non præstat, sed & hæc sua voluntas cū sit ipsa sapientia, & fons omnis æquitatis est in se rationabilissima. De sententia autem Bonauenturæ dicentis Deum velle huic dare gratiā propter bonū vsū gratiæ prauisum, iā supra dictū est in propositione quarta capituli tertij primæ partis huius libri, vbi patuit nō solā gratiā, sed & bonū liberi arbitrij vsū & etiam modum quo vsus ille est à nobis, cum sit ex numero eorum, quibus ordinamur in salutem æternam, esse ex suasionē seu tractu Dei facientis liberum hominis arbitriū sic bene operari. Atq; ita bonus vsus, quatenus est à libero arbitrio vtente gratia, est quidam diuinæ prædestinationis effectus, quemadmodum & ipsius gratiæ conseruatio. Et cū vltra in argumēto assumitur, voluntatem Dei rationabiliter gratiā dare bene vsuro, & nō dare ei quem nouit abuserū illa. Respondeo secundā partē illius assumpti si vniuersaliter intelligatur esse falsam, q̄ scilicet Deus nunq̄ det gratiam ei, quem nouit abuserum illa. Si autem particulariter intelligatur, vt scilicet intelligatur q̄ Deus quādoq; det, & quandoq; nō det gratiam male vsuro, verus est sensus, & ex scripturis sacris manifestus, quibus patet multos à fide & charitate semel accepta deficere, retrorsumque abire. Sicut autem voluntas diuina, qua vult interdum non dare gratiam ei, quem nouit abuserum illa, est rationabilissima: ita & rationabilissima est voluntas, qua interdum vult dare gratiam alteri, quem nouit abuserum illa, quia Deus omnia facit ad manifestationem bonitatis suæ aut iustitiæ, aut misericordiae. Vniuersa viæ Domini, inquit propheta, misericordia & veritas.

Ad sententiam secundo in argumento assumptam, qua dicitur, Quosdam ex simplici beneplacito diuinæ voluntatis esse reprobatos, secundum quod placuit creatori. Respondeo sententiam illam sic dictam non salubriter, sed durè esse pronuntiatam, ex qua facile quisque falli posset, dum ex illa putaret consequens esse, Deum creatorem humanum genus instituentē, pro suo beneplacito quosdam homines à sese reieicisse, quod sanē falsissimum, ipse enim mortem non fecit, sed creauit, vt essent omnia, ipse non reijceret vllam creaturam rationalem si talis, qualis ab illo condita est, permaneret. Hoīum verò genus in bono quod à

Falsum est quod Deus non det gratiam ei quem nouit male usurum illa.

Rationabilissima est Dei voluntas, qua interdum vult dare ei gratiam quoniam nouit abuserum ea.

creatore

creatore acceperat nō permāsit, derelinquens Dominū Deū creatorē suū, & idcirco iā Deus si quosdā in peccato cōmissō deserat & puniat, debita est iustitia, alios verō si tā misericorditer iuuet, vt per Christi meritū remissionē peccatorum vitāq; eternā assequantur, gratia est, & nō ex debito beneficiū, sed cum neutris est iniquitas aut iniustitia. Et cū vltra ex sentētia illa cōcluditur: De⁹ si quosdā sic in peccato deserit, quos & ab eterno reprobauerit, nolēs ita iuare illos vt participes herēt fructuū passiōis & meritorū Christi, cōsequēs videtur esse, q̄ Christ⁹ nō sit redēptor oīm hominū. Respōdeo hoc vtiq; verū esse, habita cōsideratione, aut ad negligētiās humanę voluntatis Christi negligētis vel cōtemnentis, aut ad efficacīā diuinę voluntatis, quę nō oēs hoīes ita trahit, qualiter aptum nouit, vt credāt in Christum & obediāt, habita verō cōsideratione ad valorē & sufficiētiā meritorū & passiōis Christi, ipse vtiq; est sufficiēs redēptor oīm hoīum, quia valor pretij pro humano genere impēsī est immensus, atq; ita sufficiens exolutio p oībus hominibus redimēdis quotquot receperunt illū. Quōd aut alij nō recipiunt illum neq; pretium illud acceptāt, partim est ex negligētia aut rebellione voluntatis hęc gratiā repellētis, partim ex iudicio Dei volentis hoc pacto iustitiā suā in reprobis simul & misericordiā suā erga electos manifestare. Quod autē Apost. dicit Christū dedisse semetipsum redēptionem p oībus, illud habita cōsideratione ad rationalē voluntatē Christi cōformantis voluntatē suā voluntati patris sui, intelligitur per omnibus qui tractu patris renascuntur ex ipso, aut credere voluerūt, & saluari per ipsum, p quibus solis & orauit dicēs, Ego inquit rogo nō p mundo, sed pro his quos dedisti mihi, nō pro eis aut tantū rogo, sed & p eis qui credituri sunt per verbū eorū in me, Ioan. 17. Postremū quod in sentētia secunda cōcluditur, liberū arbitriū esse, quo potest homo saluus fieri, si velit credere in Iesum, si velit inuocare nomē Domini, & in oratiōe perseuerare, vtiq; verissimē dicitur. Sed vt homo sic velit credere, inuocare & orare, nō emergit ex solis ingenitis liberi arbitrij virib⁹, sed De⁹ tractu suo cōlesti misericorditer operatur. Et hęc sunt in quibus Pelagius deceptus est, putās liberū arbitriū ex se solo posse facere opera bona, quę Deus in scripturis sacris à libero exigit arbitrio, de qua re Aug. doctrinā habes li. 1. retractationū, ca. 10. Deinde & hęc eadē sunt, in quibus Lutherus fallitur, docēs liberum arbitrium nihil esse, nihil agere, sed habere sese merē passiūē in omni opere bono, hac ratione motus, q̄ Deus operatur in homine bene velle, & operari p bona voluntate, nō aduertēs Deū hęc operari in nobis, dū sua gratia facit nos operari illa voluntate nostra, quęadmodum & apertē eodē loco cōmonstrauit Apost. ad Philip. 2. cū dixisset. Cum timore & tremore vestra ipso salutē operamini, per eā cōtinuō subiunxit. Deus enim est, qui operatur in vobis velle, & operari p bona voluntate. Quare ergo cum timore & tremore? & nō potius cum securitate, si De⁹ operatur? nisi quia voluntas nostra, sine qua bene nō possumus operari, citō potest deficere, vt quod bene operatur suum tantummodo esse existimetur, & in se gloriatur, tanq̄ nō acceperit. Habes super hac re doctrinā Aug. li. 1. retract. ca. 24. & in lib. eiusdē de natura, ca. 27.

Ad sententiā tertiā in argumento recitatam ex testimonijs Chryf. Ambros. & Aug. patet responsio ex supradictis in solutione tertij argumenti. 3. ca. primę partis libri huius, de qua sentētia habes & censurā Aug. ca. 9. libri primi, de prædest. sanct. Intellectus sententię quartę, patet ex his quę dicta sunt in respōsione ad sententiā primā, & in ca. 3. primę partis huius libri in propositione quarta, vbi dictum est, q̄ liberum arbit. nō vtitur gratia. i. gratuita motiōe diuina, perinde atq; scriptor calamo, quia nō liberum arbitriū seipsum, sed Deus gratuita sua motiōe preueniente mouet liberū arbitriū ad actū quendā primum, quē incipit habere subito, absq; sui deliberatione & cōsilio. Ceterum in potestate liberi arbitrij, est qui-

est quidem vti & non vti habitibus, seu infusis donis gratuitis, vtpote fide, charitate, ceterisq; virtutib⁹, si voluntas his vti velit, sed vt volūtas his velit vti, operatur Deus preueniente gratuita sua motiōe, immittēs menti absq; eius cōsilio & deliberatione, præuiū quendā cogitatū, aut motū ad bonū, quo voluntas reducitur, aut ex otio in actū, aut ex vana seu inutili cogitatione in voluntatē salutarē, qua sese ex ratione & ex virtute accepta applicet ac moueat ad operandū. Atq; ita nō solum infusio gratiæ qua iustificatur homo, sed & etiā vsus acceptę gratiæ est gratuitū beneficiū Dei operātis, etiā ipsum eundē gratię vsus: quęadmodum & actio causę naturalis per formā naturalem operantis, nō potest esse absq; Deo operante, cuius operatione cessante, neq; ignis combureret stuppā, sicuti patuit in fornace Chaldeorum, vbi ignis etiam sufficiēter cōbustibili applicatus ledere non potuit Daniele. Sic & actio hominis per gratiā, fidem, charitatē, ceterasq; virtutes infusas operantis absq; Deo operante esse non potest. Quibus patet Deū operari omnia in omnibus, quemadmodum inquit Isaias cap. 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. Quāuis autē ipse vsus gratiæ sit à Deo, non tamen inde consequens est habitum gratiæ superfluum esse, quemadmodū neq; superflua sunt naturales potentia, tametsi Deus operetur omnium naturalium potentiarum opera. Ipse nempe disponens omnia suauiter, facit vt res creatæ inclinatione quadam, & quasi sua sponte per suas formas tendant in id, ad quod ordinantur ab ipso. Hic iam si dixeris, Ex his videtur consequens, naturales potentias, earumq; opera, esse Dei opera, Dei dona gratuita, perinde atq; opera gratiæ, cū Deus operetur omnia. Respondeo id non sequi: nam talenta naturę quamuis sint Dei opera, & non ex meritis homini debita, vti que tamē sunt debita conditioni naturę, & ideo non appellantur nomine gratiæ per Christū humano generi impeniē, quę excludit omne debitum, tam ex meritis, quā ex conditione naturę tribuēdum, quibus fit vt appellatione gratiæ, de qua impresentiarum loquimur, non veniant, neque creatio naturę, neque productio partium, aut proprietatum, seu naturalium potētiarum ad integritatē naturę pertinentium, neq; conseruatio naturalis esse, neq; opera itē quę Deus per solas huiuscemodi naturales potentias operatur. Impij aut iustificatio, est productio gratiæ, qua fit homo acceptus Deo ad vitā eternā. Eiusdē gratiæ cōseruatio, præsertim inter tot & tātas huius vitę tētationes, & operatio itē secundū eandē gratiā, & in summa quęcunq; secundū eandē gratiā Deus per liberū agit arbitriū, non sunt debita conditioni naturalis esse. Per gratiam etenim exaltatur & dignificatur rationalis creatura ad bonum, longē superans naturę condiciones, dum conseruatur in templum Dei, adoptatur in filium Christo coharedem, assumitur in sponsam vnico Dei filio sponso, cuius castissimis perpetuisq; fruatur amplexibus. Quemadmodum autē hęc gratia est gratuitum Dei beneficium. Ita & gratuitum est beneficium eiusdē gratiæ cōseruatio. Vnde Deus etiā iuste faceret, si gratiā hęc dignificantē subtraheret homini etiā neq; peccanti, neq; meriti opere suo malo illam perdere, relinquēs illū solis talentis cōditioni naturę debitis, quemadmodum & probabilis est quorundā sententia, dicentū primum hoīem ab initio quidē conditū esse rectū, id est absq; vitio, iustitia originali præditū, sed eundem per parua quandā temporis morā extitisse sine gratia, cū ad vitā eternā gratificante, vt ad hanc accipiēdam sese Dei motiōe ac suasiōe adiutus præpararet. Quamobrē & carere hac gratia non est culpa, sed gratiā talem cōtemnere, aut negligere, aut rejicere, aut ad eā secundum Dei voluntatē sese nō præparare, aut sese inidoneū, aut ineptū seu indignū ad eā accipiēdam facere aut fecisse, culpam habet. Intellectus sententię quintę ex supradictis est manifestus. Nam bona opera, sunt quidem liberi arbitrij opera, sed non facta absq; Dei gratia.

Ex

Quōd Christus se dedit redēptorem pro omnibus.

Cōseruatio gratiæ acceptę, est gratuitum beneficium nō minus quā eiusdē gratiæ cōseruatio.

Ex scripturis sacris liquida est irrefragabilis doctrina Aug. dicētis in li. de perfectione iustitiæ. Orat homo vt præcepta Dei faciat, quæ vt fierēt Deus nō iuberet, si nihil ibi nostra voluntas ageret, nec oraretur De⁹ vt adiuuaret, si voluntas hominis sola sufficeret. Adiuutor meus esto, inquit propheta. Non adiuuatur autē nisi qui & ipse aliquid etiam operatur. Ex quibus manifestum est, q̄ absurda & cōtra veritatē Christianæ religionis sit Lutheri sententia, dicentis liberū arbitriū nihil agere, sed habere sese solum vt subiectum patiens, & recipiens opera bona. Hactenus quæ pro interitu eorum quæ in tertio argumento principali vtrinq; tam pro gratia, & prædestinatione diuina, q̄ pro libero arbitrio adducuntur dicta sufficiat. Iam ad sequens argumentum accedamus. Quartū & vltimum argumentū assumit media, quibus prædestinatio reprobatioq; diuina ita defenduntur, vt quispiā inde falli posset, putans ex hoc sublatum esse liberū hominis arbitriū, & consistit argumentum in quatuor præsertim sententijs. Primū Deus excæcat, indurat, aggrauat corda hominū, sicuti in scripturis legitur. Corda autē sic excæcata & indurata, nō possunt dare sibi, neq; visum internū, neq; lumen spirituale, quo valeant credere, viamq; salutis & veritatis cognoscere, qua vadant in vitā æternā, neq; aures quibus ita audiāt verba salutis æternæ, vt obediāt: videtur igitur in illis sublatum esse liberū hominis arbitriū. Secunda sententia ex doctrina Aug. citatur, dicētis iustē damnari etiā eos, qui neq; fidē Christi habere, neq; baptizari potuerunt, nō habētes à quo discerent. Tertia sententiā sumitur ex doctrina Pauli ad Ro. docentis omnē hominē absq; Christo esse seruū peccati, & neminē posse sese ab hac seruitute eximere, nisi gratis vocetur, gratisq; iustificetur, & dona hæc dari hominibus absq; gemitu eorū & planctu. Quarta sententiā ex doctrina eiusdē Pauli, ibidē tribuētis soli voluntati diuinæ tā indurationē ac odiū, q̄ prædestinationem, Cuius vult, inquit, miseretur, & quem vult indurat. Argumentum quartum pro defensione liberi arbitrij supradictō quarto argumento cōtrapositū, assumit vnā præcipuē sententiā, hoīem videlicet excæcare, & indurare semetipsum, eumq; sibi claudere oculos, suaq; sponte auertere sese à Domino Deo suo, qui hominem dimissum in libero suo arbitrio permittit auertere sese, & abire à lege iustitiæ, atq; ita excæcatio, induratio, aggrauatio, si non Deū, sed liberi arbitrij sint opera, videtur per huiusmodi excæcationem non esse sublata potestas liberi arbitrij, q̄ sicuti sibi claudit oculos, aut auertit se à Deo vera luce: ita & rursus potest sibi oculos aperire & conuertere ad Dominum Deū suum. Hæc sunt quibus proculdubio nunc vna ex parte gratia, prædestinatioq; diuina, & in excæcandis reprobandisq; & illuminandis hominibus, efficacia diuinæ voluntatis cōmonstratur, nūc verō altera ex parte liberum arbitrium defenditur. Sed quia ex his possent aduersarij hæretici putare, aut sublatum prorū atq; extinctum, & de humano genere perijisse, aut nunquā fuisse liberum arbitrium, vel ipsum ita statuentum esse, tanquam vim mediam, quæ æqualem habeat potestātē, tam ad aperiendum sibi oculos, & ad recipiendum lumen salutis æternæ; q̄ ad claudendum eos, & excæcandum, opus est huiusmodi sententias assumptas declarare, & cōmonstrare cum eisdem simul stare vim liberi arbitrij, & prædestinationē æternam seu voluntatis diuinæ efficaciam. Quamuis autem ex his quæ suprā attulimus pateat supradictarū sententiarū intellectus, quia tamē salutaria sunt quæ de his rebus p scripturarū intellectu tractantur, nō erit inutile varijs etiā modis eadē repetere.

Ad primā igitur sententiā simul & ad alias tres sequētes respōdeo, quod quæ admodum ex gratia & prædestinatione Dei iuuātis hominē vt volūtariē credat, voluntariē, rectē & bene viuat, nō tollitur vis liberi arbitrij. Ita ex induratione & excæcatione Dei deserentis hominem & permittētis eū agere & viuere secundū praua sua desyderia, nō sequitur vim liberi arbitrij in illo esse extinctā aut perijisse

rijsse ab illo, quia in vtroq; genere hoīes libere cōsultant de rebus agendis liberē eligunt & consentiūt, & ex arbitrio rationis agūt quod volunt, quīs sine gratia rectē agere & bene viuere nequeant. Verū hic pro intellectu sententiæ sciendū est Deū indurare & excæcare hoīes, nō duritiā, rebellionē seu malitiā cordibus eorū immittendo, sed deserendo illos in sua stultitia, suaq; insipientia, & non impartiendo eis gratuita suæ bonitatis auxilia, quibus respicāt à prauis suis voluntatib⁹ ingerēdo etiā plerūq; correptiones, monitiones, miracula, aliaq; beneficia, quibus ipsi secundū reprobū suū sensum abutētes, efficiuntur deteriores, magisq; indurati. Quemadmodū enim creaturæ bonæ cōditæ à Deo Op. Max. sunt in ruinā & in mūscipulā pedibus insipientiū, Sapient. 14. nō q̄ Deus hac intētionē fecerit illas, vt per eas hoīes deciperētur, & caderēt, sed q̄ illis propter diuinā bonitātē cōditis hoīes à semetipsis facti insipientes & maleuoli, p suā insipientiā abutuntur ad aliū finē, q̄ ad eū, ad quē sunt cōditæ, sicuti miles ex se factus latro, abutitur gladio, quem ad defensionē sui & Reipub. acceperat. Sic correptiones, miracula, ceteraq; Dei beneficia Ægyptijs exhibita, suapte natura fuerunt talia quibus Pharaō, ceteriq; Ægypti prouocari, & moueri debuerūt, ad colendū verum Deū Israhel, & ad benignitatē prestandā populo Israhelico, quib⁹ dū ipsi Ægyptij insipientes, populūq; veri Dei odiētes, sunt secundū malas suas voluntates abusi, cōtra Deū Israhel & populū eius seuiētes, facti sunt magis indurati, nō q̄ De⁹ hoc malum culpæ eorundē Ægyptiorū aut ignorauerit, aut nō potuerit impedire, sed q̄ vidēs malitias eorū, iratus ipsos deseruerit, & pmiserit agere secundū suas insipientias, nō impendens eis gratuita suæ misericordiæ auxilia, quibus fieret, vt conuerterētur à malis suis voluntatibus, & colerēt vnū verū Deū Israhel, Quod ergo dicit Deus in Exodo, Ego indurabo cor Pharaonis, ad hunc dicitur sensum, ego faciā aliquid, quibus cor Pharaonis cōtra Deū Israhel & populū eius seuiēs atq; rebellans, magis erit durū, me deserente cor eius in sua malitia, & nō emolliente illud, ipse dimissus suæ voluntati, suisq; desyderijs sibi erit causā maioris ruinæ & rebellionis. Atq; ita planē vides hanc indurationē non extinguere in eo vim liberi arbitrij. Sed hic iā dices quemadmodū hæreticus asseuerat talē interpretationē esse violentā, extortā, cōstā & cōtrariā planē sermoni scripturæ signifiçatis Deum esse beneplaciti sui voluntate indurare. Respondeo. Ex scripturis sacris est manifestissimū, Deū nō indurare quenq; duritiā, i. malitiā seu duram ac rebellē contra se voluntatē immittēdo. Supradictū ergo sensum ex ipsa scriptura, quæ de induratione loquitur, luce clara cōmonstrare possumus. Nā & in Exodo, vbi per scripturā Deus loquitur, Ego indurabo cor Pharaonis, illic & spiritus Dei loquitur. Indurauit Pharaō cor suum, & apud Ioannē Christus eū dixisset. Excæcatum est cor populi huius, & aggrauatę sunt aures eorū, cōtinuō subiungit liberi arbitrij opus, oculos suos, inquit, clauerūt. Deinde in Exodo verba ipsa, totusq; sermonis processus de induratione Pharaonis, talē sensum præ se ferunt: nā Dominus De⁹ postq̄ dixit, Ego indurabo cor Pharaonis cōtinuō modū indurandi explicās adiecit. Multiplicabo, inquit, signa & portēta mea in terra Ægypti, & nō audiēt vos, scio q̄ nō dimittet vos Pharaō vt eatis, nisi p manū validā. Insuper plagis percussus, aquis videlicet mutatis in sanguinē auertit se Pharaō, inquit scriptura, nec apposuit cor suum ad ea quæ Moyses prædicabat. Præterea ranis ebullētibus vexatus, ingenitū dicit ad Moysen & Aarō. Orate Dominum vt auferrat ranas à me, & à populo meo, & dimittam populum. Deinde ranis ad preces Moysi sublati, Pharaō ipse, inquit scriptura, vidēs q̄ data esset requies, grauauit seu indurauit cor suum, & non dimisit populum, sicut præceperat ei Dominus. Insuper afflicus cyniphis muscisque grauissimis ipse denuo ad Moysen ait, Rogate Dominum pro me, vt recedant cyniphes & muscæ. At verō his sublati,

Ego indurabo cor Pharaonis.

Nō Deus solus, sed liberū hominis arbitriū indurat.

rur-

rursus, inquit scriptura, auxit sibi peccatū, & ingrauatū est cor eius, vt nō dimitteret populum. Tandē percussus pestib⁹, tonitruis, & grādinibus, iterum vocauit Moysen & Aaron, dicēs illis, Peccaui etiā nunc, Dominus iustus, & ego, & populus meus impius, orate Dominum vt desināt tonitrua & grādines, & dimittā vos. Extēdit Moyses palmas ad Dominū Deum suū, & cessauerunt tonitrua, pluuia & grandines. Vidēs autē Pharaō q̄ cessasset, auxit peccatū suū, & ingrauatū est cor eius, Exo. 6. 7. & 9. capitulis. En vides liberū Pharaonis arbitriū, quo sese auertit à Domino Deo suo, nec apposuit cor suū, quo & ipse sibi cor suū indurauit, sibiq; peccatū auxit, quo & rursus ingemuit, quo & flagellis attrit⁹ Dei iustitiā, & suam culpā atq; impietate agnouit, quo & dominū pro se orare postulauit. Hęc oīa liber Exodi fideliter recitat, ex quib⁹ manifestū est, in Pharaone nō fuisse extinctū liberū rationis arbitriū. Iā verò si dixeris. Pharaō sic auersus & relictus à Deo, sub peccato captiuus, nō poterat cor suū cōuertere ad Dominū Deū suū, & iuste ac rectē viuere. Fatemur vtiq; Pharaonē sine gratia Dei miserentis hoc nō potuisse facere. Nā & ad illū sensum citauit Apost. Pau. ad Ro. 9. scripturā illam ex Moysē, Neminē videlicet ex massa cōtumeliā viciata, posse erigi ac mūdari, nisi per voluntatē Dei, sua gratia & misericordia hoīem erigētis. Et idcirco nullā esse iustā rationē querelā cōtra Dominū, si vnum aut alterū in massa illa relinquat. Sed nō inde sequitur Pharaonē nō habuisse præsidiū, quo adiutus atq; inuitatus inspiratione interna poterat sese accommodare ad cōuertendū cor suū ad Dominū deū suū. De quo Aug. in lib. de prædest. sanct. Quod si ponatur Pharaonem nō habuisse tale præsidiū & adiutoriū, nō tamē inde sequitur, eū nō habuisse liberū arbit. sed nō habuisse libertatē, qua poterat sese sic sine Dei auxilio à peccato, à cecitate & miseria eximere, quod oēs vtiq; patres haec ten⁹ cōfessi sunt. Ex his cōsideratis patēt intellectus oīm quatuor Sententiarū, quæ ex quarto argumēto adferuntur. Nemo enim orthodoxorū patrū vnq̄ docuit liberū arbit. propterea appellari liberum, q̄ ipsum sine gratia posset bene viuere, aut sese à peccato eximere, aut ad vitā aternā peruenire. Insuper & ex iisdē patēt intellect⁹ sententiæ, quæ adfertur in argumēto cōtraposito p̄ defensione liberi arbitrij. Nā verū vtiq; est, hoīem per vim liberi arbitrij semetipsum excæcare, indurare, sibiq; oculos claudere, & cor suū auertere à Domino Deo suo, nequaq̄ tamen admittendū est, hoīem iā auersum, aut induratum, aut excecatū, posse sibi per vim liberi arbitrij sine gratia rursus oculos aperire, & cōuertere ad Dominū Deū suū. Ex suprā dictis igitur patēt certissimā esse prædestinationē & reprobationē diuinā, æquissimā, & rationabilē secundū iudicium misericordiæ suæ aut iustitiæ. Neq; diuinā prædestinationē aut voluntatē posse falli, impediri, immutari, aut frustrari. Et nihilominus liberū esse hoīs arbitriū, ad deliberādum, iudicandū, eligendū, & vtendum se sursum & deorsum, quocunq; voluerit, quanq̄ sine gratia Dei excitante, dirigēte, & cooperāte, bene eligere & velle nequeat in his, quæ ad pietatē pertinet, & salutē aternā hominis promouēt. Et neminē esse ex orthodoxis, qui non simul liberū hoīs arbitriū cū infallibilitate & immutabilitate voluntatis & cōsiliij diuini stare putet, liberumq; arbitriū nō propterea vocari liberū, quasi posset aliquid velle aut agere secundū beneplacitum diuinæ voluntatis, & simul possit agere cōtra illud, sed quia sub suauī gubernatione Dei suauiter omnia disponētis ex iudicio spontaneo agit, & cōtingenter eligit, ac cōsentit in id quod vult, & operatur, habens in potestate nō consentire & eligere, atq; consentire in aliud, prout in superioribus prolixē declaratum est.

FINIS.

Index alphabeticus verborum ac sententiarum in hoc

LIBRO MAXIME INSIGNIVM,

Litera, a. indicante priorem solū faciem, b. verò posteriorem.

- A.**
A Nima rationalis in scriptura nūc caro vocatur, nunc spiritus, folio. 47. b
 Augustini sententia de gratia & libero arbitrio, fo. 5. a
 Augustinū Pelagiani Pelagianū faciebāt, 7. a. 10. a
 Augustinus aliquando Manichæus, 7. b
 Augustini quatuor præcipua opera de gratia & libero arbitrio, 8. a
 Augustinus errorem suū de libero arbitrio postea retractat, 20. b
 Cur Aug. originale peccatū sepe definire videtur, libidine voluptatis Venerat, 68. a
- B.**
 Boni vox variē vsurpata, 74. b
 Bonum generaliter dictum, ibidem.
 Omnis essentia est à Deo bona, ibidem
 Bonum rationalis creaturæ in quo sit sitit, 76. a
- C.**
 Carnis vox in scripturis varia, 46. b. 77. a
 Secundū carnē venire dupliciter intelligitur, 47. a
 Cæcitas & visus in scripturis duplex, 43. b
 Chrysostomus quomodo accipiendus, scribens de libero arbitrio, 7. a
 Concupiscentiæ vox varia, 63. b
 Cōcupiscentia seu libido, quid sit, 67. a. 69. a. 71. a
 Aliud est concupiscere, aliud concupiscitium esse, 66. a
 Aliud voluptas, aliud cupiditas. i. libido, 67. b
 Vide vocabulum Voluptas.
 Aliud est sensus siue perceptio voluptatis, aliud concupiscentia voluptatis, 67. a. b
 Quō cōcupiscit caro aduersus spiritū, 76. a
 Cōcupiscentia carnis nō est à deo patre, 62. b. 39. b
 Concupiscentia accidēs vitii est, nō natura quædam ab æternitate mala, 39. b. 62. b. 65. b
 Concupiscentia mortificanda est & extirpanda, 64. a. 35. a
 Cōcupiscentiæ malū maximē se prodit in obscæno membrorum genitalium motu, 64. a
 Concupiscentia hæc in pecoribus non est mala, 65. a. 67. a
 Concupiscentia voluptatis ingerit se oīs sensib⁹ nostris, 67. a Vide vocabulū, Libido.
 Nō est nostræ voluntatis prorsus nō cōcupiscere sensibilem delectationē in rebus cū absunt, 97. b
 Præceptum de non concupiscendo, an impleri in hac vita potest, 26. a. 97. b. 100. a
 Percipiūt & gētiles carnē contra spiritū cōcupiscere, sed vnde hoc accidat nesciūt, 67. b. 73. a
 Argumēta 7. quibus Pelagiani vtiebantur, docentes concupiscentiā nō esse malum, 102. b
 Soluūtur, 105. b. Cornelius Ceterio, 18. b. 19. a
- D.**
 Debetur aliquid alteri dupliciter, 14. a
 Desyderia diaboli quæ sint in scripturis, 105. b
 Dilectionis præceptum an impleri possit in hac vita, 26. a. 97. b. 100. a
- E.**
 Ecclesiæ Romanæ autoritas, 19. b
- F.**
 Fides Dei donum est, 16. b. 22. b. 37. b
 Fides sine charitate esse potest, 18. a
- Ex fide informi facta opera quid profint, 18. b
 Fides quæ scripturæ commendat quæ sit, 29. a
 Sola fides quæ à Deo est, salutem confert, 96. a
 Quō August. dixit, quod hac fide meremur iustificationem, impetramus iustificationē, 29. b
 Et huius fidei nulla sunt præcedētia merita, ibid.
 Ex motibus fidei iustificatur homo, non tanquā ex meritis, 19. a
 Credere in Iesum, sic in credēte est opus Dei, vt ipsum tamen faciat etiam ipse homo, 84. a
 Vide vocem, Opus.
 Quomodo illa à patribus dicta, nostrum est credere, incipere, querere, pulsare, 97. a
 Credere est quodā mō in potestate lib. ar. ibidē.
 Credere, Dei donum est, 16. b
 Credere nō est sol⁹ lib. ar. absq; gratia, 38. a. 27. b
 Nemo credit nisi consensu voluntatis, ibidem.
 Initium fidei est credere miserā oēm quā patimur venire ex peccato Adæ, 73. a
 Initium fidei, Dei donū est, 27. a. 28. a. 37. b. 84. b
 Præparatio ad fidē pertinet ad gratiā, 95. b
 Aliud est sententiā fidei, aliud scientia mandatorum Dei, 27. a
 Differentia inter credere & scire, 96. b
 Infidelitas eorum, qui euangelium audire nō potuerunt, non est culpa, 28. b. 94. b. 98. b
 Filij hominum qui dicantur, 51. b
 Fomes peccati, 44. b. 57. a. 56. b
- G.**
 Gratia vnde dicta, & quo modo, 14. a
 Gratia vocabulum, nunc habitus vocabulū est, nunc actus, 15. b
 Gratia, alia præueniens, alia subsequēs, alia operans, alia cooperans, ibidem.
 Gratia vox multiplex in scriptura, 93. b
 Gratia Dei, in quibus rebus sit sita, 12. b. 20. a
 Naturæ dotes an pertineant ad gratiā, 14. b
 Gratiam in quibus rebus sitam credidit Pelagius, 4. a. 12. b. 20. a. & sequent.
 Gratia & natura quid differant, 14. a
 Distinguenda sunt, gratia, lex, voluntas, 17. b
 Gratia quam scripturæ commendat, 14. b
 Gratia duplex in scripturis ostensa, gratū faciēs, & gratis data, 15. a
 Summa fidei de gratia, 21. b. 25. a. 38. b
 Gratia nō euangelicę legis cognitio, 22. a. 96. b
 Gratia non est naturalis possibilitas liberi arbitrij, 21. b. 93. a. & sequent.
 Per gratiā liberamur à duplici necessitate, 26. a
 Gratia nō tollit malū habitūs i carne nostra, 24. a
 Ad gratiā ferē Deus sensum nos præparat, 95. b
 Gratia aguntur homines vt agent, 9. b
 Sine gratia neq; morbum generis humani possimus cognoscere, neq; medicū querere, neque bene velle, aut cogitare salubriter, neq; incipere credere, neq; præparare domino cor. 16. b. 17. a. 30. b. 93. a
 Adam nec ante peccatum potuit bene viuere sine gratia, 26. a
 Gratia opus erat Adæ & ante lapsum, sed nō miseratione, 15. b
 Quotidiano gratia auxilio opus est & iustis, 21. a

INDEX.

Abſq; gratia nemo poteſt bene viuere, 22.a.94.a
 Gratia Dei nō ſolū operatur incipiēs, ſed aſſidūē
 cooperans & perficiens, 24.a
 Gratia eſt opus nō ſolum vt remittantur peccata,
 ſed etiam vt vitentur peccata, 23.a.24.a
 Sine gratia facere poſſumus multa mandatorum
 officia, ſed non opera bona, 17.b
 Sine gratia impleri nō poſſunt mādata, 19.b.25.b
 Sine gratia nō poſſumus predicato nobis euāge-
 lio credere, 22.b.27.a. & ſequent. & 96.b
 Audiēs predicari euāgelii, peccat ſi nō credit, &
 tamē ſine gratia credere nō poteſt, 28.a.b.
 Cur Deus hūc audientē predicari Euangeliū, ita
 excitet vt credat, & nō illum, 28.b.94.b
 Hō poteſt credere ſi vellet, ſed vt velit facit de⁹, 93
 In omni opere bono agnoſcere oportet & gra-
 tiam, & liberum arbitrium, 3.a
 Gratia liberū arb. non tollit, ſed adiuuat, 9.a
 Tam Manichæi q̄ Pelagiani tollūt gratiā Dei, 8.b
 Ante gratiā iuſtificationis accepta, neq; orando,
 neq; operando meremur iuſtificari, 19.a
 Quare veteres ſæpe liberum arbit. ſtatuunt ſine
 cōmōratione gratiæ. 6.b.7.a.10.a.b
 Quare alij ſæpe gratiam commendant, ſine cōme-
 mōratione liberi arb. 6.b.10.b
 Veteres non ſentire cum Pelagio, 7.a
 Argumenta 4. contra gratiam, 25.a
 Argumenta ſex Pelagi contra gratiam, 90.a
 Soluuntur, 93.a
 De donis quæ nobis Deus ſua gratia operatur,
 ſcriptura tripliciter loquitur, 82.b
 Vide vocabulū, Opus: & vocabulū Liberū arb.
 Quædā dona aguntur in nobis, nō à nobis, quæ-
 dam in nobis & à nobis, 37.b.82.a
 Quædam dona dantur non orantibus, quædam
 non niſi orantibus, 96.a
 Vt velim⁹, operatur De⁹ in nobis ſine nobis. 83.a
 Deus cū in nobis ſolus aliquid operatur, homo
 interim ipſe aliquid etiā operatur, 83.a.b.93.a
 Quō De⁹ virtutē in nobis ſine nobis operatur, 84
 Quomodo in toto bonorum operum noſtro-
 rum totum eſt Deo dandum, 86.a
 Velle & currere, noſtrum opus eſt, 87.b
 Quid in aſſequēda ſalute ſua operetur homo, &
 quid in homine Deus, 83.b.84.b. & ſequent.
 Vide vocabulum, Liberum arbitrium.
 E ſcripturis ſanctis, ſed male intellectis, nata eſt
 omnis difficultas de gratia & libero ar. 3.a
 Scripturæ oſtendentes gratiam Dei, 9.b.11.a.16.b. & ſequentibus.
 Scriptura alicubi tribuit bona opera gratiæ, non
 cōmōratoro libero ar. alicubi cōtrā, 10.a.11.a
 Scripturas facientes pro gratia, quomodo elude-
 bant Pelagiani, 20.a.27.b
 Scripturæ quib⁹ abutitur quidā cōtrā grām, 37.a
 Vide vocabulum, Paulina loca.

H

Hæreſes duæ: altera tollentium liberum arb. al-
 tera gratiā, damnatæ ante annos mille, 3.a.b
 Hæreſis Manichæa exponitur, 3.a.8.b.20.a.74.a
 Quo tempore extiterit, 6.a.b
 Hæreſis Manichæa reuiuſcere hodie apud quof-
 dam meditat, 74.a
 Hæreſis facientium plures in eodem homine a-
 nimas, 77.a

Hæreſis Pelagiana exponitur, 3.a.b.4.a.6.b.
 8.b.12.b. ac ſequent. 90.a.101.b
 Quando & vbi nata & damnata, 4.a.19.b
 Hæreſis huius fontes duo, 12.b
 Errores Pelagi de peccato originali, 13.b
 Hæreſis eorum, qui negant peccatores corrip-
 debere, 9.a
 Hæreſis credentium quofdam conuerti per natu-
 ralem vim arbitrii, 9.b
 Hæreſis Vitalis de gratia & libero arbitrio,
 22.b.27.b.38.a
 Caſſiani error de libero arbitrio, 39.a.100.b in
 fine.
 Hæreſis Lutherana de gratia & libero arb. nec
 cum Pelagiana omnino conſentit, nec cū Ma-
 nichæa, 4.b.9.a
 Hæreſis Lutherana de gratia & libero arbitrio,
 multo ante Lutherum fuit, 4.b.10.b in
 fine.
 Lutherus eccleſiæ Dei contemptor, 8.a
 Lutherus veterum patrum contemptor, 11.b
 Lutherus conciliorum generalium cōtemptor,
 . ibidem.
 Fundamenta quibus nititur Lutherus in tollen-
 do libero arbitrio, 12.a
 Hæretica argumenta omnia, ſiue contra gratiam,
 ſiue contra liberum arbitriū, olim ſoluta ſunt
 à patribus, libro 2. pagina 79.b
 Hæretici noſtri temporis falſo calumniantur do-
 ctōres veteres & recentiores quaſi non intel-
 lexerint gratiam Chriſti, 38.a.88.b.97.a
 Octo ſententiæ per quas diſcernuntur hæreſes
 de gratia & libero arbitrio à ſententijs ortho-
 doxis, 20.a
 Argumentum quo in materia liberi arbitrii deci-
 piuntur hæretici, 17.b. in fine.
 Hæreſes inducentium fatā, 9.b
 Hæretici quemadmodum pro perfidia ſua mor-
 tem obire non dubitant, 26.b
 Error quorundam noſtri temporis credentium
 Veneris ſtimulos à natura, nō à peccato pro-
 ficifci, 103.a. reſellit, 106.a.b
 In vnoquoque homine quemadmodum eſt ho-
 mo interior & exterior, 76.a
 Homo quomodo ad imaginē Dei factus, ibidē.
 Quid vetus & nouus homo, ibidem.
 Induere nouum hominem, ibidem.
 Portare imaginem cœleſtis vel terreni hominis,
 77.a.76.a
 In homine non perijt imago Dei per peccatum
 Adæ, 77.a
 Vnde rixa virium animæ in eodē homine, 78.a
 Eadem hominis anima, nunc cœleſtis, nunc ter-
 reſtris, 77.a.76.a
 A ctus ſenſibiles & tranſmutationes ſunt totius
 hominis, vt ſubiecti: animæ verō vt principij,
 68.b.77.a. & ſequentibus.
 Eadem in homine anima qua viuunt, ſentit, mouet-
 ur, & intelligit, 77.a.78.a
 Delectari totius eſt hominis, 77.b

L

Liberum arbitrium qui oppugnant, ijdem gra-
 tiam Chriſti oppugnant, 3.b.5.b.14.a
 De libe. arb. diſputatio in primis frugifera eſt, 5.a
 Sine libero arbitrio non poteſt intelligi gratia

INDEX.

Chriſti, 5.a.10.b
 Liberum arbitriū ſi nihil in opere bono facit, fal-
 ſo dicitur adiuari à Deo. 3.a
 Si nullum eſt liberum arbitrium, nullum eſt ho-
 minis peccatum, 5.b
 Si nullum eſt liberum arbitrium, fruſtrā præſcri-
 bitur homini lex, 5.b.17.b
 Liberū arbitriū quale eſt reſpectu operū præſen-
 tis vite huius, vt in colendis agris, &c. 28.b
 Quo ſenſu ſcripturæ ſignificant Deum expecta-
 re liberum arbitrium hominis, vt ſe conuertat
 37.a.38.a.39.a
 Liberi arbitrii, duplex ad Deū conuerſio in ſcri-
 pturis oſtenditur, 37.b
 Vide vocabulū, op⁹ bonū, & gratia, ſeu donū.
 Liberum arbitriū in pijs ſuis deſyderijs non præ-
 uenit Deum bonum, 37.a.b
 Liberum arbitrium non eſt ſubiectum ſuſcipiēs
 tantum, 83.b.85.b.86.b
 Liberū arb. maſit hōi & poſt peccatū Adæ, 6.a
 Quid intereſt inter liberū arb. ante lapſum Adæ,
 & poſt, 11.b
 Quomō libero arb. mandata dei ſunt poſſibilia,
 97.b.100.a
 Homo dominus eſt membrorū, viriū, & actuum
 ſuorum, 100.b
 Argumenta quatuor contra liberum arb. 79.b
 Soluuntur, 82.a
 Scripturæ oſtendentes liberum arb. 5.b.6.a.b
 & ſequent. 9.a.b. & 89.b
 Vide vocabulum, Paulina loca.
 In ſcripturis diſtinguere oportet inter liberta-
 tem à peccato, & à miſeria, 11.b
 Libido quibus nominib⁹ fit expreſſa in ſcriptu-
 ris, 68.b
 Libidinis nomen, varium, ibidem
 Libidinis nomen quā late pateat in materia pec-
 cati originalis, 69.a
 Libidinis nomen ad multa ſimul pertinet, 68.a
 Libidinis nomen cur maxime accommodatum
 ſit ad venereas voluptates, ibidem.
 Libido quæ res ſit apud Auguſtinum, 67.a
 Aliud eſt venere voluptatis, aliud ſentiendi volu-
 ptatem libido, ibidem, & 107.a
 Libido voluptatis ingerit ſe omnibus ſenſib⁹ no-
 ſtris, 67.a
 Libido hæc in oībus ſenſibus eſt cōprimēda, 67.b
 Libido ſentiendi naſcens ex actu ſentiendi, vbi-
 nam ſit, 68.b
 In paradifo oblectatio ſenſus erat, libido nō erat
 67.b
 Non ſtatim libidinis eſt, querere in cibo ſuaui-
 tatem ſaporis, ibidem.
 Vide vocabula, Cupiditas, voluptas.
 ¶ M
 Quid malum, 74.b
 Vnde malum, 74.a Mali vox varia, 74.b
 Malum generaliter dictum, ibidem.
 Mali ſpecies, poena & culpa, ibidem.
 Malum culpæ & poenæ quid, ibidem.
 Mali culpæ nō eſt De⁹ author. ibid. & 108.a.12.b
 Malitia culpæ non eſt natura, neque aliquid indi-
 cium naturæ à Deo, aut bono, aut malo, 78.b
 Malum rationalis creaturæ in quo ſitum, 75.a
 Malorum cogitationum triplex origo, 65.b
 De malo habitante in carne noſtra, 64.a.b.

Mandata Dei quodāmodo poſſibilia, quodam-
 modo non, 97.b
 Mors & ſimilia mala, non ſunt conditionis natu-
 ræ, ſed ſupplicia culpæ. 72.a.40.a
 Mortis cauſa, 73.a.b
 Quam mortem intulit Adam, 48.b
 Quomodo in Adam omnes moriuntur, 51.a
 Quomodo inuidia diaboli mors intrauit, 43.a
 Vide vocabulum, Peccatum.
 In Adā ante peccatū, null⁹ erat timor mortis, 57.a
 Immortalitas in ſtatu innocentie, erat ex benefi-
 cio gratiæ, 72.b.73.a
 Mori peccato, quid apud Apoſtolum, 49.b
 Mors quid apud Paulum ad Rom. 5. 48.b
 Inuidia diaboli mors intrauit, 42.a
 In quacunq; die comederitis, morte moriemini,
 49.b
 Deus mortem non fecit, & tamen vita & mors à
 Domino, 73.a.b
 Mundi vox in ſcripturis, 44.a.63.a
 ¶ O
 An opus bonum in nobis, & à nobis eſt, 89.a
 In opere bono & gratiam agnoſcere oportet &
 liberum arbitrium, 3.a
 Vide vocabula, Gratia & libe. arb.
 Scripturæ triplices modi, quibus Deus in nobis
 dona ſua operari ſcribitur. libro ſecūdo, 82.b
 Opus bonum quid in hac materia accipiendum,
 16.a.25.b.26.a.30.a
 Opus bonum non illud hic accipiendum, quod
 in Ariſtotelis Ethica, 106.a
 Opera bona ſunt in nobis Dei dona, 17.a
 Per opera neque legis, neque decalogi, iuſtifica-
 mur, 22.a. & ſequent. 25.b.30.a
 Omnia opera externa quæ facit charitas, imita-
 tur ſuperbia cupiditas, 25.b
 Originale peccatum varia nomina habet in ſcri-
 pturis, 46.a.78.b
 Originale peccatum quid ſit, 46.a
 In qua re ſitum ſit, 57.b.70.b. in fine.
 Originale peccatum & vnum eſt & multa, 71.a
 Summa fidei de peccato originali, 43.a.50.b
 Patrum ſententiæ de peccato originali, 54.b.60.b
 Originalis peccati naturam cognoscere, in pri-
 mis facit ad intelligēdam gratiam Chriſti, 65.b
 Initium fidei eſt, credere ex peccato originali ve-
 nire ærumnas omnes quas patimur, 72.b
 Vtrum originale peccatum, ſit qualitas vitioſa,
 an pars ſubſtantialis animæ, 65.b. & ſequent.
 Peccatū originale veri nominis peccatū eſt, 45.b
 De originali iuſtitia, 56.a
 Cur originale peccatum Auguſtinus ſæpe deſinit
 libidine voluptatis venereæ, 68.a
 Originale peccatum eſt in anima rationali, 69.a
 Et poſſimum in voluntate, 69.b
 Vnicum eſt in vnoquoq; Adæ filio, ibidem.
 Originalia vitia multa in homine ſunt, ſed culpa
 vnica, 71.a. & ſequent.
 An in ſemine parentis deſico, ſit pec. orig. 56.a
 Peccatum originale quomodo ſoluitur in bapti-
 ſmo. 46.a.57.b.71.a
 Originalis peccati reatus ſoluitur, peccatum ma-
 net, 57.b.71.a
 Quæ quaſtiones in hac materia diſputantur in
 vtramque partem, ſalua vnitate fidei, 49.b.
 71.b.104.b.

INDEX.

Errores Pelagij de peccato originali, 4.a.13.b	naturæ infita, 98.a
Argumenta contra peccata originalia, 56.a.b	An repugnet fidei, si dicatur iustus aliquo tem- pore purus esse ab omni peccato, 33.b
Octo argumeta Pelagij, quibus docere conatur, infantes non nasci in peccato originali, 101.a	Soluuntur sex argumeta Pelagij quibus docebat hominem ex solis liberi arbitrij viribus, posse viuere sine peccato, 88.a.b
Soluuntur, 103.b	Loca scripturæ tractantur huc pertinentia.
Tria argumenta Pelagij, infantes nõ dånari pro- pter peccatum vllum, 102.a	Qui natus est ex Deo non peccat, 100.b
Soluuntur, 105.a	Sicor nostrum non reprehendat nos, 100.a
An infantes morientes sine baptismo patiatur in inferno vllum cruciatum, 61.a	Beati immaculati in via, 99.a.100.a
Infantes sine sacramento sanguinis Chrilli, hoc est baptisni, erunt in condemnationem pro- pter peccatum originale, 58.b	Nõ reprehedit me cor meum in oĩ vita mea, 99.a
Hinc baptizari eos iã inde à tēporibus Apost. in more fuit & precepto, 55.a.58.b	Non est iustus, qui non peccet, 34.a
De eadem re sententiæ patrum, 55.a	Si dixerim ⁹ quia pec. nõ habem ⁹ , 31.a.b.35.a.36.a
Baptizantur autē, vt consequantur remissionem peccati orig. 39.b	Erant ambo iusti, ante Deũ incedētes in omnib ⁹ mandatis Domini, sine querela, 33.a.92.a.99.a
Et vt inferantur Christo viti, vt palmites, 50.b	Vide vocabulum, Paulina loca.
Nascuntur filij iræ, 39.b. & sequent. 103.a	Perfectio in scripturis duplex, 99.b
Quomodo infantes in Adam peccauerunt, 41.b. & sequentibus, 54.b	Paulina loca tractata.
Vide vocabulum peccatum.	Caput. 5. ad Roma. 40. & sequent. 42. & sequent. 50.a.b.53.a.b.58.b.60.a
Ab orig. pecca. præseruata Maria, 31.b.36.b.44.a	Ego autem carnalis sum, 46.a
In Christo fomes non erat, aut procliuuitas pec- candi, 57.b	Non habitat in me, hoc est, in carne mea, .in fine. 71.a
Scripturæ pertinētes ad peccata orig. 40.a.54.b	Caro concupiscit aduersus spiritum, 77.a
Vide vocabulum, Paulina loca.	De nouo homine & veteri, interiore & exte- riore, vide vocabulum, Homo.
Filius non portabit iniquitatem patris, 105.a	Velle adiacet mihi, 16.b
Cognoscentesq; se esse nudos, 43.b	Eramus & nos natura filij iræ, 54.b
¶ P.	Ne regnet pec. in mortali corpore vestro, 58.a
Peccati vox in scripturis varia, 44.b	Non est volentis, 87.b
Christus appellatus peccatum, 45.a	An non haber potestatem figulus. 5.b.85.a
Vide vocabulum Paulina loca,	Quid habes quod non accepisti? 30.a
Fomes peccati, appellatus peccatum, 45.b	Litera occidit, 30.b
Quid peccatum, Paulo ad Rom. 5, 44.b	Non iustificatur ex operibus legis oīs caro, 22.a
Doctrina de peccato mortali & veniali, & ex scri- ptura, & patrum traditione, 35.a	Vt referat vnusquisq; prout gessit, 105.a.in fine.
Peccatum aliud personæ, aliud naturæ, 55.b	Creati in Christo Iesu in operibus bonis, 85.a
Quõ per vnum hominē peccatũ intrauit in mun- dum, 40.a.42.a.50.a.53.a.58.b.59.a.b.60.a	Elegit nos vt essemus sancti & immaculati, 34.a
Vide vocabulum originale peccatum.	¶ S
Quomodo oēs peccauerūt, 51.a.40.a. & sequēt.	Spiritus in scriptura dupliciter. 47.b
Quõ pec. nõ per diabolum intrauit in mundũ, 43.a	¶ V.
Quõ diabolus dicitur oĩm peccatorũ causa, 65.b	Multa sine voluptate non facimus, quæ velle fa- cere nõ possumus propter voluptatem, 67.b.
Vide vocabulum, malum.	Vide vocabulũ cupiditas, cõcupiscētia, libido
Qua re illectus Adam peccauit, 47.a	Voluptatem ex rebus sensibilibus non percipere cum adsunt, non est nostræ potestatis, 67.b
Nõ omne peccatum est aut ex carnis fomite, aut suggestione diaboli, ibidem.	Peccant coniuges quæ commiscetur causa ex- plendæ voluptatis, 65.a
Non si culpa peccati remittitur, & poena remit- tatur, 36.a	Voluptas venerea mirabiliter sibi nõ corpus so- lum hoīs vëdicat, sed totũ oĩno hominē, 68.a
Non omne opus hominis est peccatum, 35.a.b	Voluptas esca malorum, 65.a.67.b
Peccati poena triplex, 107.a	Voluptas in brutis mala non est, 65.a
Neminem sanctorum vixisse sine peccato, 31.a 32.a. & sequent. 35.b.100.a	An voluntas diuina aliquando frustratur, 95.a
Sola Maria præseruata à peccato, 31.b.36.b.44.a	
Sine crimine sancti viuere possunt, 32.b	
Peccata singula vitare possumus, vniuersa non possumus, 99.a	
Ad breue tēpus viuere possumus sine pec. 35.b	
Iustus cõsiderare potest omnia peccata sibi remis- sa esse, ibidem.	
Aliud sine pec. viuere, aliud sine querela, 99.a	
Aliud est peccare, aliud peccatum habere, 35.a	
Possibilitas recte viuendi nõ est inseparabiliter	

IOANNIS DRIE

DONIS A TVRNHOVT, SACRÆ THEOLO-
giæ professoris apud Louanienſes, in lib. De gratia
& libero arbitrio Præfatio ad Lectorem.

DE potestate rationalis voluntatis, aliter senserūt tractatores catholici, aliter
morales philosophi huius mundi, aliter hæretici. Catholici sacræ theolo-
giæ tractatores christiana fide illustrati, quadruplicē cognouerunt humanę
naturæ statũ. Vnũ in quo ab initio cõdidit hominē rectum, nulli damnationis
vinculo obstrictum, nulla lege carnis cõtra mentē rebellantis viciatũ, nulli forin-
secus nocumēto subiectũ. Sub hoc statu homo iam pace sua, & trãquillitate frue-
batur, ita vt nec intus pugnas, nec foris sentiret timores, plenã habens supra vires
suas, & corporalia membra potestatem, neq; in carne, neq; extra carnem sentiens
quicquã, aut repugnã, aut impedimētũ præstans internę rationis iudicio, aut ra-
tionali voluntati. Hunc aut statũ ignorauerūt naturales mundi huius philosophi,
æstimãtes hominē nasci innocētẽ, & idcirco argutē defendentes naturã & arbi-
trium liberum, arbitrati sunt se posse viribus propriæ voluntatis rectē agere, & se
posse veras habere virtutes, quibus natura humana suũ finem, ad quē obtinēdum
est cõdita, assequatur. Deinde catholici ex sacris literis edocti, alterũ cognouerūt
esse statum humanæ naturæ, in quem nunc lapsus est homo per Adam primũ no-
strum parentem, qui abtens libera potestate voluntatis, rectē ab initio condita,
vniuersum genus humanũ in se, tanquã apostatica radice viciauit, quo fit, vt iam
quisq; ex Adam propagatus sentiat & intus pugnas, & foris timores, cõtra rationa-
lem suam voluntatem, ita vt aliorum trahat ratio, aliorum verõ, aut carnalis affe-
ctio, aut timor imminentes nocumēti, quibus impediatur rationalis animus, vt
non liberē valeat sua electione prosequi, quod ratione mentis discernit æquum
esse ad faciendum ac prosequendũ, dicente Paulo Apostolo. Ego aut carnalis sum,
venundatus sub peccato. Caro concupiscit aduersus spiritũ, & c. Hunc aut huma-
næ miseræ statum viderunt quidem mortales philosophi, sed ignorauerunt eum
esse primi peccati suppliciu, æstimãtes præsentem humani generis conditionem,
sub qua nunc homines in hunc mundum nascuntur, non esse pœnalem, sed natu-
ræ, & humanũ genus sic ab initio aut conditum esse, aut fuisse semper. Conſy-
derauerunt quidem in homine duas esse vires inter se contrarias, sensualem vide-
licet & rationalem. Videntes partem sensualem esse brutalem, quæ solum inten-
dat in præsens cõmodum, partem autem rationalem, esse vim quandam altiorem
ad honesta prouocãtem, quæ futuri habens rationem, consulit, deliberat, ratioci-
natur, cõsiderat, appetit, prosequitur se penumero immortalitatē, pacem, iusti-
tiam, & c. contra corporalis vitæ commodum vel incõmodum. De rixa & iurgio
mentis contra carnem sic loquutus est moralis Aristoteles, Ratio semper ad opti-
ma deprecatur. Vis autem ea in homine, quæ est absque ratione, obuiat rationi &
aduersatur. Et iterum magnę, inquit, & vehementes cõcupiscentię, cogitationem
mentis percutiunt, mentem ipsã in suo statu dimouent. Quemadmodũ oportet
puerum, inquit, secundum præceptũ pedagogi viuere, sic & oportet concupisci-
tiuũ obedire rationi. Vides Aristotelis hãc sententiã vicinã & quasi cõsonam esse
Apostolicæ doctrinæ, qua dicitur, Caro cõcupiscit aduersus spiritum, & spiritus
aduersus carnē. Senserūt ergo morales philosophi in se rixam & iurgiu inter mē-
tis legē, & carnis appetitũ, sed causam originalem huiuscemodi rixæ ignorauerūt.

A Tullius

FINIS.

ERRATA.

Fo. 4. b. ver. 13. De lege A.
Fo. 9. b. ver. 27. impiorum, lege piorum.
Fo. 20. a. ver. 16. adiuuare, lege agere.
Fo. 22. a. ver. 23. irritũ, lege irritam.
Fo. 29. b. ver. 10. post fides igitur, adde, vera est.
Fo. 108. a. ver. 30. propensus, lege propensius.

Tullius in libro de republica, rem vidit, nam ei pronus in libidinē animus displi-
cebat, causam nesciuit, ignorās per vnū hominē vniuersos homines factos esse car-
nales, & venūdatos sub peccato, dicēte Apostolo Paulo. Per vnū hominē peccatū
in hūc mundū intravit, & per peccatū mors. In hunc mundū, id est, in vniuersum
genus humanū, de quo & propheta, Homo vanitati factus est similis. Et iterū, Fa-
cta est vniuersa vanitas omnis homo viuēs. Tertiō catholici tractatores cogno-
uerūt humanā naturā statū tertiū, ad quē homo restituitur in hac vita per gratiā
Christi redemptoris. Et huius insuper status prorsus ignari fuerunt morales phi-
losophi, estimātes infantes nasci in hunc mundum innocētes, ignorātes fomitem,
quo pronus est in libidinem animus, id est, procliuatē illam, qua caro propensa,
procliuis, prona est cōcupiscere aduersus spiritū, esse in humano genere culpabi-
le vitū, quod Deus odit, quod & ipse nō condidit, propter quod & vniuersi nos
homines, quantūlibet etiam mēs rationalis eidem vitio reluctari conetur, sumus
captiui, beatifico sine spoliati, nisi regenerati fuerimus lauacro sanguinis Christi.

Postremum catholici homines fide & spe firma expectant quartum humanā
naturā statū, quo sumus in futuro seculo prorsus beatificandi clara diuinitatis vi-
sione, vbi hac corpora nostra mortalia induēt immortalitatis, incorruptiōis, &
iustitiā stola. Hunc statū itidem ignorauerūt morales philosophi, estimātes aut
post hāc vitam nullam superesse, aut vano errore decepti, aliquā esse, qualem ipsi
amant in hoc seculo, vtpote vel carnalem corporalibus delitijs plenā, sicut expe-
ctant nōnulli Epicurei, vel naturalem laudabili quadam cōuersatione & sapiētia
sibi sufficientē, & iucundissimā, quemadmodū expectauerūt nōnulli huius seculi
sapiētes Methaphysici, sed frustra expectat, quisquis aliud quā Deū ipsum post
hanc vitam expectat. Deus est verū rationalis animā bonū, cuius solius amplexu,
hominis anima verē est beata, casta & sancta. Deinde & frustra expectat quisquis
etiam Deum ipsum expectat, si non Christum veram viam, qua ad illum veniat in
hac vita teneat. Ipse Christus est, qui seipsum largitur in prētiū, sua gratia operās
in hac vita vnā cum libero arbitrio omne meritum. Ipse est qui seipsum post hanc
vitam largitur in prēmium. Idcirco Platonicī, qui vt inquit Augustinus, credide-
runt & expectauerūt Deum esse humanā naturā beatificū bonū, fontemq; bibē-
dē felicitatis, bonū illud suis meritis assequi nō potuerūt, quia ignorātes supradī-
ctum secundū humani generis statum esse sub peccato, nescientes vniuersam hu-
mani generis massam iustē esse damnationi subiectā omnis meriti authorē Chri-
stum, verā viam, qua peruenitur ad illud, nō inuenerunt, & cum Deum cognouis-
sent, eundem nō sicut Deum coluerūt, idcirco iustificari in hac vita nō potuerūt.
Hac est enim sententia, Apostolica regula definita. Quotquot sunt qui ignorātes
Dei iustitiam, suam voluerunt statuere, hi iustitiā Dei nō sunt subiecti. Suam vo-
lunt constitutere iustitiam, inquit Augustinus, qui arbitrantur se iustificari ex stu-
dijs & operibus suarū voluntatū, qui etsi Deū laudare velint, quōd homines sint,
quōd tales sint conditi, qui libero suo arbitrio fierent iusti, se tamen laudare vo-
lunt quōd iusti sint. Dei autem iustitiā ignorant, qui nesciunt iustitiam esse à Deo,
qui iustificat impium ex fide gratis, id est, absque vllis operibus antecedentibus.
Vnde & patriarcha, propheta & omnes iusti, antequam Christus nasceretur,
per gratiam saluatoris credebant se saluos fieri, sicut & nos Christiani. Si qui ergo
fuerint philosophi, qui Deum vident, vitam esse, in cōmutabile principū omnis
vitae, fontemq; bibendae felicitatis, ignorātes iustitiam Christi, qui factus est no-
bis sapientia, virtus, & iustitia, hi non sunt assequuti neque veram sapientiam, ne-
que veram virtutem, neque iustitiam verā de qua loquitur & scriptura, de qua &
ecclesiastici patres disseruerunt. Ex huiusmodi fundamētis poterit cōsiderari,
quōd mo-

quōd morales philosophi, neq; veram humanā voluntatis potestatem aut liber-
tatem, neq; verā illius iustitiam atq; virtutē rectē intellexerunt. Definierunt sanē
virtutē, inquit Augustinus, esse habitū naturae, modo, & rationi consentaneū. Re-
ctē quidem definierunt, sed quid sit consentaneū naturae humanae iam damnatae,
vt liberetur, vt suū finē beatificū assequatur, nescierūt, ignorātes suā captiuitatē,
Deique miserentis iustitiā, & solam diuini vultus manifestationē post hanc vitam
beatificare rationalem animā. Proinde semper ab initio fuerunt catholici tracta-
tores, docētes absq; fide Christi, nullam esse iustitiam, nullam esse veram virtutē,
quae animā rationalem faciat verē bonā, ac iustam, Deoq; placētem, dicente scri-
ptura, Sine fide impossibile est placere Deo. Definierunt itidem philosophi in
homine liberū esse arbitriū, distinguētes actiuam potentiā, in rationalem & irra-
tionalem, dicentes, Rationalem potentiā, vtpote voluntatē esse actiuam, eandem
tamen tam cōtrariē quā cōtradictoriē oppositorū. Irrationalem verō nō esse ad
cōtraria, eandem, suaque dogmata declarātes. Potentia actiua, inquit, in igne nō
potest nūc sursum, nunc deorsum ignem trahere, sed in superiora trahit semper,
neq; habet in sua potestate sistere motum, neq; item potest nunc calefacere, nunc
frigefacere, nunc emollire, nunc indurare eandem res sibi cōgruē applicatas, simi-
literq; dispositas. Insuper & bestiarū voluntas, quae potētia est irrationalis, nō po-
test rebus similiter se habentibus, huc, illucque se mouere, agere, & nō agere, mo-
uere membra in opus, & sistere gradum, sed ex apprehensione sensibilibum rerum,
mox vt corporis affectio secundum fantasiam suborta ad aliquid trahit, in actum
proruit, membraq; mouet in opus, impellente natura, pabulo enim monstrato, &
sic disposito corpore bruti, vt egeat nutrimento, statim brutū appetit, trahitq; for-
ma illa cibi per sensum impressa, vt si videat cibum, mouet pedes in opus. Neque
potest nō ferri in ea, quae sic offerūtur, corpore bruti sic affecto, & nō prohibito,
quōd si obstat cuiuspiā sensibilis nocumētī imminētis imaginatio, quae terrendo
fantasiam bruti magis retrahat, quā trahat, appetitus iam illa fortius mouet, & ne-
cessitate naturae pedes ab opere cohibet. Quemadmodum ergo ignis nō potest
nō calefacere ea, quae sibi sunt proxima, & nō potest nō ascendere si nihil obstat,
sic & bestia, quae suis agitur stimulis secundum fantasiam & imaginationē sensus,
nō habet superiorem in se potestatem, qua valeat suos sistere motus, nec mirum,
cum non habeat vim vllam, qua valeat praesentia, praeterita, & futura adiuicem
conferre, & ex praeteritis futura conijcere, & facere aliud sensibile venire sibi in
fantasiam. Neque item habet altius principium, quo valeat altiorem finem supra
bonum sensualis appetitus cōsiderare, ac iudicare de rationibus insensibilibus,
sempiternis, futuris, & possibilibus contingere.

Rationalis autē voluntas potest, inquit, in contrariē & contradictoriē oppo-
sita corpore similiter affecto ceterisq; omnibus similiter sese habētibus. Nam sae-
penumero dum similis permanet sensibilibum rerū dispositio, similisque corporis
affectio, variā & cōtrariā sunt rationalis voluntatis electiones. Intellectus homi-
nis supra praesentia & sensibilia ratiocinando, deliberando, ac consulendo ex pra-
teritis futura cōsiderat, iustitiā, honestatis, immortalitatis rationē habet, & ita ob
decorem iustitię aut futurae vitę assequutionem, potest nunc mouere membra in
opus contra fantasiam nutum corporisq; affectionē, veluti si detur pauperi oportu-
nitas auferendi clam à diuite pecuniā inter praesens cōmodum & iustitiā honesta-
tem, ratio interna, inquit, vt medijs cōstitutus est arbiter, potestq; rationalis vo-
luntas mouere membra in opus ad furādum pecuniam, quia sibi indigenti vtilis,
potest & cohibere membra, quia iniustum est, & lex vetat capere rem alienam.
Viderunt igitur morales philosophi semetipfos esse per liberū rationis arbitrium

idoneos, qui de rebus propositis seu agendis deliberarēt, consulerent, iudicarent. Viderunt etiam sese habere super sua membra, super passiones, cōcupiscentias, ac cupiditates dominū, situmq; esse in eorum arbitrio viuere & operari, aut secundum carnis sensum, aut secundum rationis internæ legem. Viderunt insuper esse difficile huiusmodi suas frenare ac moderari cupiditates seu concupiscentias, rationalem animā trahentes cōtra legem rationis. Viderunt & hominē nō posse in hac vita ad tantā venire perfectionē, vt nulla sit contra legem mentis in carne aut rebellio, aut molestia, aut perturbans aut distrahens rationis iudicium. Idcirco & Aristoteles coarguit Stoicos, in eo quod dixerūt virtutes impassibilitates qualdā & quietes, id est, perfectiones tales, quæ redderent hominis animū prorsus sedatū & tranquillū, omniq; passione vacuum. Aristoteles autem cum dicit, omnia in studio viro esse consona rationi, nō id voluit, quod in studio omnis motus seu passio, secundum rectæ rationis imperiū oriatur, sed quod ratio in studio nullis passionibus & motibus à via virtutis abducatur, aut moueatur in consensum.

Vera quidē suat hæc, & huiusmodi dogmata philosophorū, qui naturalē vim liberi arbitrij rectē quidē attigerūt, innixi naturalis rationis lumini. Neq; enim natura, sed vitium in natura cōtrariatur gratiæ. Natura enim est gratiæ fundamētū, seu habitaculū mētis, gratia verò est naturæ perfectio, vitium autē eiusdem naturæ corruptio. Viderunt ergo philosophi naturā humanā esse in arbitradō, deliberadō, iudicadō, liberā planē sentientes in se facultatē liberē arbitradī ac discernendi, inter præsentis vitæ iustitiam & iniustitiā, inter æquū & iniquū, inter licitū & illicitū, & se posse pro arbitrio quod voluerūt eligere. Sed veram iustitiam veramq; æquitatem, qua beatificabilis est rationalis anima, nō viderunt, ignorantes eandem naturam humanam in foueam damnationis lapsam, & esse vitiatam, voluntatemq; humanā in tantam corruisse impotentiam, vt nō posset sua vi, suaq; potestate recuperare, aut assequi verā iustitiam. In tenebris igitur & in umbra mortis sedentes, Christumq; verē iustitiæ solem ignorātes, gratiā Dei nō cognouerūt, arbitratēs homines fieri iustos & studiosos exercitio & studio suarū voluntatum.

Extiterūt autem catholici tractatores diuinitus illustrati, definiētes liberū humanæ naturæ arbitriū esse seruum peccati, vulneratū, captiuū, ipsumq; ita huic seruituti addictū, vt non possit suis viribus Domino sacrificare verā iustitiæ sacrificium, nisi leo, qui vicit de tribu Iuda Christus dirumpat huius seruitutis vincula, vt valeat cum propheta dicere, Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Hæretici autem improbi defensores liberi arbitrij hæresis suæ dogmata de natura, & de potestate, de actiuitate, de viribus humanæ voluntatis, haulerunt etiam ex præfatorum philosophorū doctrinis, nō ponentes vllam inter primum & secundum statum distinctionē, sed definiētes humanum genus ab initio esse conditū, quale nunc est, hoc solum dissidentes à gentiliū & paganorum sectis, quod Deum profitentur omnium rerum cōditorem, & tales nos esse cōditos, qui valeamus ex viribus nostræ voluntatis omni carere peccato, & Christum illius filium venisse in terras, & solum tradidisse nobis exempla viuendi iustitiæ atq; salutis dogmata, quibus cognitis ex solis viribus nostræ voluntatis possemus fieri iusti & idonei credere ex nobis, & in nobis facere fidem, qua vitam æternam. Contra hanc hæresim eiusq; varia dogmata disputabitur in hoc libro in gloriā gratiæ Dei redemptoris nostri, iustificātis nos gratis ex fide in sanguine suo, & ministrātis vires rectē operandi diffusa charitate in cordibus nostris per spiritum suum, cui salus nostra & redemptio tribuatur, ei que sit benedictio & claritas, & potestas, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo in secula seculorum. AMEN.

IOAN-

IOANNIS DRIE

DONIS A TVRNHOVT, SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORIS APUD LOUANIESES, DE GRATIA & LIBERO ARBITRIO, LIBER PRIMUS.

¶ Caput primum de hæresibus tribus circa gratiam & liberi arbitrij generalia quædam.

DE gratia & libero arbitrio, nec rectē sentire, nec salubriter, & liberē loquī quicquā, aut differere possumus, nisi totū ipsum quod rectē sentimus & salubriter differimus, Deus suæ gratiæ spiritu dederit, illuminās tenebras ignorantiae nostræ, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis, adiuuans quoq; imbecillitates nostras, vt valeamus & perseuerare in eo quod cœpimus. Rursus eiusdem gratiæ spiritus suo lumine nos ad rectē salubriterq;, & liberē de gratia sentiendū & differendum nō adiuuaret, si illic nihil liberum hominis arbitriū ageret. Non enim adiuuatur, nisi qui etiam aliquid operatur, quo fit, vt neq; gratia sine libero arbitrio sit statuenda, neq; liberum arbitriū ponendum sit posse sine gratia quicquam rectē sapere, intelligere, aut bene velle. Hæc autē intelligere qualiter fiant est eiusdem gratiæ opus. Atq; ita secundum canonicas scripturas, fidemq; orthodoxam & ecclesiasticorū patrum traditiones, ita Dei gratia est defendenda, vt nō negetur hominis liberum arbitrium. Ita rursus liberum arbitriū statuendum est, vt non tollatur Dei gratia. Quisquis igitur Dei gratiam & liberum arbitrium rectē intelligit, is in opere bono neutrum ab altero separat.

In opere bono gratia & liberum arbitrium ab invicem non separantur.

Quamobrē & iam olim ante mille annos, duæ fuerūt præcipuæ hæreses damnatæ ab ecclesiæ conciliis. Vna Manichæorū, altera Pelagianorū. Illa liberum arbitrium prorsus tollit, docens oriri nō posse malum nisi ex malo. Ista verò defendit liberi arbitrij potestatem ad vtramlibet partē, & ad bonum, & ad malum omnibus esse cōmūnem. Liberū arbitrium si prorsus negatur, inquit Hieronymus, Manichæorum secta cōstruitur. Ipsius verò libertas si omnino defendatur, hæresis cōsurgit Pelagiana. Quosdā, inquit Augustinus in epistola ad Valentiū, nimia voluntatis suæ diffidentia deiecit in negligentiam, quosdam verò nimia voluntatis suæ fiducia extulit in superbiā. Illi dicunt, vt quid conamur bene viuere, quod in solius Dei est voluntate. Isti dicunt, vt quid rogamus Deū ne vincamur tentatiōe, quod in nostra est potestate. Proinde & ista quæstio vbi de libero voluntatis arbitrio, & de gratia Dei disputatur, ita, inquit, est ad discernendum difficilis, vt quādo defenditur liberū arbitriū, Dei gratia negari videatur, quādo autē asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putatur auferri. Difficultas autē hæc inde nascitur, quod scriptura diuina aliquando ita loquitur, vt nihil videatur liberū arbitriū prodesse ad salutē, sed sola gratia totum facere, veluti cum dicit, Non est volentis, neq; currentis, sed Dei miserētis. Deus cuius vult miseretur, & quē vult indurat. Sicut lutū in manu figuli, inquit Dominus, ita vos in manu mea. Aliquādo verò scriptura ita loquitur, ac si tota nostra salus in nostra cōsistat voluntate, veluti cum dicit, Si volueritis & me audieritis, bona terræ comedetis, si nolueritis, gladius deuorabit vos. Item ante hominē bonū & malum vita & mors, quodcunq; voluerit dabitur illi.

Difficultas de gratia & libero arbitrio unde nascitur.

Hæc & id genus alia scripturæ sacræ testimonia, quæ inter se pugnant videntur sunt ex quibus gratiam simul cum libero arbitrio docet catholica fides defendere. Authoritas enim diuina in scripturis sacris nequaquam hominem, sic inquit Augustinus, admoneret, si nullam liberi iudicij rationem in homine cognosceret.

A iij Nec item

Nec item pro meritis bonis, aut malis singulis retribuere, si per liberum arbitrium nullum bonum vel malum homo faceret.

Rursus nec gratia scriptura commendaret tanquam necessariam ad salutem, si liberum arbitrium saluari, & bene operari, sine gratia Domini nostri Iesu Christi sufficeret.

Contra hanc autem ecclesiae doctrinam insanias suas docuerunt haereses duae iam supradictae, erroribus inter sese contrariis confligentes, dissimili sententia vanitate separati opinione diuersa, sed propinque mente peruersa. Vtrique, simul gratiam Christi oppugnant, redemptionem eius euacuant, sed modis, causisque diuersis, quamuis non utriusque, sed Manichaei soli liberum auferat arbitrium, afferentes naturam malam immutabiliter esse malam, id est, talem quae immutari nullo modo potest in bonum. Et idcirco non posse contingere, ut eadem sit hominis anima, eademque voluntas, quae nunc bene nunc male operetur. Harum duarum haeresium in diuersis suis scriptis meminerunt ecclesiastici patres, & praesertim Augustinus libro secundo contra duas epistolas Pelagianorum, & in alijs diuersis libris contra Manichaeos adit, Manichaei inquit, dicunt Deum bonum non esse omnium naturarum creatorem, Pelagiani dicunt Deum non esse omnium aetatum in hominibus mundatorem, liberatorem, & saluatorem. Fides autem catholica praedicat & Deum omnium rerum esse creatorem tam visibilibus & inuisibilibus, omnesque omnium aetatum homines indigere gratia Christi miserentis. Manichaei carnis concupiscentiam, non tanquam accidens vitium, sed tanquam naturam ab aeternitate malam vituperant. Pelagiani vero eam tanquam nullum sit vitium, sed naturale bonum a Deo conditore institutum, insuper laudant. At vero fides Christiana carnis concupiscentiam repugnantem legi mentis, docet esse accidens malum quod in hunc mundum intrauit per Adae peccatum. Manichaei negant homini bono ex libero arbitrio initium fuisse mali, Pelagiani dicunt hominem malum sufficiens habere liberum arbitrium ad faciendum praecipuum bonum, Fides autem catholica praedicat malum habuisse initium ex libero rationalis creaturae arbitrio, per quod homo factus malus, non potest rursus fieri bonus absque gratia Dei miserentis.

Conspicit autem Manichaeae haeresis in rebus esse duo principia prima inter se pugnaria. Duas, inquam, substantias seu naturas primas. Nam videlicet, ipsum primum bonum Deum, Alteram, ipsum primum malum, daemone appellans, docet utrumque horum principiorum suas proprias habere vires, suas actiones, sua opera, & officia. A natura mala deriuari omnes malignos spiritus, omniaque corruptibilia corpora, omnes mutationes, passionem, turbationes, lites, discordias, omnia animalia, serpentes, colubrum, corruptibilia insuper & elementa, timore quoque, perfidiam, concupiscentiam, praua desideria, & in vniuersum quicquid mali patiuntur homines. A summo autem bonitatis fonte omnia quae bona sunt originem trahere, utpote bonos spiritus, solem, stellas, aliaque superiora corpora incorruptibilia, & opera sancta.

Ex his omnibus contra gratiam & liberum arbitrium suas Manichaeus confinxit haereses, docens primum duas in homine esse animas, vnam a Deo bonam, quam dixit secundum naturam hoc esse, quod Deus est, eandemque esse quandam Dei portionem, seu ipsius diuinitatis particulam. Alteram vero esse animam secundum se malam, cuius non Deum, sed diabolus esse principium tradit. Deinde secundum huiusmodi duas quas docebat in homine animas, concludit & in eodem homine duas esse voluntates. Vnam esse malam animae voluntatem, secundum se malam, & idcirco incorrigibilem ac inemendabilem bono Deo contrariam. Alteram vero esse animae bonam voluntatem secundum se bonam, inuolabilem, & non contaminabilem, villo accidente vitio, addens humanam carnem, membra, ventrem, pudenda, non Dei, sed malae mentis esse officia, malorumque spirituum tabernacula,

bernacula, & idcirco horum membrorum desideria, concupiscentias diuinae voluntati contrarias inquit esse, non vllius creaturae, sed male mentis officia.

Ex his similibusque vesanijs ex scriptura sacra perperam intellectis, persuasit sibi non posse esse in homine vllam voluntatem liberam, quae eadem posset bene & male facere, atque ita non esse vllum hominis liberum arbitrium ad bonum, & ad malum, Sed vnam animam, vnamque voluntatem in homine esse naturaliter & immutabiliter bonam. Aliam vero esse naturaliter & immutabiliter malam, omnesque rationales omnium hominum animas esse quasdam diuinitatis particulas, commixtas quibusdam malae mentis portionibus, & ita peccatum fieri non libero rationalis animae arbitrio, sed malae mentis voluntate. Rationalem autem animam per solius naturae malae commixtionem inquinari, & habere peccatum, quasi quandam sibi adherentem terrestrem maculam, addens huiusmodi malam mentem, in qua peccati & carnis concupiscentia habitat, non esse accidens vitium, sed naturam malam, sic homini adhaerentem, ut ipsa quando homo liberatur atque purgatur, separetur ab ipso, & in sua etiam natura immortaliter viuat. Et quia carnem hominis secundum se malam asserbat, idcirco & resurrectionem carnis respuebat, docens Christum, qui in sua substantia fuerat bona natura, cui nihil fuerat mali commixtum, non habuisse verum, sed fantasticum corpus, non veram carnem, non veram membra, sed fantastica, & non verum, sed fallaciter natum, crucifixum, passum & mortuum, non verum surrexisse a mortuis, sed fantasma solum apparuisse. Ex Euangelij autem conuictis scripturas nouae legis corruptas ac deprauatas esse dixit his in locis, ubi suae positioni contrarium asseuerare viderentur, confingens sese esse & Apostolum Iesu Christi, & diuinorum librorum instauratorem, & per sese esse spiritum sanctum ad nos missum. Haecenus de Manichaeorum insanias, non solummodo orthodoxae fidei contrarijs, sed & contra omnem naturalem philosophiam, & probabilem rationem. Nec displiceat, quae lectori, quod prolixius forsitan recitauerimus huiusmodi vesanias, id enim ex industria studuimus facere, non tam ad destruendum, & reprobandum easdem, quam ad intelligendum scripturas sacras, eas praesertim, quas pro suis erroribus adseuerabat de carne concupiscente aduersus spiritum, & de malo habitante in carne, & id genus alias. Insuper & ad intelligendum, faciliusque penetrandum scripta antiquorum patrum de gratia & libero hominis arbitrio scribentium contra easdem insanias. Scripturae autem & argumenta, quibus ipse Manichaeus conabatur hos suos errores stabilire, infra latius sumus recitaturi & declaraturi, nullius esse roboris & momenti.

Ceterum iam de haeresi Pelagiana videamus, quae liberum hominis arbitrium ita defendit, ut iniuriam faciat diuinae gratiae miserentis, quam sanè haeresim succinctim Augustinus recitat in diuersis libris, & signanter in lib. de haeresibus. Ad quod vult Deum, cap. vltimo. Insuper & Beatus Prosper Augustini contemporani, sic eam in suis canonicis expressit. Hac tempestate, inquit, subintellige circiter annum Domini. r. supra quadringentesimum Pelagius Brito dogma sui nominis contra gratiam Christi Celestino & Iuliano adiutoribus exposuit, multosque in suum traxit errorem, praedicans vnumquemque ad iustitiam faciendam, gubernari propria voluntate, tantumque vnumquemque accipere quantum meruerit sua voluntate, addens Adae peccatum solum lesisse ipsum, nec obstrinxisse posteros illius, possibileque esse omnibus volentibus carere omni peccato, omnesque paruulos tam infantes nati, quam fuerit ante praeruaricationem primus homo, atque ita eosdem paruulos baptizandos esse, non ut ab villo peccato liberentur, sed ut sacramento adoptionis honorentur. Praeterea Augustinus & ceterique patres in concilio Carthaginiensi & Milenitano praesidentes, huiusmodi pestifera Pelagij dogmata ad Beatum Innocentium papam, sic retulerunt. Noua, inquit,

A iiij haeresis

Haeresis Manichaeae confingit duo principia bona.

Haeresis Manichaeae confingit duas animas, vnam bonam, vnam malam.

Manichaeus duas voluntates in homine asserit, vnam bonam, vnam malam.

De haeresi Pelagiana.

Pelagii errores.

hæresis quædam inimica gratiæ Christi, contra eiusdem Christi gratiam & ecclesiam conatur insurgere hominum improborum, qui tantam audent tribuere infirmitati humanæ potestatem, vt hoc solum contendant pertinere ad Dei gratiã, quod ea quæ in præteritum à nobis sunt malefacta, quæ & infecta facere non valemus, remittantur nobis præuenientibus Dei gratiam pœnitentibus, & credentibus libera volûtatis potestate. Super futuris autem cauendis, Dei gratiam in eo deputant, quod creati sumus cum libero arbitrio, & possibilitate non peccandi, qua per propriã voluntatem legem Dei possumus adimplere, siue naturaliter in corde scriptam, siue in literis datam, & eandẽ legem siue naturalem, siue scriptã, pertinere ad gratiam Dei, qui illam in adiutorium hominibus dedit, addentes, ad futura peccata cauenda, vincendas quoq; & demandas cupiditates, superandasq; tentationes, sufficere humanam voluntatem. Quæ sufficiens, inquit, est naturali possibilitate, omnia implere mandata, & prorsus viuere sine peccato. De præfatis autem patribus huiuscemodi doctrinæ authores arguuntur pro eo, quod nõ agnoscunt Dei miserentis gratiam illam, qua liberantur paruuli à peccato cum baptizantur, neq; eam qua iuuantur adulti iam iustificati, quib⁹ Deus secundum diuinitatis misericordiã suã dat virtutẽ, & robur in interiore homine. De qua prophete & Apostoli per omnem scripturę locum sunt loquuti. Idem August. in epistola ad Paulinum errores Pelagij succinctim perstrinxit, hoc modo. Adã siue peccasset, inquit Pelagius, siue nõ peccasset, moriturus erat, & peccatum eius nõ genus humanum, sed ipsum solum læsit. Infantes quoq; mox nati, in eo, inquit, sunt statu, in quo fuit Adam ante peccatum. Proinde & habent vitã quandã aternã extra regnum cœlorum, etiam etsi nõ baptizentur. Et gratia Dei, atq; adiutorium non ad singulos datur actus, sed in libero arbitrio lege atque doctrina est sita, si qua sit alia Dei gratia secundum merita nostra datur. Non possunt iusti vocari filij Dei, nisi omnino absq; peccato fuerint. Neq; enim liberum arbitrium, inquit, erit, si in operando indigeat Dei auxilio, & nõ sit in propria situm voluntate facere & non facere, vincere cupiditates, & nõ vincere. Petentibus, aiunt, dari veniam, nõ secundum gratiam, sed secundum meritum & laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerint, quibus misereatur Deus, largiens gratiã remissionis peccatorum, secundum merita ipsius voluntatis. Addunt, Diuites baptizatos, si quid boni visi fuerint facere, nõ posse tamen habere regnum Dei, nisi relinquunt omnia. Hactenus erronea Pelagij paradoxa ab Aug. in epistola ad Paulinũ, alijsq; in locis plurimis recitata, quæ & infra distinte magis in recitatione argumentorum & in solutionibus eorum explicabimus. Præter has duas, noua quædã Lutherana doctrina emerfit cõtra rectã & catholicã fidem, ita tribuens omnia diuinã gratiã, vt liberum prorsus tollat arbitrium, docēs ipsum solum esse rem de solo titulo, quæ solum sese habeat purẽ passiuẽ in omni opere bono, omniaq; ex necessitate absoluta euenire. Quæ sanẽ doctrina nec cum Pelagianis cõuenit, nec cũ Manichæis. Nõ quidẽ cum Pelagianis, qui prorsus liberum statuunt arbitrium, vt vini mediã æqua potestate veriantem inter bonum & malum. Nõ etiam cum Manichæis, qui negant eandem voluntatem posse esse nunc bonam, nunc malã. Isti autem statuunt eandem hominis voluntatem, atq; animam nunc bonam esse, nunc malã, quippe quæ nunc opera iusta, nunc iniusta in se suscipiat. Neq; hãc hæresim sibi recenter confinxit Lutherus. Nam & Augustinus cum adhuc viueret, & cõtra Pelagianam hæresim diuersos edidisset libros, erant in nonnullis monasterijs monachi, qui ad defendendã gratiã Christi ex scripturis sacris, & dogmatibus Aug. prauẽ intellectis, sic eandẽ gratiã conabãtur defendere, vt librũ prorsus negarēt arbitriũ, & dicere Deũ non redditurũ vnicuiq; secundũ opera sua, sed secundũ gratiã solum.

Quos

Quos & idem venerabilis pater Augustinus in epistola ad Valentinum docet & intruit tradēs orthodoxæ fidei regulam, secundum quam sint intelligendæ scripturæ sacræ, & sua ipsius scripta, quibus diuina gratia commendatur. Et quia sunt hoc nostro seculo calumniatores mendaces, qui afferunt diuum Augustinum tandem postquam gratiam Christi plenius intellexerat prorsus sustulisse liberũ hominis arbitrium. Primum recitemus illius epistolæ verba. De vestro monasterio, inquit, venerunt ad nos duo iuuenes Cresconius & Fœlix, qui nobis retulerunt monasterium vestrum nonnulla dissensione turbatum, eo quod quidam in vobis sic gratiam Dei prædicent, vt negēt hominis esse liberum arbitrium, & quod grauius est, dicentes in die iudicij Deum non esse redditurũ vnicuiq; secundũ opera eius, etiam tamen hoc iudicauerunt, quod plures vestri non ita sentiant, sed liberum arbitrium adiuuari fateãtur per Dei gratiam, vt recta sapiat & faciat homo, vt cum venerit Dominus reddere vnicuiq; secundum opera eius inueniat opera nostra bona, quæ præparauit, vt in illis ambularemus, hoc qui sentiunt, inquit Augustinus, bene sentiunt. Obsecro itaque vos fratres, sicut Corinthios obsecrauit Paulus, per nomen domini nostri Iesu Christi, vt id ipsum dicatis omnes, & nõ sint in vobis schismata, sed gratiam simul & liberum arbitrium fateamini. Primo suo aduẽtu Dominus noster Iesus Christus nõ venit vt iudicaret mundum, sed vt saluaret mundus per ipsum. Postea verò, sicut articulus fidei testatur, venturus est iudicare viuos & mortuos. Si ergo non est Dei gratia, quomodo seruat mundum? si non est liberum arbitrium, quomodo iudicat mundum? Proinde librũ meum, vel epistolam meam, inquit, in qua disputauim de gratia Dei secundum hãc fidem intelligite, vt neq; Dei gratiam negetis, neq; liberum sic defendatis arbitrium, vt ipsum à Dei gratia separetis, ita tamen vt gratiam Dei, qua iustificamur, firmiter credatis nobis dari non secundum merita nostra, sed gratis, non quia nullum est meritum vel bonum piorum, vel malum impiorum, alioqui quomodo scriptura passim testaretur Deum vnicuiq; in die iudicij redditurum secundũ opera eius, siue bona siue mala. Multum igitur vos rogo, vt eum à quo monachi vestri dicunt se turbatos ad me mittere non grauemini. Aut enim non intelligit librum meum de gratia differentem, aut fortẽ ipse nõ intelligitur quãdo difficilissimam quæstionem & paucis intelligibilem enodare conatur. Hactenus Augustini dogmata ex scripturis sacris, quibus manifestissimum est secundũ catholicę fidei regulã oportere vtrumq; tenere, & gratiam videlicet, & liberum hominis arbitrium, insuper & esse merita tam bona q̃ mala, secundũ quæ Deus vnumquemq; est iudicaturus, nulla tamen esse merita nostra, quib⁹ iustificari mereamur. Hæc autẽ generaliter præmissa sunt, quæ in sequẽtib⁹ Dei gratia adiuuante speciatim sum⁹ elucidaturi.

¶ *Caput secundum, in quo demonstratur quod de gratia & libero arbitrio differere non sit spinosum, id est, inutile & sine fructu, sed frugiferũ ac saluberrimum.*

EX his quæ dicta sunt in superiori capite manifestum est eos longẽ à doctrina Euangelicę fidei aberrare, qui docent disputationem de libero arbitrio esse spinosam magis, q̃ frugiferã. Nã si de libero arbitrio differere sit spinosum, erit igitur spinosum differere de gratia, & de iusto Dei iudicio: quia neq; iudiciũ Dei iustum & gratiã eius sine libero arbitrio, neq; item liberũ arbitriũ absq; cognitione iustitiæ & misericordiæ illi⁹ rectẽ possumus intelligere. De iusta condemnatione vniuersi generis humani per Adã peccatũ, de gratia item & misericordia impensa per Christum Dominũ, de iusto item iudicio Dei, qui iuxta certissimum fidei articulum venturus est reddere vnicuiq; secundum opera ei⁹, de misericordia insuper & gratia Dei per meritum Christi vnicuiq; credenti in ipsum remittētis ppria liberi arbitrij peccata, nemo rectẽ sentit, aut credit, nisi qui sese agnoscit

Hæresis tertia de gratia & libero arbitrio.

Vide resolutionem clarissimã de gratia & libero arbitrio in Epistola Augustini ad Valentinum.

De gratia & libero arbitrio differre in Christiana fide saluberrimum & necessarium.

agnoscit reum coram Deo esse factum ex libera voluntate, iramq; illius meruisse spontanea diuine legis transgressione, seq; nō posse ex hac ira liberari, nisi per gratiam miserentis Dei. Proinde nō modo utilis & frugifera est de libero arbitrio catholica fidei doctrina, sed & per omnem modū necessaria homini Christiano, vnicuiq; quidem pro suo modulo, & id quidem ad rectē intelligendum causam seu rationem in carnationis & passionis Domini nostri Iesu Christi, qua sanē passione non fuisse opus, si nō fuisset vllum malum liberi arbitrij meritum. Insuper & ad intelligendum causas damnationis dæmonum, qui facti sunt mali, nō à Deo conditore, sed à libera sua volūtate. Deinde & ad intelligendum scripturas, quibus dicitur, quod perditio nostra ex nobis sit & tantūmodo in Deo auxiliū salutis nostræ, & quod neq; peccatū, neq; mortem Deus fecerit, sed quod vtraq; hæc iuxta Pauli Apostoli doctrinam intrauerunt in mundum per vnum hominē peccantem, & quod in die iudicij cum illuminabūtur abscondita tenebrarum iuxta orthodoxam fidē, & certissima scripturæ testimonia Deus reddet vnicuiq; iuxta opera illius. Ceterū si nullum fuisset liberum rationis arbitrium homini datum, quo potuisset cognoscere præceptum & præceptorem, & de lege præceptis iudicare, ac discernere inter licitum & illicitum, nō magis lex per scripta daretur homini, q̄ beluis & animantibus ratione carentibus, quæ de his nō iudicāt, & ideo non peccant. Atq; ita si nullum fuisset liberum in homine arbitrium, nulla fuisset ei lex data, nulla fuisset legis trāsgressio, nullum peccatum, nullū iustum iudicium Dei vniuersum genus humanum in hanc vallem lachrymarum damnantis, propterea quod magis obedierit serpenti suggerenti, q̄ Deo creatori suo præcipiēti. Atq; ita fit, vt sublato libero arbitrio funditus fuerit euerfa totius religionis Christianæ doctrina. Adam ab initio creatus à Deo bonus, immortalis, ad imaginem & similitudinem eius, vt semper viueret, si accipiens legem, ne de ligno scientiæ boni & mali comederet, nō potuit aliter fecisse q̄ fecit, sed vel ex necessitate spontaneæ inclinationis naturalis rationalisq; appetitus, vel ex impulsu superioris potestatis à Deo cōditore suo defecerit, & in terrena defluerit, & ad consentiendū serpenti suggerēti ex necessitate quadam lapsus fuerit perinde atq; belua fertur in populū sensibili appetitu, aut perinde atq; homo ex necessitate deorsum labitur, dum aut agitatus naturali corporis pondere, aut præcipitatus, altero impellente ab altis fertur in imum, Cur post lapsum à facie Dei fugit? cur erubuit? cur tanq̄ reus culpam propriæ suæ voluntatis agnoscens sese abscondit. Si nō habuit à Deo præsidium, quo poterat in eo statu perseverare, in quo cōditus erat, cur post lapsum coarguit illum Deus? cur miseriam & mortem infixit, de paradiso eijciēs illum? Hæc sanē omnia indicant hominē libero suo arbitrio consensisse suggestioni serpentis. Atq; ita culpam tribuendam non conditori naturæ, sed voluntati præuaricatricis naturæ. Ex huiusmodi scripturis, cæterisq; similibus, venerabilis Augustinus in libro de correptione & gratia, cap. ii. planē asseruit Adam potuisse nō peccare, & nō cadere, ipsiusq; arbitrium tam liberum fuisse, vt bene velle posset & male, cuius & hoc iudicium est, q̄ ambo ipsi parētes nostri mox post lapsum reprehensi à Deo cur de ligno paradisi vetito comedissent, neq; protenderūt, neq; attulerunt vllam naturæ aut imbecillitatem, aut necessitatem seu impulsione, sed Deo interrogati, cur hoc fecistis, respōdit Adā, Mulier quā dediisti mihi sociā, dedit mihi de ligno & comedi. Mulier verò respōdit, serpens decepit me & comedi.

Respondit Deus Adæ. Quia audisti vocem vxoris tuæ & comidisti de ligno, de quo præceperā tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo. In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, spinas & tribulos germinabit tibi, donec reuertaris in terrā, de qua sumptus es. Mulieri quoq; dixit, multiplicabo erūnas tuas &

Si non fuisset liberū arbitrium nullum fuisset peccatum, neq; vllum Dei iudicium.

Libertum arbitrium in scripturis ostenditur.

tuas & conceptus tuos, in dolore paries filios. En habes Adam & Euam liberis suis voluntatibus fuisse legis diuinæ transgressores, eosdemq; habuisse a Deo sufficiens adiutorium, quo poterant permanere in bonitate, in innocentia & rectitudine, quam à Deo acceperant, quemadmodū declarauerunt sancti patres ex scripturis sacris, & signanter venerabilis Augustinus in libro de natura & gratia, in libro de gratia & libero arbitrio, & in libro de correptione & gratia, & in omnibus passim libris contra Celestium & Pelagiū aditis. Ceterū & post lapsum, quamuis homo, Deo vindicante peccatū, sit ex necessitate subiectus miseræ, mortalitati, & damnationi, nihilominus tamen retinuit arbitrium rationis liberæ, qua iudicat se dignē pro malæ vitæ actis hæc pati, & sese non posse ab his malis liberari, nisi Deus misereri voluerit. Atq; ita post lapsum, quamuis perierit libertas à miseria & peccato, & potestas absq; Dei miserentis gratia, iustē & bene viuendi, nequaquam tamen perijt vis liberi arbitrij, quo possumus etiam absq; gratia de multis liberē iudicare, multa facere & non facere, Deoq; adiuuante, ad accipiendam iustitiā & gratiam nos accōmodare, Deoq; vocanti liberē consentire, quemadmodū multis in locis ex scripturis sacris demonstrauerūt sancti patres, & præsertim venerabilis Aug. multis in locis. Nisi libero arbit. inq; intelligeremus, saperemus ac diiudicarem ea, quæ lex iubet, nō nobis in scripturis De⁹ illa præciperet, neq; diceret. Intelligite ergo q̄ insipientes estis in populo, & stulti aliquando sapite. Eo enim ipso, quo præceptum ac imperatū est, vt intelligam⁹ atq; sapiam⁹, obedientiā nostrā requirit Deus, quæ nulla potest esse sine libero arbitrio. Verūm homo si posset rectē intelligere, & salubriter quicq; sapere per liberū arbitriū, sine adiutorio gratiæ diuinæ, nō oraremus Deū, vt ipse daret intelligere & sapere, dicētes, Da mihi intellectū domine vt discā mādāta tua, neq; item in Euangelio scriptum esset, Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas. Habes de his doctrinam luculētā Augustini in duabus epistolis ad Valentinū, in epistola ad Sixtum, in epistola ad Vitalem Carthaginensē. Ex his igitur manifestū est, non esse spinosum aut inutile, sed frugiferum & saluberrimum de gratia & libero arbitrio disserere, tametsi sint, qui hanc materiam durissimē & inutiliter tractāt, referētes omnia quæ sunt, super hominum genus, aut ad nudam diuini beneplaciti voluntatem, aut ad liberam humanæ voluntatis potestatem, liberum hominis arbitrium sic prædicantes, vt diuinæ gratiæ qua vocamur ad fidem, & à nostris peccatis liberamur, & per quam bona merita comparamus, iniuriam faciunt, eamq; diminuant, multa etiam friuola ingerentes. De gratia Dei differere, inquit venerabilis Paulinus, iucundissimum simul est & saluberrimum. Cæcis enim & surdis quid potest esse iucundius gratia, qua & videant, & audiant Deum verum intus loquentem, cuius facies decora, & vox dulcis, & eloquia suauius super mel & fauam. Deinde quid infirmis salubrius medicina qua sanantur? quid captiuis & vincētis magis desyderabile liberatore, quo liberantur à vinculis? pigris & somnolentis quid vtilius gratia, qua excitentur, hilares fiant & alacres, vt seruiant Deo in gaudio cordisque latitia?

¶ Caput tertium, in quo generalia quedam statuuntur ad destruendum sapradictas hæreses.

IN hoc tertio capitulo superest præfatas hæreses duas & alias quasdam ex illis dependentes generalibus quibusdam medijs destruere, & manifestum facere liberum arbitrium per Dei gratiam non tolli, sed adiuuari, ipsumq; nunc bene, nunc male agere contra Manichæum & Lutherum, sed nihil boni agere absque auxilio diuinæ gratiæ contra Pelagiū. Sciendū est ergo Manichæorū hæresim, longo fuisse tēpore anteriore hæresi Pelagiana. Manichæi, inquit August. à quodam Persa

De heresi Manichæorum.

Perfa extiterunt, qui vocabatur Manin, vocatus antè Vrbicus, qui vt habes apud eundem Augustinum in retractationum libro primo, vetus respuens testamentū, in quo peccatum originale narratur, ex noui testamēti scripturis malè intellectis & deprauatis, suam hæresim promulgauit, & id quidem circa annum à natiuitate domini septuagesimum supra ducentefimum. De hac sic loquitur Eusebius libro septimo Ecclesiasticæ historiæ. Sub Felice, inquit, Romanæ sedis episcopo, Manes quidam secundum nomen suum insanians, & instinctu dæmonis agitatus, inuisam & execrabilem omnibus hæresim docet. Hic autem Manes gente Perfes, vita & moribus barbarus fuit, tam acer ingenio, vt insanire vel dæmone adimpleri videretur, nunc se formam Christi gerere conabatur ostendere, nunc paracletum esse, & ad similitudinem Christi duodecim discipulos à se electos ad prædicandum mittebat dogmata stulta, impiaq; à diuersis hæreticis iam pridè extinctis mutuata disseminat. Hæresis autem Pelagiana Ecclesiam Dei inuasit, dum Augustin⁹ scripturas sacras iam suis clarissimis interpretationib⁹ illustraret, cuius author fuit quidā nomine Pelagius monachus, qui teste Beato Prospero in chronicis suam hæresim promulgauit circa annum domini. 15. supra. 400. Hoc aut congruum fuit præmittere pro intellectu dogmatum ecclesiasticorum patrum. Nam hi qui scripserunt hoc temporis interuallo, anteq̄ videlicet contra Ecclesiā hæresis exurgeret Pelagiana, quales fuerunt celeberrimi patres Athanasius, Basilus, Chrysostronus, Gregorius Nazanzenus, Ambrosius, & Augustinus, in libris quos iam scripserat antequam Pelagius semina suæ hæresis cœpisset spargere, cum occurrebat interpretandus locus de gratia & potestate humanæ voluntatis, passim contra Manichæum liberum arbitrium commendarunt, vt hæresim destruerent Manichæi, cuius reliquæ permanserant in illa vsq; tempora. Proinde multas scripturas sacras interpretantes contra eandem hæresim, laudauerunt rationalem creaturam, à Deo conditam, & nō commemorantes diuinæ gratiæ opem, ita sunt loquuti, ac si credere & incipere, bene velle, fierent à natura humanæ voluntatis per semetipsam, dicētes, quod Dei est vocare, nostrum est vocanti Deo obedire, nostrum est incipere, illius perficere, nostrum est petere & credere, illi⁹ reuelare & annunciare ea, quæ sunt credenda, nostrum est bene velle, illius voluntatem dirigere, nostrum est rogare, pulsare, & querere, illius tribuere quod rogamus, aperire & ostendere id quod quærimus, nostrū est conari ad faciendum opera bona, illius consummare. Homines non rectè intelligentes huiusmodi sententias ecclesiasticorum patrum doctentium supradicta opera esse simpliciter nostra, nō commemorato vllius gratiæ adiutorio, arbitrantur quod nostrum sit ista facere sine gratia. Quod si esset verum, sequeretur initium salutis nostræ ex nobis esse, quod falsum esse ostendit verbum Saluatoris dicentis, Sine me nihil potestis facere. At contra, dum tractu temporis noua inciperet Pelagij hæresis suboriri, hæresi Manichæi cōtraria, ita defendens liberū arbitrium, vt iniuriam faceret diuinæ gratiæ, docens Christum non esse omnium hominum ab inferno liberatorem, & hominem nunc ex viribus naturæ à conditore Deo semel acceptis, posse incipere voluntatem habere bonam, & bene viuere. Sacræ theologiæ interpretes passim contra Pelagium Dei gratiam commendantes, paucissima & solum transeuntes commemorarunt de liberi arbitrij natura, potestate & viribus, referentes omnis boni operis causam actiuam ad Dei gratiam omnia bona in nobis operantem, asserentes quod & incipere & credere, atque assentire Euangelio, & bene velle, & rogare, & pulsare, & id genus cætera, sint in nobis dona Dei, facientis nos hæc facere ex liberis nostris voluntatibus. Huius consideratione venerabilis Augustinus, quemadmodum & iam supra citauimus ex libro quarto

contra

contra Iulianum. Ista quæstio, inquit, vbi de arbitrio voluntatis, & de gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, vt quando defenditur liberum arbitrium, negari gratia Dei videatur, quando autè asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri. Et proinde spiritus sanctus præuidens duas huiusmodi hæreses suo tempore, sathana instigatè, suboritur, in scripturis sacris tribuit bene velle, & bona facere, nunc humanæ voluntati, nunc soli diuinæ gratiæ. Nā dum admonet, arguit, & hortatur hominem, vt credat Euangelio, vt velit hoc, nolit illud, vt incipiat hoc, & respuat illud, vt corde ad Deum redeat, vt Deum pro gratia impetranda oret & pulset, vt Deo vocanti obediat, futuram tunc hæresim destruit Manichæi, apertè insinuans non esse aliquam in homine mentem secundum se & immutabiliter bonam, quæ videlicet necessariò secundum substantiam habeat voluntates bonas & opera bona. Neque item aliam esse in homine mentem secundum se, & immutabiliter malam, sed eandem esse animam, eandemque liberam voluntatem, quæ nunc bona faciat, nunc mala, nunc bene viuat, nunc malè. Proinde Pelagiani arbitrati sunt antecessores ecclesiæ patres, vt Basilium, Athanasium, Chrysostronum, Ambrosium, Augustinū voluisse suam ipsorum tenere sententiam in his libris & scripturæ locis, quos cōtra Manichæos adduxerant. Deinde & ipsis quoque Pelagianis visum erat, quod Augustinus suas ipsorum defenderet sententias, præsertim in libris tribus de libero arbitrio conscriptis. In quibus sanè libris multa pro defensione liberi arbitrij dixit Augustinus contra Manichæum, ostendens, quod in nostra voluntate sit situm, vt vel fruamur, vel careamus vero bono. Et quod nihil est tā in potestate nostra, quā ipsa volūtas, & quod neminè cogit natura sua vt peccet in eo quod cauere nullo modo potest. In his & similibus propositionibus, quia gratia Dei commemorata non est, putant pelagiani, inquit Augustinus, nos suam tenuisse sententiā, sed frustra id putant. Voluntas quippe est qua quisq; & peccat, qua & rectè viuunt. Verūm ex se peccat, quisquis peccat, à sua concupiscentia abstractus & illectus. Rectè autem velle non potest, nisi fuerit auxilio fidei, spei, aut charitatis iustificatus, ductusque assidue. Proinde arrogantes huius seculi homines cōtemnentes venerandam patrum antiquitatem, arbitantes Ireneum, Tertullianum, Basilium, Athanasium, Ambrosium, Chrysostronum, liberum defendentes arbitrium, non rectè sensisse de gratia diuina, miserabili cæcitate falluntur. Opera præteritum est igitur aduertere patres istos antequam hæresis exurgeret Pelagiana, curam gessisse præcipuam, vt hæresim extinguerent eorum, qui duo ponebatur rerum principia, quam hæresim post Irenei, & Tertulliani secula conatus est defendere Manichæus, contra quem scribentes patres sancti, præsertim Chrysostronus in multis locis plus satis videtur libero tribuisse arbitrio, ipsum sic defendēs, vt Pelagiani minus rectè intelligentes, putauerint illum suam ipsorum tenuisse sententiam. Verūm quod non rectè id putare valeat, sed ipsum Chrysostronum rectissimè de gratia & libero arbitrio sensisse manifestum erit, si multa eiusdem Chrysostroni dogmata adinuicem conferamus, & ea quoq; in medium adducamus, in quibus gratiam Dei, simul cum libero arbitrio commendauit, quod ex multis doctrinis eiusdem infra sumus ostensuri. Verūm nunc sufficiat, vnum eius locum adducere super epistolam ad Timotheum homilia octaua, tractātis illud Apostoli, Ab infantia sacras literas nosti, vbi dicens se de gratia & libero arbitrio tradere normam & regulam, sub qua quis periclitari non potest, sic loquitur pro defensione gratiæ simul & liberi arbitrij. Dei opera inquit, inuestigari nō possunt, hoc solum scito, quod Deus omnia præuidet, quod liberi arbitrij conditi sumus, quod alia quædam operatur, alia quædam præmittit, & quod nihil

Ex voluntate sua quisq; bene uiuit, & peccat.

B mali

mali vult fieri, & quod nō ex sola voluntate illius fiunt omnia, sed ex nostra quoque, sed mala omnia ex nostra tantummodo, bona omnia simul ex nostra voluntate, & ipsius Dei adiutorio, quod nihil ipsum latet, non tamen idcirco omnia operatur ipse sciens, quæ sunt bona, quæ mala, quæ media. Bonum est virtus, nequitia malum. Media verò diuitiæ, paupertas, vita, mors. Cùm ista didiceris, adde quod ideo premuntur iusti, vt coronentur: peccatores verò vt pœnas exoluant. Non tamen omnes peccatores hic pœnas dant, ne in resurrectione plerique non credant, non omnes vexantur iusti, ne malum putes esse laudabile. Hæc tibi sit regula, hæc norma, sub ipsa molire quod vis, & periclitari non poteris.

De gratia & libero arb. regula fidei à Chryso- stomo data, sub qua periclitari nō possumus.

Hæc Chryso- stomi sententia de gratia & libero arbitrio, quæ prorsus est conformis doctrinæ fidei, & ecclesiæ, quemadmodum supra diximus, infra dicturi latius.

Secundò sciendum est, quod Augustinus cum ab adolescentia esset à parentibus in religione Christiana imbutus, tandè annos ferme Manichæorum tenebris obcæcatus. De quo in epistola ad Honoratum sic ait capite primo, Nosti, inquit, Honorate me in opinionem hominum Manichæorum incidisse non ob aliam causam, nisi quod dicebant mira, & simplici ratione eos, qui se audire vellent introducturos ad Deum, & errore omni liberatos. Quid enim aliud cogeant me, sprete religione Christiana, quæ mihi puerulo à parentibus fuit imita, annos ferme nouem sequi illos homines, ac diligenter audire, nisi quod cerent fidem nos ante rationem imperare, se autem nullum premere ad fidem, nisi prius discussa, & enodata veritate. Quis nō his pollicitationibus alliceretur, præsertim adolescentis animus veri cupidus, etiam in nonnullorum hominum doctorum schola & disputationibus garrulus, & superbus, qualè me illi tunc inuenerunt. Fuerunt autem duæ causæ, quæ me præcipuè sic ludificauit, tanto annorum numero in erroribus detinuerunt, quæ maximè illam ætatem capiunt.

August. nonem annos Manichæos, duobus ex causis ludificatus.

Quarum vna erat familiaritas nimia. Altera, inquit, erat quod quædam noxia victoria penè semper in disputationibus proueniebat mihi disputanti cum Christianis imperitis, fidem suam defendere molientibus. Hactenus Augustinus de semetipso. Verum ipse diuina fauente misericordia, precibus & prædicationibus beati Ambrosij episcopi tandem ad religionem Christianam fidem reuocatus, mox de libero arbitrio tres conscripsit libros, in quibus Manichæorum insanias prorsus iugulat validissimis scripturæ testimonijs, ostendens Deum esse omnium naturarum conditorem, & malum esse à libero voluntatis arbitrio, dæmones quoque conditos fuisse à Deo bonos, propria autem voluntate peccantes, factos esse malos, atque ita non esse vllam naturam ab æterno malam à malitia sua immutabilem, quæ sit omnis mali, tam pœnæ, quam culpæ causa & origo. Quemadmodum autem iam olim ipsi Manichæi dicentes carnis membra, non Dei, sed diaboli esse opificia, ludificabant adolescentulorum animos, simplicemque populum ea occasione, quod semetipsos commendant, cæteris sprete, dicebant se mira & simplici ratione docturos veritatem, & ab omni errore liberatos vnumquemlibet, qui eos audire vellet. Ita & hoc nostro seculo tumultuante improba nouorum hæreticorum secta adolescentulorum animos, simplicemque populum prorsus ludificat hac occasione, quod pollicentur se mera, & simplici ratione introducere homines in veritatem Christianæ fidei, in gratiam Christi & charitatem, in dilectionem, fingentes se humiles, cum tamè nihil minus sunt homines superbiæ typo inflati, qui se solos magnificat, qui ecclesiasticos patres, & sanctos viros eruditissimos ab exordio nascentis ecclesiæ calumniosos tractat vaniloquijs, contemnentes interpretationem scripturarum & sententiæ, quas veneranda nobis tradidit antiquitas. Quæadmodum Manichæi dicebant se nō velle inducere quemque

in

in suam ipsorum sententiam, nisi prius (vt Augustinus inquit) discussa, & enodata veritate, contemnentes ob id Christianam ecclesiam, quæ fidem ante rationem exigebat, ita & huius seculi vesani homines ecclesiam contemnunt, rationes exigunt, suasque hæreses rationibus cōvinci volunt, & rationibus datis cedere nolunt, arbitantes se super omnes sapere, quibus pro ratione sufficere deberet vniuersalis ecclesiæ sententia & doctrina seruata iam olim à patribus sibi inuicem ad hæc vsque tempora succedentibus. Neque enim necessarium est, vt contra eum qui hæresim iam damnatam sequitur noua prodeat sententia. Alioqui si liceat reuocare in dubium testimonium ecclesiæ, quæ consistit in successione patrum ab exordio ad hæc vsque tempora, vacillat omnis scripturæ sacræ & Euangelij autoritas. Neque enim est alia via probandi scripturas canonicas, esse verorum prophetarum & Apostolorum scripta, nisi quia tota Christianorum schola ab exordio ad hæc vsque tempora sic docuit. Adeo vt August. dicat, Ego Euangelio non crederem, nisi me ecclesiæ commoueret autoritas. Ecclesiam intelligens nō homines solum Christianos, qui nūc sunt, sed & omnes qui sunt & fuerunt ab initio. Ecclesia quæ nunc est, eadem est in fide, religione, & doctrinis, cum ea quæ fuit temporibus Bernardi. Ea item quæ tempore Bernardi extitit, eandem fidei sententias, de gratia & libero arbitrio cæterisque rebus, quas negant seculi huius hæretici, credidit, docuit, & prædicauit, sicuti docuerat ecclesia, quæ erat ætate Augustini & Hieronymi. Deinde quemadmodum impius Manichæus, reiectis suorum prædecessorum dogmatibus, dicebat se Apostolum esse Iesu Christi, in se loqui spiritum Dei, scripturasque sacræ à prædecessoribus deprauatas, à se debere restitui.

Ita & nūc infelix hæc secta, dicit suæ hæresis authorem ac ducem esse alterum Danielem ex cælis missum, ad dandas nouas doctrinas catholicas, & ad reformandū prædecessorum sententias. Vnde & ipse in libro de seruo arbitrio contra Erasmi scripto, doctrinam suam nouam, qua prorsus negat liberum arbitriū, bona opera, & merita sanctorum, aliaque multa, ita testatur sese omnia asserere immobili animo, vt penes nullum velit esse iudicium, contemnens omnium patrum venerandam antiquitatem, ab hinc mille quadringentis annis custoditam per vniuersum orbem Christianum, affirmans etiam, etsi patres sanctissimi per vniuersum orbem contrarium asseruerint, sese nihilominus vnà cū Hus, Vviclef, cæterisque eorum cōplices olim exultis, immobili & inuictō animo velle in suis sententijs persistere, neque cessandum esse à prædicatione illius suæ doctrinæ, etiam etsi totus mundus non solum conflicari, sed tumultuari deberet. Attendite obsecro vniuersi populi, quis vnquam audiuit maiorem hominis arrogantiæ. Videte an hoc sit humiliter & sapienter secundū Dei spiritum ambulare, & sobriè sapere, cōtemnere sententias, quas omnes ecclesiastici patres ab exordio nascētis ecclesiæ, ad hæc vsque tempora, quasi vno ore & vno spiritu vniformiter docuerunt, innixi doctrinis scripturarū, & irrefragabilibus scripturis sacris, quas ipse Lutherus aliorum, & ad sensus alios detorquet, quæ hactenus tradiderunt omnium patrum ætates.

Huiuscemodi hominis furias atque insanias (coram Deo loquor) cùm primitus legerem, arbitrabar neminem etiam quantumlibet idiotam Christiana fide imbutū, in fide sua hactenus à patribus custodita, tã esse vacillatis animi, vt noua hæc vnius Lutheri cū suis cōplices dogmata præferret sententijs totius ecclesiæ, omniumque sanctorum patrum testimonijs. Sed hæc missa faciētes, oremus vt illuminet Deus oculos eius. Sciendum est tertio, quod August. quatuor præcipuos scripsit libros, liberum arbitriū & gratiæ cōcernentes, cōtra quadruplices hæreses suo tēpore de gratia & libero arbitrio seminat. Primū librum, vt iam patuit, scripsit de libero arbitrio, diuisum in particulares libros tres contra Manichæos, qui liberum arbi-

B ij trium

Tam Manichæi
quàm Pelagiani
Dei gratiam
tollunt.

trium euacuabant. Secundum scripsit de natura & gratia, contra eos, qui vt naturam hominis, liberumq; arbitrium defenderent, circa Dei gratiam errauerunt, veluti sunt Pelagiani. Vtriq; igitur tam Manichæi, quàm Pelagiani tollunt Dei gratiam. Vnde Hieronymus ad Telsiphoné, in libro primo aduersus Pelagianos, Manichæus, inquit, & talem asserit naturâ esse malâ, quæ immutari nullo modo possit. Proinde & liberum aufert arbitriû, & Dei tollit adiutorium. Tertium librum scripsit de gratia & libero arbitrio, contra eos, qui vt gratiam defenderet, liberum tollebant hominis arbitrium, non sic tamen quemadmodum Manichæus. Postremum verò librum scripsit de correptione & gratia, contra eos, qui p gratia Dei statuenda putauerunt non esse corripiendos eos, qui malè operantur, sed duntaxat orandum esse pro ipsis. Primi generis videlicet Manichæi fuerunt heretici, qui cum sua peccata suis liberis deberent imputare voluntatibus, naturam suam falsò accusantes, per illam sese excusare conabantur, dicentes peccata non fieri libero rationalis animæ arbitrio, sed ex natura mala, quæ immutari nullo modo potest, quæ & rationali animæ commixta, necessariò facit eam habere peccata. Hac autem hæresi per ecclesiasticos patres, Origenem, Athanasium, Basilium, Ioannem Chrysol. Gregorium Nazanzenum, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, reprobata luculentissimis scripturæ testimonijs, ostensoq; sufficienter, q; Deus bonus sit omnium rerum, naturarum conditor, & q; eadem sit natura ab initio sine vitio condita, quæ propria voluntate, liberoq; arbitrio facta est mala, prodijt hæresis Pelagiana. Secundi generis heretici, vtpote Pelagiani, nimium laudantes humanam naturam, dixerunt quidè peccatum subortu esse à natura bona, libero rationalis creaturæ arbitrio, sed ex hoc q; nemo debet suam accusare naturam, aut contra suum indignari conditorem, sed suam potius quisque debeat accusare voluntatè, arbitrantur consequens esse, quemlibet hominè per viam liberæ suæ voluntatis posse, si velit omni carere peccato, & omnia adimplere mandata, ignorantes per Adæ peccatum totam naturam humanâ factam esse captiuâ, & in deterius mutatam, perdidisse à peccato libertatè. Hi sunt Pelagiani inimici gratiæ Christi, qui confidunt in virtute sua, creatori nostro quodammodo dicunt, Tu nos fecisti homines, ipsi autem nos fecimus iustos, addentes naturam humanam liberam, tamq; fortem ac valentè, quæ suis viribus in origine creationis acceptis, possit per liberum arbitrium, nihil vterius adiuuante gratia illius qui creauit, domare & extinguere cupiditates, tentationesq; superare. Sacras autem scripturas, in quibus legimus sanctos non fuisse sine peccato, veluti cum dicitur, Nemo mundus est à sordè, etiam si vnus Diei fuerit vita eius super terram. Item non est homo in terra qui bene faciat, & non peccet. Item Ioannes Apostolus, Si dixerimus, quia peccatum non habemus, veritas in nobis non est. Ceterâque huiusmodi scripturas dicunt huic sententiæ suæ non obuiare. Loquuntur enim, inquit, huiusmodi scripturæ de esse, & nò esse, nò de posse esse, & nò posse esse. Significantur, inquit, huiusmodi scripturis, homines non esse sine peccato, sed non significantur homines non posse esse sine peccato. Possunt, inquit Pelagius, omnes homines in hac vita sine peccato viuere si volunt. Proinde enim & homines culpabiles fiunt, quia potuerunt nò habere peccata. Nam si idcirco peccatores sunt homines, quia aliud esse non potuerant, culpa igitur carent. Augustinus còtra huiusmodi hæresim varios scripsit libros, & signanter præfatû librum de natura & gratia, in quo defendit efficacissimis scripturis sacris, omnes homines necessitate quadam esse peccato obnoxios, & esse natura irè filios, & gratiam non esse contra naturam, neque aduersari naturæ, sed esse per quam natura liberatur, liberata adiuuatur & regitur. Humana natura, quæ facta est per Adæ pecca-

Pelagius dixit
omnes homines
in hac vita posse
se viuere sine
peccato si noluerit.

peccatum cæca, infirma, & languida, primitus fuit inculcata, & sine vlllo vitio còdita. At verò natura, in qua nunc vnusquisque ex Adam nascitur, iam liberatore indiget, quia captiua est, medico indiget, quia infirma est, & non sana est, duce ac protectore indiget, quia iam sanata adhuc imbecillis est, & vnicus inter medios hostium cuneos. Et proinde omnia bona quæ habet in sui formatione homo, vitam, sensus, & mentem, à summo habet Deo creatore & artifice suo. Vitium verò quod ista naturalia bona contenebrat & infirmat, vt illuminatione & curatiõe opus habeat, nò ab inculpabili artifice est factum, sed ex peccato, quod commissum est libero primi hominis arbitrio est contractum. Tertij generis còtra ecclesiam catholicam hæretici, strennuè quidem defenderunt Dei gratiam in homine omnium bonorum operum operatricem, sed liberum abstulerunt hominis arbitrium, putantes gratiam omnia bona in nobis operantem, simul cù libero arbitrio stare non posse. Contra quos Augustinus scripsit librum, quem intitulauit, De gratia & libero arbitrio, in quo probat per Dei gratiam, quâ scriptura commendat, neque negari, neque auferri liberum hominis arbitrium, sed per eandem Dei gratiam in operationibus bonis adiuuari, & tandem perfici. Reuelauit enim, inquit, nobis Deus per scripturas sanctas esse in homine liberu voluntatis arbitrium. Primum quidem. Nam ipsa diuina præcepta homini non prodesse, nisi haberet liberum volutatis arbitrium. Vbi cumque enim in scripturis sacris ad aliquid faciendum, vel non faciendum opus voluntatis exigitur, factis liberum demonstratur arbitrium. Quamuis autem non oporteat consequens esse, si Deus exigit opus aliquod à nobis, quòd ergo possumus rectè illud facere ex nobis, vti que tamen consequens est, nos posse illud facere ex libero nostro arbitrio: possumus, inquam, Dei gratia iustificati & adiuti. Nam ad hoc gratia Saluatoris hominem adiuuat, vt homo eadem gratia suffulè, libera voluntate Deo seruiat, & bona opera faciat. Nemo ergo Deum causetur in corde suo, sed sibi imputet quisq; cum peccat, aut male operatur. Nemo enim cù bene & secundu Deu aliquid operatur, alienet hæc à propria voluntate, sed voluntariè, hilari, ac spontanea voluntate faciat, quicquid facit boni, vt cù propheta dicere posset, Voluntariè sacrificabo tibi, ne forte si faciat aut inuitus, aut ex timore, mercedem perdat boni operis. Hæc & id genus similia sunt Augustini argumenta ibidem, de quibus infra latius. Quarti generis homines circa Dei gratiam, liberumq; arbitrium errantes, cum supradictis hæreticis conueniunt, qui dixerunt quidem omnia opera bona esse in libero arbitrio Dei dona, sed falluntur dum ex hoc putant consequens esse, homines non obseruantes præcepta non esse arguendos, aut corripiendos, sed orandum esse duntaxat pro ipsis, vt Deus operetur in ipsis bonam voluntatem, bonam operationem & motum. Cur vos corripitis nos, inquit, si non fecerimus ea quæ præcepta sunt, & non potius Deum rogatis, vt operetur in nobis bene velle, & bene operari: hos redarguit Augustinus in lib. de correptione, docens & corripiendos esse homines, vt peccare desistat, & orandum pro eis, vt Deus faciat eos bene velle, & à peccato cessare. Deus enim est, qui facit hominem iusta, liberaque voluntate bene facere. Huius hæresis reliquias imitantur noui hæretici, qui ecclesiam Dei turbant, dicentes, liberum arbitrium nil agere boni, sed esse rem de solo titulo. Quamuis autem talis hac in re doctrina non sit hæresi Manichæorum eadem. Docet nempe eadem animam à Deo conditam, nunc bona in se suscipere, nunc mala, quod Manichæus negat, ponens in homine duas contrarias animas, partim tamen conuenit cum Manichæorum secta, dum docet hominem nihil agere liberè, sed ex necessitate aboluta, aut pati, atq; suscipere actiones, electiones, volitiones, & motus siue bonos,

Deus, inquit Augustinus, reuelauit in scripturis liberu esse hominis arbitrium.

De quibusdam errantibus, qui putabant propter gratiam omnia bona operantè, peccatores non esse corripiendos, sed solum pro ipsis orandum esse.

siue malos, & id quidem propter diuinam præscientiam infallibilem, diuinamq; voluntatem immutabilem, quos venerabilis Augustinus in præfato libro de correptione & gratia ex scripturis sacris sufficienter redarguit, docēs verū quidem esse iā post Adē lapsū, hominē nō habere liberum arbitriū ad bene iusteq; operandum, nisi natura fuerit sanata, iustificata, remissionē peccatorū assequuta per Dei gratiam. Attamē homo iā gratia iustificatus ita adiuuatur, vt liberē etiā agat bene. In bonis enim operibus agūtur homines, nō vt ipsi, inquit Aug. nihil agāt, sed vt & ipsi etiam aliquid agant. Aguntur enim, vt agant, quemadmodū languidus, qui ducitur per viā ita agitur, vt etiam agat. Non enim dixit propheta, ego faciam vt vos nihil faciatis: sed ego, inquit, faciam vt vos faciatis. Facite vobis cornoum, Facite, inquit Saluator, arborem bonam, & fructū eius bonum. Deinde & in eodem libro liquide commonstrat primos nostros parentes, & angelos ante lapsū habuisse sufficiens adiutorium, quo poterant nō peccare, & non deferere bonum quod acceperant. Potuit, inquit, primus homo non peccare, potuit non deferere bonum, potuit non mori, ad quod demonstrandum vitur hoc communi argumēto. Si vel angelo, vel primo homini defuisset adiutorium, sine quo nō potuissent permanere & itare, nō vtiq; sua culpa cecidissent. Hęc ille ca. ii.

En habes studiose lector Augustinum strenuissimum diuinæ gratiæ defensorē, elucidatorēque clarissimum, ita liberum defendisse arbitrium, vt ex infallibilitate diuinæ præscientiæ ac voluntatis illius immutabilitate, planē crediderit non esse consequens, vel hominem, vel angelum non potuisse aliter fecisse, quā fecerit. Sed de his latius in libro de diuina prouidentia, & in libro de concordia liberi arbitrii & prædestinationis diuinæ. Cæterū fuerunt & alij quidam errantes, qui aliqua in parte sectatores Pelagianæ prauitatis docuerūt quosdam homines miraculose conuerti, & illos bonæ voluntatis principium habere non posse sine adiutorio gratiæ Dei. Quemadmodum patet in persecutore Paulo, & in Matthæo Publicano, quorum vnus cruori ac supplicij impiorum, alter violētis ac rapinis publicis incubans, attrahitur ad salutē. In vtriusq; bonæ voluntatis principia fuerunt ex Dei gratia inspirata. Quosdā verō cōuertit per vim naturalem liberi arbitrii, & istos ex desiderio suo vim quandā regnis cœlestibus inferētes, specialia vocationis monita præuenire. Hoc manifestum esse putāt in Zachæo & latrone, qui per vim liberi arbitrii id fecerāt, qđ alij nō nisi Deo cooperante potuerunt facere. Hunc errorē recitat beatus Prosper cōtra Cassianū in li. de protectiōe diuinæ gratiæ, quā & reprobāt ibidē ex irrefragabilibus scripturis. Christus in Euāgelio loquitur, Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eū. Et rursus, Sine me nihil potestis facere. Deus est saluator omnium hominum. Proinde qui illuxit ac inspirauit in corde Matthæi publicani, & Pauli ecclesiā tunc persequentis, ipse in corde Zachæi, & in corde latronis illuxit, operās omnia in omnibus. Est rursus cōtra Dei gratiā, & liberum hominis arbitrium alia quædā hæresis, quæ nec cōcordat cum Manichæis, nec cum Pelagianis. Et hæc est Mathematicorum, dicentium voluntates nostras necessitate quadā agi, ac duci stellarum violētis potestatibus, cœlestiūq; influxibus perinde atq; bestiarū appetitus. Nulla vis alia, inquit, nullum peccati meritum, nulla deorum voluntas, sed sola fati necessitas hominē gubernat, De⁹ sic omnia fieri permittit, vt singula quæ fragilis & caduca cōsuevit ferre mortalitas fato! & cursibus perficiatur stellarū, facientiu alterationē in hominum corporib⁹ & animab⁹, vt nō solum bonorū operū mali exit⁹, & malorū prosperi euentus, nocentiūq; securitas, verū & omne qđ facimus, oēsq; actus nostri sint siti in fati & cœlestiū causarū potestate. Hęc hæresim refutat Aug. in li. de ciuitate Dei. Eundemq; errorē destruit nō modō theologorum, verum

Dei præsentia infallibilis non impediēbat liberū primum hominis arbitrium, quod poterat nō peccare.

Conuersio quædā miraculosa.

Hæresis Mathematicorum omnia arbitriū fati

verum & omnium probatissimorum schola, dicentiū causas superiores, neq; cogere neq; necessitate dare libero arbitrio. Neq; enim superior causa facit liberū arbitriū facere aliquid, aut operari, perinde atq; grauitas lapidis necessitate inclinationis facit lapidē ad inferiora ferri, sed facit voluntatē liberē velle, & ita in liberi arbitrii potestate sitū est cedere fato, & non cedere. Vnde & philosophus quidam præcepit. Ne tu, inquit, augeas fatum. i. superioris causæ influxum.

¶ Quartum caput ad recte intelligendum loquutiones scripturarum, & dogmatum ecclesiasticorum, quibus vel liberum arbitrium commonstratur, vel Dei gratia commendatur.

Quod in hac materia de gratia & libero arbitrio fallere solet nouellos sacre theologiæ studiosos, est quod in plerisq; scripturæ sacre locis, & multis ecclesiasticorum patrum dogmatib⁹, opera bona passim tribuuntur potestati humanæ voluntatis, vel exiguntur ab illa non commemorata vlla Dei gratia. In alijs verō locis omnia tribuuntur diuinæ gratiæ, aut voluntati beneplaciti eius, non commemoratis, imo potius reiectis viribus humanæ voluntatis. Ne quispiā igitur ex huiuscemodi loquutionibus in alterutrā partem fallatur, ne putet, vel propter gratiam nō posse esse liberum arbitrium, vel propter liberum arbitrium gratiam non posse defendi, obseruanda est venerabilis patris Augustini regula in scripturis sacris, dum opera bona, vel exiguntur ab homine, vel tribuuntur homini tacita Dei gratia non intelligitur exclusa, sed intellecta. Cum verō bona tribuuntur diuinæ voluntati, aut gratiæ tacita voluntate humana, ipsa voluntas hominis in operibus bonis non intelligitur esse aliena ab actione & operatione, quamuis & nonnulla Deus operetur in nobis sine nobis per gratiam suam præuenientē vocās, excitans, & charismata sancti spiritus humano peccatori infundens. Et ideo dum contra Manichæos disputatio suscipitur, nō est improbādum si quispiā dixerit nos natura & voluntate nostra bene viuere. Natura & voluntate nostra, nos Deū super omnia diligere, natura enim in Deū credimus, & in filium eius lesū. Natura bene operamur, libera volūtate nostra facimus omnia bona quæ facimus. Natura, in quā, & voluntate diuinitus sanata, excitata, & adiuta fide, operante ex charitate. Ad illum quoq; intellectum loquutus est Apost. ad Rom. Gentes quæ legē non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, neq; enim est alia natura qua credimus, cōcupiscimus, & operamur bona: alia qua cōcupiscimus, & operamur mala. Hoc etiam apud August. & ecclesiasticos patres sæpenu-mero inuenies actus videlicet fidei, spei, & charitatis naturæ nostræ, voluntatiq; nostræ tributa esse. Nostrum, inquit Augustinus, est credere, nostrū est incipere, & bene velle, nostrum est rogare, petere, pulsare, & querere. Nostrum, in quā, id est naturæ nostræ & volūtatis nostræ non per semetipsam, sed per Dei virtutem excitatē, illustratē, atque adiutæ. Hęc est irrefragabilis Aug. doctrina lib. i. retract., cap. 15. vbi tractans illud, quod in libro de duabus animabus dixerat, videlicet propterea corporalia diligendo peccamus, quia spiritualia diligere & iustitiam diligere iubemur, & natura possumus. Vbi quæri potest, inquit Augustinus, Cur natura & non gratia potius dixerim. Respondet. Contra Manichæos, inquit, de natura questio versabatur. Natura enim sanata & adiuta per gratiā id potest, quod vitata, & nondum sanata facere nō potest. Vnde propositiones ex quibus Pelagiani putabāt Augustinum suā ipsorū tenuisse sententiā, recitat idē Aug. in libro retracta. & sunt huiusmodi. In nostra, inquit, voluntate constitutum est, vt vel fruamur, vel caream⁹ vero bono. Quid enim tam in nostra voluntate, quā ipsa voluntas est sita. Voluntate, inquit, meremur beatam vitam, voluntate etiam meremur turpē, miserāq; vitā. Quisquis recte & honeste vult viuere, si id se velle præsu-

Aug. libro primo retractationum.

Nostrū est credere, bene velle & bene viuere.

Aug. primo retractationis capite nono.

præ fugacibus rebus velit, tanta facilitate id assequitur, vt nihil aliud quam velle ipsum sit ei habere quod voluit. Homo in quantum homo, bonum quoddam est, quia rectè viuere cum vult, potest. Nihil aliud in potestate nostra esse dicimus, nisi id quod facimus cum volumus. Quapropter nihil est tam in potestate nostra, quam ipsa voluntas, ea enim nullo interuallo mox vt volumus, præsto est. Item neminem cogit natura sua vt peccet, Nemo enim peccat inuitus, nemo enim peccat in eo, quod cauere nullo modo potest, voluntas quippe est, qua quisquam & peccat, & rectè viuunt. Hęc & huiusmodi sunt Augustini sententię, quas in primo libro retractationum, capite .9. retractat, non tanquam falsas, sed tanquam tales, in quibus Pelagiani arbitrantur, quod Augustinus ipsorum voluerit defendere sententiã. Sed frustra, inquit Augustinus, id putat, Voluntas quippe est, qua quisq; & peccat, & bene viuunt. Veruntamen voluntas bene viuere non potest, nisi diuina gratia præueniente fuerit homo regeneratus, aut iustificatus, & hoc gratis, id est, non ex operibus iustitię, quę fecimus nos, sed secundum Dei misericordiam.

Contra Manichæos igitur, dum suscipitur disputatio, non est necessarium inculcare multa de gratia Dei, sed oportet commemorare testimonia & argumenta, quibus ostendatur naturam, & liberam voluntatem esse, qua rectè viuimus, & bene operamur, quemadmodum ait propheta, Voluntariè sacrificabo tibi. Et iterum, Ex voluntate mea confitebor ei. Item, Si volueritis & audieritis me, bona terrę comedetis. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Econtrariò verò, dum contra Pelagianos disputatio suscipitur, non est necessarium multa dicere de natura & libero arbitrio, quam & ipsi Pelagiani errantes, nimis, commendat, sed oportet commemorare gratiam, quę facit hominem rectè viuere, & bene operari. In quibuscunq; ergo libris ecclesiastici patres contra duas Manichæorum naturas sunt loquuti, multa pro defensione naturę & liberi arbitrii attulerunt, ostendentes eandem esse naturam & voluntatem, quę nunc bona operatur, Deo adiuuante, nunc mala ex libera voluntatis potestate, solum ex transcurso commemorantes Dei gratiam. In quibus verò contra Pelagium scripserunt multa pro defensione gratię attulerunt, ostendentes omnem hominem per Adę peccatum nasci impium & non posse boni quicquam agere, nisi Dei gratia iustificetur, & iustificatum non posse in bona voluntate permanere, nisi quotidianis auxilijs inter tot & tantas huius vitę tentationes adiuuetur, vt in bono quod cępit perseueret, solum ex transcurso commemorantes potestatem humanę voluntatis, quam Pelagius ipse cum iniuria diuinę gratię conabatur defendere. In quibus verò libris simul de gratia & natura sunt loquuti, contra vtramque hęresim differuerunt, vtrumque & gratiam videlicet & liberum arbitrium suis limitibus definierunt. Liberum hominis arbitrium, si ita statuatur, vt negetur gratia, Christus non erit saluator mundi, item gratia si sic defendatur, vt tollatur liberum hominis arbitrium, Deus non erit iudex mundi, neque veniet reddere vniciquę secundum opera eius. Hęc est Augustini ratiocinatio passim in omnibus libris suis defendentis liberum arbitrium simul cum gratia Dei & præuenientis & subsequenti. Signanter autem in epistola ad Valentinum, vbi pro regula catholicę fidei inuolabiliter obseruanda iubet libros suos & epistolas suas etiam de prædestinatione sanctorum secundum hanc fidem esse intelligendas, vt neque negemus Dei gratiam, neque ita liberum defendamus arbitrium, vt ipsum à Dei gratia separemus. Hęc si attendere voluissent noui heretici iniuriosi censores ecclesiasticorum patrum, non in dignè eorum dogmata contempnissent, sed gratiam simul cum libero arbitrio defendissent. Atque ita patet neque nouas seu recentes esse huiusmodi hęreses, quemadmodum testatur Augustinus

Si non esset liberum arbitrium, nõ esset Dei iudicium secundum uniuscuiusque opera.

Augustinus

Augustinus in eadem epistola ad Valentinum. Quidam in vobis, inquit, gratiam Dei ita prædicant, vt negent liberum hominis arbitrium, quidam verò liberum arbitrium sic defendunt, vt in bono opere à gratia Dei ipsum separent. Proinde spiritus sanctus in scripturis sacris præuidens duas huiusmodi hęreses suo tempore, instigante sathana, suboritur, bene velle, & bene operari, interdum tribuit hominis voluntati, ita loquens, quasi totum relictum sit in nostra voluntate.

Interdum verò soli diuinę gratię de via impiorum, & gratia, sic loquens, quasi liberum arbitrium prorsus tollendum sit & desperandum de iniquis hominibus. Sed absit, inquit Augustinus, scriptura enim in locis huiusmodi Dei gratiam commendauit, vt doceat liberum arbitrium per seipsum nihil boni facere, & Dei gratiam esse non solum, qua bene viuere discimus, sed etiam qua iuuamur, vt bene viuamus, quia omnis homo ex Adam nascitur irę filius, Deo inimicus, & idcirco nemo bene viuunt, nisi præuentus miserentis Dei sapientia sanatus fuerit, dicente scriptura. Sapientia .9. Per sapientiam sanati sunt, quicumque tibi placuerunt ab initio. Proinde in scriptura Deus cum admonet, corripit, arguit, hortatur homines vt velint hoc, nolint illud, vt amplectantur hoc, respuant illud, vt corde ad Deum redeant, vt quiescant agere peruersa, vt declinent à malo, & faciant bona, vt quærant, orent, pulsent, hæc, inquam, & id genus alia bonę vitę opera in scripturis Deo exigēs, hęresim destruit Manich. apertè insinuās, q; rectè credere, & bona incipere velle, & orare, ac rectè viuere, sint nostrę & non alienę naturę officia, & quod nostrę volūtatis sit declinare à malo & bonū facere. Eadē autē scriptura cū oīa bona opera tribuit diuinę gratię, dicēs Deū oīa facere, & hominē nihil esse, veluti cū dicitur, Neq; qui plātat est aliquid, &c. Item, Nō est volentis, neq; currentis, sed Dei miserentis. Sicut lutū in manu figuli, ita & vos in manu mea, dicit Dominus. gratiã Dei voluit cōmēdare, cōtra Pelag. apertè insinuans hominē nihil boni ex se. i. ex suis viribus absq; gratia posse incipere. Quia oīs homo ex se est pditioni & peccato obnoxius, Deo inimic⁹, & filius irę, & idcirco nihil potest facere Deo gratū aut placitū, nisi gratia illius à seruitute peccati liberetur, recōcilietur Deo, & iã recōciliatus, deinceps ad rectè viuendū adiuuetur. Quis vnq; negauit in manu. i. in potestate Dei esse, ex homine vili & peccatore formare hominē sanctū & iustū, Deūq; magis habere in sua potestate voluntates hominū, q; ipsi suas. Sed Deus ipse secundū consiliū suę sapientię, volens declarare suã iustitiã simul & misericordiã, nō facit in singulis hominibus oīa quę potest facere. Alios ppria voluntate peccantes, iusto suo iudicio deferit aut rapit de medio impenitētes, Alios gratuita sua misericordia liberat ac saluat. Et ad illum intellectum loquitur Paulus, Deus cuius vult miseretur, & quem vult indurat. An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam. Homo iam ex se per peccatum factus vas contumelię, filius irę, non potest rursus ex suis viribus sese facere vas honoris, & filium adoptionis, sed Deus qui sua voluntate misereri dignatur, hæc operatur, Sicuti homo potest seipsum occidere, non potest autem cum fuerit occisus viuificare sese. Hunc quoque sensum declarauit Augustinus in Enchiridio capite .30. docens hominem primum malè vtentem libero arbitrio, & sese perdidisse, & ipsum intelligēs primum hominem perdidisse liberum arbitrium, secundū libertatē bene ac iustè viuendi absq; gratia Christi miserētis, eūq; absq; gratia illa subiectum esse durę necessitati habendi peccatum, hancq; necessitatem esse tam grandē, vt etiã homo iam per Christū Deo reconciliatus, non possit in hac vita prorsus viuere purus, mūdus, & immaculat⁹ ab omni macula peccati, sed nō inde sequitur Augustinus docere p Adę peccatū de humano genere liberū arbitriū perisse. Nam

Omnia opera bona tribuenda sunt diuinę gratię, nõ sic tamē quia ipsa sunt humane voluntatis opera.

talem

*Liberū arbitrii
non perit.*

talem intellectum ipse refellit in suis passim scripturis, & presertim libro primo contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 2. Nemo, inquit, nostrū dicit, quod per peccatum primi hominis liberū perierit arbitriū de humano genere, perijt quidem libertas à miseria & à peccato, quæ fuit in paradiso libertas quædā habendi plenā cum immortalitate iustitiæ, sed non perijt liberum arbitrium vsq; adeo, vt per illud peccent quotquot peccant. Hactenus ille. Manet semper liberum arbitrium tã ante peccatum, q̄ post peccatū idē & sub gratia constitutū, sed per peccatū fit miserum sub ira Dei, damnationi obnoxium, per gratiā Christi ab hac ira & damnatione rursus liberatur, bonaq; merita sibi cōparat, qua valeat peruenire ad vitam æternam, super quibus meritis, liberiq; arbitrij consistentia, vide Augustinum in libro de gratia & libero arbitrio, capite. 1. & 2. & in epistolis ad Valentinum, alijsq; locis innumeris. Falluntur huius temporis hæretici, dum ex scripturis sacris libertatem à peccato, & libertatem à miseria nolunt distinguere à potētia, quam liberum vocamus arbitrium, non animaduertentes etiam discrimen inter statum innocentie, & statum naturæ humanæ iam lapsæ.

*Liberū Adæ
arbitriū ante lap-
sum, nō indige-
bat gratia Chri-
sti miserentis,
aut ad succēdū
tentationes ad-
iuuantis.*

Liberum arbitrium ante lapsum poterat ex gratia accepta bene viuere, & nō peccare vnquam. Et idcirco non indigebat tum gratia Christi miserentis, & ad pugnandum ac vincendum adiuuantis. Iam autem post lapsum factum est miserum seruituti peccati & damnationis obnoxium, à quibus malis non potest liberari, nisi per gratiam Christi redimentis. Hæc sunt sanè fidei documenta, hactenus per vniuersum orbem Christianum custodita & tradita ab vniuersis ecclesiæ patribus, à quibus nemo, nisi qui prorsus voluerit à fide Christi esse apostata & alienus vnquam præsumpsit deuiare. Ipse quoque Martinus Luther, dum primum inciperet sua zizania in ecclesiam spargere, quamuis reiecerit recentiorum doctorum, vt Thomæ, Scoti, Bonauenturæ, cæterorumque recentiorum interpretationes ac scripta insectans & tractans eisdem calumniosis vaniloquijs, visus tamen est ecclesiasticos patres, Ireneum, Cyprianum, Hilarium, Athanasium, Basilium, Chrysostrum, Hieronymum, Augustinum, Ambrosium, cæterosque sibi inuicem succedentes venerari, quos & semper ab initio venerata est antiquitas. Et potuisset forsitan disputans de abusibus quibusdam zelus illius vtunque tolerari, propter intolerabiles errores in ecclesia ex huiuscemodi rebus tum contingentes, nisi ad alia fidei dogmata, ecclesiæque sacramenta confutanda pertinaciter declinasset, luceque clara constitisset illum posteaquam se testimonij sanctorum victum nouerat cum arrogantiā & contemptu, & iniuria sanctorum patrum semper in deteriora proficere. Ex quo conijci poterat ab initio non fuisse ex Deo illius spiritum. Omnibus vna intentio hæreticis, inquit Bernardus, semper fuit captare gloriam de singularitate scientiæ. Deinde correptus fræquenter tum à paterna sanctissimi domini Leonis sollicitudine, à beatissimi Adriani mansuetudine, tum à Casaria maiestate, alijsque pluribus admonitionibus præuijs ipse sibi sifus, cōtumelias adiecit cōtumelijs. Vidēsque sentētias omnium patrū contra sui vnus capituli sentētiam pugnare, in tantā deuēnit audaciam, vt adducta contra se ecclesiasticorū patrum Ambr. August. Hierony. cæterorūq; antiquissimorum dogmata nō modo negare præsumperit, sed etiā iniurijs, ac cōtumelijs affecterit animositate superba obuiās eisdem etiā in huiuscemodi rebus, in quibus quasi vno ore, vno spiritu sunt loquuti sancti Dei homines, & tanquam spiritus euāgelicæ veritatis remāserit in eo solo, sibiq; adherētibus, ad hoc tandē deuēnit vt contēneret totius ecclesiæ & generalium conciliorum authoritatē, destruens etiā veritates ex scripturis sacris manifestissimas, quas ab exordio nascēntis ecclesiæ ad hæc vsq; tempora Christiana ecclesia ex eisdem scripturis semper intellexit,

intellexit, quas & fides eiisdē ecclesiæ per successionē patrum seruauit incontaminatas. Ille peculiaris (si credimus Paulo Apostolo) est hominum circa fidē reproborum mos & consuetudo, vt in deterius proficiant semper, & errantes, & cæteros quos possunt, in errorem ducentes. Ad videndum igitur absurditates erroris huius, quem de gratia & libero arbitrio seminauit arroganter & pertinaciter docens liberum arbitrium rem esse de solo titulo, nihil agere, nullaque esse sanctorum merita. Sciendum est eundem pro huiuscemodi suo errore stabiliendo, aliquot sibi iecisse fundamenta. Primum ex scripturis sacris, quæ per omnem passum locum docent hominem gratis iustificari, gratis inquam. i. non ex debito, non ex operum meritis, sed ex fide, quæ Dei donum est, & Deum operari in nobis bene velle, & bene operari, & nō esse volentis aut currentis hominis, sic vel sic viuere, sed omnia ex Dei gratia pendere. Et Cyprianum, Augustinum cæterosque doctores ita ex scripturis sacris sensisse, vt Deo totum sit dandum, & nostrum sit nihil. Alterum iecit fundamentum ex diuina præscientia, diuinaque voluntate infallibili & immutabili, ex qua putat consequens esse omnia ex necessitate absoluta euenire, atq; ita liberum arbitrium nihil esse, nullaq; esse iustorum hominum merita. Tertium iecit fundamentum ex captiuitate & seruitute, ex vinculis, ex morbis, & vulneribus, ex cæcitate, & infirmitate, quæ intrauerunt in vniuersum genus humanum per Adæ peccatum. Ex quibus putat necessariò concludendum esse liberum arbit. nihil boni posse. Nam homo si absq; meritis iustificatur, & omnia bona opera si Deo sint tribuenda, & non possit homo cōtra Dei præscientiam & voluntatem immutabilem quicquā agere, si etiam per Adæ peccatum factus seruus, captiuus, lapsus in foueam mortis & damnationis, ex quibus malis ipse sese non potest suis viribus eripere, necessariò videtur concludendum esse, hominem non esse liberum in operando. Sed huiuscemodi consequentias prorsus esse inualidas, & inefficaces, in libro de seruo, captiuo, & libero arbitrio. Item in libro de concordia liberi arbitrij & prædestinationis diuine demonstrabitur. Cum enim omnia non possint simul in vno loco explicari, singula suis locis reseruamus declaranda. Nunc autem ad supradictas consequentias inualidas sufficiat scire neminem vnquam catholicorum doctorum tam fuisse stupidi ingenij, aut peruersæ sententiæ, vt crederet liberum arbitrium propterea appellari liberum, quod posset vel agere quicquam contra diuinæ voluntatis efficaciam, vel facere quodlibet absq; nutu, motione, & efficacia eiisdē voluntatis diuine siue in bono opere, siue in malo. Hoc ipsum enim nouerunt omnes Christiani etiam furem & latronem non posse absque concursu & actione diuinæ voluntatis extendere membra ad furandum, aut ad occidendum hominem. Sed neque posse incipere velle, aut habere vllum internum motum contra beneplacitum diuinæ voluntatis, quemadmodum Deo iubete neq; ignis vrit. Quomodo enim esset Deus omnipotens, si nos possemus incipere agere, aut velle quicquam cōtra suum beneplacitum. Deinde quomodo ipse esset omnium rerum, omnium essentiarum, omnium qualitatum, omnium accidentium, omnium visibilium, & inuisibilium creator, conditor, & conseruator, si aliquid entitatis esset, cuius ipse causa efficiens non esset. Neque oportet si Deus sit causa efficiens, actus, actionis, seu motus aut interni aut externi, qui peccatū est, quod ergo Deus peccet, sicuti non rectè colligimus, si dixerimus. Deus est causa mortis aut tristitiæ nostræ, aut comestionis, ergo Deus moritur, tristatur, comedit, aut bibit. Et quemadmodum bonus scriptor operans, vel per atramentum fluidum, vel in papyro fluida, vel per calamū ineptū, est causa bonitatis, si que reluceat ex arte in scriptura illa, sed nō est causa deformitatis, aut maculæ in op^o illud scriptū p^o deūtis. Hæc nepe oritur

*Deus omnium rerum
est causa efficiens
causa.*

*Deus quantum
sit causa prauis
actus non tamē
peccat.*

non

non quia scriptor male scripsit, sed quia vel papyrus, in qua scripsit, vitiata erat, vel calamus ineptus fuit. Sic Deus cum operatur per liberum arbitrium fluidum ac fugitium à Deo, est quidem causa actionis, & entitatis ex libero arbitrio proceduntis, sed non est causa deformitatis, secundum quam liberum arbitrium deuiat, aut deficit à regula diuine voluntatis. Hæc quia egent altioris inquisitionis, in libris sequentibus declarabuntur latius. Patet igitur liberum arbitrium dici non propterea, quia ex se non suffultus vilius superioris potestatis gubernaculo possit aliquid agere. Sed propterea dicimus liberum appellari arbitrium quia per illud rationalis spiritus sub diuina prouidentia suauiter gubernante liber est in deliberando, in iudicando, & consentiendo, ac prosequendo illud, quod ex libero iudicio propter finem aliquem est definitum, quamuis alia sit libertas in Deo, qua absque discursu ac deliberatione ipse vnico, & immobili actu nouit & operatur omnia pro sue sapientie voluntate, non tractus vlla inclinationis necessitate.

¶ Secundus huius libri tractatus, in quo distinctim recitatur rationibus, & argumentis reprobantur, ac confutantur errores Pelagij iniuriam facientis diuine gratie.

CAP. I.

Recitatur distinctim Pelagij errores de gratia Dei.

Quatenus Christianus quisque & presertim sacerdotes, quorum est & amare scientiam scripturarum & operam dare ut intelligant Psal. Euangelium, Paulinasque epistolas, & agnoscant gratiam, & misericordiam sibi factam imbecillitatesque virium suarum, & miseriam, captiuitatem & seruitutem, quibus, si non habeant spiritum Christi, subiiciuntur, & errores huiusmodi valeant euitare, & ambulare coram Deo in vera humilitate ac gratiarum actione, non erit inutile Pelagij contra Dei gratiam insanias ex fontibus philosophorum & sapientum huius seculi desumptas speciatim recitare. Ut autem iuuare labores studiosorum, collegimus easdem hæreses in propositionibus duabus, quarum vna explicat errores de officijs diuine gratie & de liberi arbitrii viribus ac potestate bene operandi. Altera explicat errores eius de originali peccato, & de malis ex peccato ad se super humanum genus descendentibus.

Recensentur errores Pelagij enarrantis Christi gratiam.

Prima igitur propositio est. Pelagius gratiam dixit esse tum remissionem peccatorum acceptam ex merito voluntatis penitentis, tum possibilitatem liberi arbitrii indifferentem, tam ad bonum, quam ad malum naturaliter homini cuiuslibet insitam, tum legis cognitionem, tum Euangelij, salutisque æternæ reuelationem, tum adiutorium, quo accedente & peccata facilius vitantur & mandata adimplentur facilius. Quatenus autem has Pelagij hæreses facilius reprehendas, ac fugias, scire debes, quod omnis gratia, aut est super præteritis peccatis remittendis, aut super futuris peccatis cauendis, aut super liberatione à damnationis vinculo, aut super salutis via, atque æterna vita consequenda. Hæc enim sunt mala, in quæ Adam peccando detruxit vniuersam naturam humanam, videlicet esse obnoxium peccato, esse reum damnationis vinculi, impotentia vitandi peccata, amissio æternæ vitæ. Et in singulis horum Pelagius definiens gratiam suos habet errores. Super commissis peccatis remittendis dixit remissionem peccatorum fieri ex merito voluntatis credentis, & penitentis per liberi arbitrii vires. Super peccatis autem cauendis sufficere dixit legis cognitionem, & liberi arbitrii possibilitatem naturaliter insitam. Super via autem salutis, & vitæ æternæ assequenda, dixit quemlibet sibi Euangelio annunciatum posse ex viribus liberi arbitrii peruenire ad fidem, qua viam cognoscit & ambulat ad æternam vitam. Posuit igitur Pelagius Dei gratiam esse possibilitatem peccandi & non peccandi à creatore insitam, quæ Christianis, atque paganis, pijs atque impijs existimat esse communem, defendens Deum suæ gratie auxilio adiuuare huiusmodi possibilitatem, non ipsam

ipsam voluntatem, non actionem. Declarans autem quonam modo adiuuet possibilitatem. Adiuuat, inquit possibilitatem, Deus vocando, instruendo, dando legem, viam salutis demonstrando. Gratiam autem Dei, quæ neque est cognitio legis, neque naturalis liberi arbitrii ratio ad hoc tantum valere dixit, ut præterita peccata remittantur, non ut futura vitentur. Pro huiusmodi erroribus, Pelagius increpatus à fratribus eatenus cesit admonitioni, ut non excluderet diuini auxilij utilitatem, sed diceret quoddam esse diuine gratie auxilium, quod non necessarium, inquit, sed vtile solum est ad facilius seruandum mandata, & facilius vitandum peccata. Planè docēs hominē absque gratie auxilio voluntate posse seruare mandata, & posse vitare peccata licet difficilius. Atque ita errores Pelagij consequentes ex propositione supradicta sunt præcipui. Gratia Christi est possibilitas naturalis non bis insita, qua libera voluntate facimus, quod volumus, siue bonum, siue malum, vel cognitio legis monstrantis, quid sit faciendum, & reuelatio aut prædicatio Euangelij ostendentis viam per quam ambulare, & ad finem usque peruenire valeamus. Gratia enim Dei, inquit, quamuis adiuuet possibilitatem, faciens Euangelium prædicari, non facit tamen in nobis opera bona. Neque enim Deus facit nos, inquit, rectè credere, bene velle, & ex voluntate bona operari bene, sed scriptura idcirco tribuit illa, inquit, diuino muneri, quia nos operamur ea ex potestate diuinitus accepta, videlicet ex libero arbitrio nobis præstito, præsertim prædicatione, aut reuelatione Euangelij forinsecus nobis inquit facta. Et adiciens ad hoc inquit, ut quispiam credat Euangelium, seu fidem habeat in Christum saluatorem sufficit, quod Christus & Euangelium prædicetur illi. Potest nempe vis humanæ voluntatis per seipsam, inquit, Euangelio prædicato assentire, & dissentire. Ita ad hoc, inquit, ut quispiam faciat opera bona, & diuina adimpleat mandata sufficit cognitio legis, & scientia mandatorum Dei, Habita scientia legis, potest homo pie, inquit, viuere, & iuste, omniaque mandata implere viribus suæ voluntatis, & ex merito suæ voluntatis remissionem consequi peccatorum. Qui iam, inquit, remissionem peccatorum, & fidem Christianam est assequutus, is potest per solas naturæ vires quemadmodum cepit perseuerare, omnibus tentationibus resistere, & prorsus, si velit viuere sine peccato. Atque ita iusti, inquit, & sancti in hac vita post acceptam semel remissionem peccatorum viuere potuerunt prorsus sine peccato. Huius Pelagij discipuli Iulianus & Cælestius cæteri que auditores docebant gentiles & paganos homines alienos à fide, in lege naturæ posse omnia peccata vitare, rectè viuere, & facere opera Deo grata & placentia, quibus mereantur, aut remissionem peccatorum, aut diuinæ gratie opitulationem. Deinde Pelagius pluries increpatus, quod gratiam tolleret saluatoris, suam hæresim sub hoc moderamine declarauit. Quamuis gratia Christi saluatoris ad hoc, inquit, necessaria sit, ut peccata commissa nobis remittantur, non tamen est necessaria, ut peccata futura vitemus, nec ad hoc ut bonam voluntatem, bonumque propositum in nobis faciamus. Sola gratia, inquit, remissionis peccatorum non datur secundum merita bonorum operum, quia ante hanc gratiam nihil bene, inquit, operatur homo, sed per ipsam incipit homo bene operari. Vtique tamen potest homo ante gratiam incipere bene velle, & ita peccatorum remissio datur, inquit, secundum meritum bonæ voluntatis antecedentis, penitentis, & se ad Deum conuertētis. Præcedit bona voluntas credētis, & secundum hoc bonæ voluntatis meritum gratia datur remissionis peccatorum. Peccatis autem remissis non amplius, inquit, operatur in homine Deus. Quemadmodum enim medicus homini, quem iam sanauit, deinceps non cooperatur, sed homo ipse iam sanatus suis ambulat viribus, medico nihil operante. Ita & Deus semel data, inquit, liberi arbitrii potestate, finit omnem hominē iam iustificatum secundum suæ voluntatis

Pelagij hæreses aperit atque declarat.

luntatis arbitrium agere siue bonū siue malum. Et ita semel nobis datā operandi potestate, Deus cessat, inquit, Pelagius, ab operando. Quemadmodum enim in cæteris, inquit, creaturis conditionis naturalis ordo seruatur, vt proprios finantur agere motus, sic concessa semel liberi arbitrij potestate, Deus sinit hominem agere quodcumque voluerit siue bonum siue malum. Ex huiuscemodi autem suos errores teste Aug. declarat Pelagius, tria cōstituens, & distinguens, quib⁹ dicit hominem posse & iuste viuere, & diuina mādata implere, possibilitatē, voluntatem, seu volitionem, qua vult esse iustus, operationem, qua iuste viuit seu iustus efficitur. Horum trium primum, id est, possibilitatem bene operandi confitetur esse datum à cōditore naturæ, nec esse in nostra potestate, sed eam nos habere etiā si nolumus. Duo verò reliqua nostra esse, inquit, Tria, inquit, sic distinguimus, & velut in ordinem digesta partimur. Primo loco posse statuimus, secundo loco velle, tertio esse iustū, seu operari posse in natura velle, in arbitrio esse, in effectu locamus. Primum, hoc est posse, ad Deum pertinet, qui illud naturæ suæ rationali contulit, gratisq; donauit, vt posset liberè peccare, & nō peccare. Duo verò reliqua, videlicet bene velle, & esse iustum, ad hominem sunt referenda, quia de arbitrij fonte descendunt. Deinde in bene (inquit) operādi possibilitate, nō est homini meritum, sed in volūtate bona, & in omni opere bono laus est hominis, imo hominis & Dei, qui ipsius voluntatis, & operis possibilitatem dedit. Quod possumus omne bonum aut cogitare, aut dicere aut facere, est illius qui hoc posse donauit. Quod aut bonum cogitamus, loquimur, aut facimus, nostrum est, quia hoc fit liberi nostri arbitrij viribus, quas etiā in malum vertere possumus. Deinde exemplo faciēs huiusmodi suam doctrinam clariorem, quoniam pacto opinetur Deum adiunare possibilitatem operandi, sed nō facere operationem. Adiuuat Deus naturalem, inquit, arbitrij possibilitatem, dum vel docet ea quæ faciēda sunt, credenda, aut speranda, vel præstat auxilium, quo facilius adimplere possumus ea quæ præcipiuntur. Adiuuat dum cordis nostri oculos aperit, dū nobis ne præsentibus occupemur futura demōstrat, dum diaboli tollit insidias, dum nos multiformi & ineffabili dono cœlestis gratiæ illuminat. Quisquis, inquit, Pelagius, gratiā Dei sic confitetur, is liberum arbitrium & gratiā rectè cōfiteretur. Huiusmodi autem esse Pelagij sententias fideliter recitatas, patet ex Aug. in diuersis libris cōtra Pelagiū gēditis. Secunda propositio, in qua recitantur hæreses pelagij de originali peccato, & de malis inde prouenientibus est. Infantes, inquit Pelagius, nascuntur in eo statu, in quo fuisse nati ex Adam etiā non peccante, nō obnoxij peccato, nec in Dei ira constituti, innocentia pleni, & idcirco, inquit, infantes sunt baptizādi, nō vt à peccato, aut à potestate diaboli liberentur, sed vt in regnum Dei admittantur. Nam peccatum Adæ inquit, ipsum solum læsit, & nō genus humanum corporali morte, moriturus etiā erat Adam simul & vniuersum genus humanū, & si Adā nō peccasset. Cōcupiscētia carnis repugnās legi naturæ, insuper & mors ipsa omnisq; in hac vita hominis mortalitas sunt, inquit, nō supplicia primariæ culpæ, sed conditiones naturæ. Hacten⁹ Pelagij hæreses, superest iam supradictas hæreses destrui.

¶ *Caput secundum, in quo ad refutandum supradictas Pelagij hæreses collectas in propositione prima superius posita, declaratur quid appellatione gratiæ designetur, & ex scripturis sacris demonstrantur omnia opera bona esse gratuita Dei dona.*

Huius capitis pars prima de significatione vocabuli gratiæ.

Nemo bene Deo gratias agit, qui ea quæ à Deo donata sunt sibi non agnoscit. Quatenus igitur sciamus beneficia, quæ à Deo donata sunt nobis per Christum Dominum, dignasq; pro modulo nostro valeamus Deo gratias agere, reliquum

reliquū est supradictas hæreses Pelagij recitatas in propositione priori ex scripturis sacris destruere, quib⁹ destructis elucidata fiēt ipsius gratiæ beneficia. Veruntamen ne vocabulorū ignoratijs fallamur, opere præteritū est primū explanare, quid designetur nōie gratiæ, quæ contra supbos liberi arbitrij, presumptores defenditur.

Primum igitur sciendum est, quod gratia nomen sortitur gratiæ, duplici ex ratione. Primum videlicet, quia per eam rationalis creatura est grata & chara, quemadmodum dicimus quempiā habere gratiam regis, quia gratus, id est, charus est regi. Secundò gratia dicitur aliquod beneficium datum gratis, id est sine meritis impensum, ex vtraq; causa per Christum impēsa nobis gratia, nomine gratiæ designatur. Priorem rationē designauit Apostolus ad Ephes. 1. in qua scilicet gratia, gratificauit nos, id est, gratos seu charos Deo nos fecit in dilecto filio suo. Alterā verò rationē designauit ad Rom. 11. Si gratia iam, inquit, nō ex operibus, alioqui gratia iam nō est gratia. Gratia quatenus gratis datur appellata, excludit conditionem debiti. Dicitur enim gratia beneficium quoduis non debitū ei cui datur. Potest aut aliquid esse alteri debitum dupliciter. Vno quidem modo ex meritis eius, quia scilicet ipse hoc meruit. Altero aut modo debitum est alteri, quod conditioni naturalis esse debetur, non quod Deus propter hoc debitum obligetur creaturā vllam vel creare, vel in sua integritate naturalis esse, cōseruare, sed quod creatura omnis Deo subiecta talis debet esse in sua integritate, substantiæ, partium, & proprietatū, qualē eam voluit creator esse. Sic homini debitū est habere corpus, animā rationalem, caput, membra, sensus, aliq; quæ sunt de integritate naturalis esse. Et huiuscemodi naturæ dotes, quæ nō sint homini debitæ secundum rationem prioris debiti. Neq; enim meruit homo suis operib⁹, vt crearetur homo, vel rationalis, vel integritate membrorum, ac sensuū perfect⁹, & idcirco secundū talem cōsiderandi modū possent venire sub appellatione nominis gratiæ, quia nō meritis nostris creati sumus. Secundū rationem tamē posterioris debiti dotes naturalis esse nomine gratiæ nō designantur, cum sint conditiones secundum exigentiam naturalis esse. Ad hanc aut materiam de gratia & libero arbitrio planè intelligendā, oportet gratiā à natura discernere. Natura cōtra gratiā diuiditur, nō quasi cōtraria gratiæ, sed vt fundamentum, seu subiectum gratiæ. Tolle naturā & nō erit gratia, quæ sanè gratia est, quædam ipsius naturæ eleuatio. Sic dicit venerabilis Bernardus in libro de gratia & libero arbitrio. Tolle liberum arbitriū, & nō erit quod saluetur. Tolle gratiā, & nō erit vnde saluetur. Opus hoc sine duob⁹ effici nō potest, vno à quo fit, altero cui vel in quo fit. Deus author est salutis, liberū arbitrium tantū capax, nec dare illā, nisi Deus, nec capere valet, nisi liberum arbitrium. Et ne quis putaret liberum arbitriū quod habet se passiuè solum in gratiæ infusione nihil agere vel in accipiēdo gratiā, vel in cooperando gratiæ acceptæ, continuò adiecit conclusēs. Quod ergo à solo Deo & soli datur libero arbitrio, tam absq; consensu esse nō potest accipiētis, q̄ absq; gratia dātis, & ita gratiæ operanti salutem, liberum arbitrium dicitur cooperari dum consentit, hoc est, dum saluatur. Proinde irrationalis spiritus salutē minimè capit eo quod illi volūtarius consensus desit, quo Deo saluanti placidè obtemperet siue iubēti acquiescendo, siue pollicenti credendo, siue reddēti gratias agendo. Hactenus ille in principio libri. En habes studiose lector, quod is qui liberū tollit arbitriū, simul tollit & gratiam Dei, salutē, & Dei iudiciū. Eandē sentētiā habet & August. multis in locis, in libro de natura & gratia, & de lib. arbit. & gratia. Ex his igitur habes, quod appellatione gratiæ generaliter acceptæ, notetur omne beneficium gratis impensum. gratis in quā, id est, nō vt debitū, atq; ita absq; meritis. Nam aduerbia gratuito seu gratis & merito, contrariè significāt, dicēte Apostolo, Si ex gratia iam nō ex ope-

C ij ribus,

Recitantur Pelagij hæreses, de originali peccato, & de supphicis illius.

Tolle naturam liberi arbitrii, & nō erit gratia.

ribus, alioqui iam gratia non est gratia. Habita consideratione ad significationem nominis secundum rationem hanc generalem. August. super psal. 144. diuides gratiam, cõplectitur naturam sub appellatione gratiæ. Quædã, inquit, est Dei gratia, qua Deus fecit, seu creauit nos, Altera, qua refecit seu redemit nos. Facti sumus homines cum nihil essemus, deinde cum essemus in Adã conditi à Deo boni, ex traduce maligni Adã transgressoris, facti sumus mali, filij iræ, à qua non possumus liberari, nisi redemptoris ope. Cui ergo debemus quod sumus rationales, illi etiã debemus, quod sumus iusti. Pelagius autem Deo quidẽ tribuit, quia est, & in hoc recte sentit, sibi verò quod iustus est, & in hoc sua sententiã ipsum fallit. Nam qui fecit te vt es, is & fecit te vt iustus es. Et proinde gratias agas Deo, non solum quia rationalis es creatura, sed etiam Deo magis gratias age quod liberatus es à culpa, à miseria, & ab æterna morte, in quam te non Deus, sed tu, aut pater tuus Adam peccando detruisit. Verum in hoc dissidet creatio à reformatione seu iustificatione, quod is qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te. Hac nempe ratione à creandis hominib⁹ nihil exegit Deus, quid enim exigeret ab his, qui nondum erant. A reformandis autem & iustificandis hominibus passim in scripturis exigit, vt credat, resipiscant, penitentiam agant, ad cor redeant, orent, & remissionem peccatorum & gratiam accipiant. Quæ sanè omnia opera, neq; ipsi iustificandi facere possunt, absq; preueniente gratia eius vocatis, intusq; mouentis corda ipsorum vt voluntariè hæc faciant.

Verum in presentiarum prætermittamus naturæ dotes, quas à Deo patre vt conditore naturam humanam instituyente accepimus, vt pote carnem, animã, sensus, & membra, de ea gratia profequamur, qua Christiani sumus, vel ad Christianam fidem alios imbuiamus, quæ est à Deo vt redemptore, naturã humanã quæ perierat à peccato liberante, ac eam liberatam deinceps adiuuante. Hęc nempe est gratia, de qua per omnem locum loquuti sunt Apostolici viri, cõmendantes gratiã Christi, de qua Ioan. 1. Gratia & veritas per Iesum Christum facta est. De qua & August. ceteriq; patres orthodoxi in concilijs Milenitano, & Carthaginensi præfidentes ita scripserunt ad beatum Innocentium Romanum pontificem. Natura rationalis, inquit, dotesq; naturæ rationali impressæ, tametsi quadam non improbanda ratione dici possunt gratia quædam, id est talia gratis, id est, sine vllis meritis data.

Proinde de illis neq; superbire nobis, neq; gloriari debemus, sed gratias agere creatori nostro, qui & nos & omnia nostra non præcedentiũ aliquorum operũ meritis, sed gratuita sua bonitate creauit, quemadmodum & Iudei & Pelagiani hæretici, gratias agunt Deo, quod homines sunt sani, aut præstites corpore. Secundum hanc gratiam gentiles, pagani & Iudei gratia Christi prorsus vacui in liberalibus artibus erudiuntur, discunt, ratiocinantur de rebus sempiternis, item à furtis & mendacijs abstinere, colunt agros, construunt domos, plantant vineas, venerantur insuper parètes, diligunt benefactores, sed ex tali gratia operantes, non perueniunt ad vitam æternam, quemadmodum ait Christus, Si diligitis eos, qui vos diligunt, quæ gratia vobis? nonne & Ethnici hoc faciunt?

Verum alia est gratia, qua sumus Christiani, qua & liberamur à damnationis vinculo, qua iustificamur, & iustificati ita facimus opera legis, vt perueniamus ad legis finem, quæ est vita æterna. Et de huiusmodi gratia, inquit August. contra Pelagianos suscepta est presens disputatio, de hac scriptum est ad Galatas. 2. Non irritam facio gratiam Dei. Nam si per legem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est, hoc est, si sola cognitio legis, vel sola opera legis facta absq; gratia Christi sufficient ad bene iustque viuendum, & ad eximendum sese à peccato, ergo Christus sine causa mortuus est pro peccatis nostris diluendis. Illam verò gratiam, qua creati sumus rationales, non ita gratiam appellari reperimus in Prophetis,

Apostoli-

Apostolicis scripturis. Neq; enim Paulus talem gratiam cõmendat qua creati sumus, vt homines essemus aut rationales, industriosi in rebus hui⁹ seculi, sed illã qua renati sumus in Christo, exuentes veterem hominem Adam cum actib⁹ suis, de qua creatio loquitur Paulus ad Ephes. 2. Dei sumus factura creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ preparauit Deus vt in illis ambulemus, qui cum essemus mortui peccatis, cõiuificauit nos Christo, cuius gratia saluati sumus ex fide, & hoc non ex nobis, Dei enim donum est, non ex operibus. Christus item incarnatus est, & mortuus pro hominibus, non vt homines conderentur, non vt rationales, ingeniosi, fortes, validi, diuites, aut corpore præstantes essent, sed pro impijs mortuus est, vt iustificarentur, & iustificati deinceps recte viuerent ex fide, quemadmodum scriptum est. Iustus ex fide viuuit. Hactenus August. ceteriq; Ecclesiastici patres ad Innocentium papam, declarantes secundum canonicas scripturas gratiam Christi saluatoris. Sunt quidem in naturæ donis alij alijs superiores & excellentiores, pro quibus & Iudei ac Pelagiani agnoscentes vnum Deum creatorem, agunt quidem gratias vni soli Deo, sed suis viribus sibi suisq; meritis, putantes sese remissionem peccatorum accipere, aut iustificari posse, & viuere sine peccato, abutuntur huiusmodi dotibus ad suam infidelitatis, aut vanitatis, aut superbiæ opera, & ideo ad remissionem peccatorum & veram iustitiã non perueniunt, etiam quis interdum secundum laudabiles quasdam naturæ leges, agant interdum quasdam naturalis pietatis officia. Neq; vera & humilis sed superba est omnis eorum gratiarum actio, qualis erat & Pharisei dicentis, Gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum. Manichæi autem tribuentes omnia cõmixtioni naturarum immutabiliũ, Mathematici quoq; docetes omnia gubernari fati & necessitatib⁹ causarum naturaliter operantium, non agunt etiam de dotib⁹ naturæ gratias Deo creatori, quomodo enim illi gratias agerent quem creatorem esse non credunt? Vnde & August. Manichæorum tenebris obcecat⁹ in confessionum libro. Quicquid de arte loquendi & differendi, quicquid de dimensionibus figurarum, & de musicis, & de numero sine magna difficultate nullo homine tradente intellexi, Scio domine Deus meus quia claritas intelligendi & discendi adueniente, tuum est donum, sed non in de sacrificabam tibi. Quamuis igitur naturæ dona non sint munera merito Christi donata nobis, bene tamen ac iuste vti huiusmodi donis, & pro illis sacrificare, & ex illis bene viuere, sunt dona & gratiæ Christi miserentis. Prætermisiss igitur & exclusis naturæ dotibus à gratiæ appellatione, de illa gratiæ acceptione videamus, secundum quam beneficium alicui impensum non debitum, neq; integritati naturæ, neq; meritis accipientis gratia appellatur. Et hanc solent sacræ theologi tractatores distinguere, in gratiam gratum facientem, & in gratiam gratis datã, demonstrantes hæc distinctionem ex multis scripturæ sacræ locis, ex quibus liquidum est gratias esse etiam in his, qui non sunt per spiritum charitatis adoptionis filij, sicuti patet ex doctrina Apostoli Pauli primæ ad Corinth. 12. & 13. Diuisiones inquit gratiarum sunt, id est aut spiritus, diuisiones ministeriorum sunt, idem autem dominus, diuisiones operationum sunt, id est autem Deus. Vnicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatẽ, alij quidẽ per spiritum datur sermo sapientiæ, alij verò, sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alij fides per eundem spiritum, alij verò gratia seu donum sanationum per eundem spiritum, alij autem operatio virtutum, id est donum seu efficacia operandi miracula, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio linguarum. Hæc omnia efficit vnus ille, & idem spiritus, diuidens singulis sicut vult ad utilitatem corporis Christi, quod est Ecclesia. Verum huiusmodi dona dat Deus, non vt per ea habentes aut cõiungantur Deo spiritu charitatis, aut remissionem peccatorum assequantur, sed vt habentes hæc secundum ipsa ad coniunctionem alterius cum Deo, & ad

C iij iustifica-

Natura dotes
quomodo neni-
unt sub appella-
tione gratiæ.

Creatio & ius-
tificatio differ-
unt.

Gratia in scri-
pturis cõm-
mendata quæ sit.

Natura dotes
non neniunt ex
appellatione gra-
tiæ.

Gratia gratifi-
cans.
Gratia gratis
data.

iustificationem aliorum cooperentur, quibus factum est vt huiusmodi dona appellentur nomine gratiæ gratis datæ, quam sic describunt. Gratia gratis data est donum datum alicui ad deducendum alterum in fidem & charitatem Dei, nõ quidem illum intus mouendo aut efficiendo fidem seu charitatem iustificatam, quia hoc solius Dei opus est, sed foris operando aliquid in quo ostendatur spiritus sanctus, vel in Ecclesia habitare eamq; sanctificare, vel approbare & testificari fidem Christi esse verissimam. Sic enim in Ecclesia primitiua fidem Christi predicantes habebat donum linguarum, & potestatem faciendi miracula, quibus vel fides Ecclesie, quam predicabat esse, vera ostenderetur, vel plebs ipsa verbo fidei audito, ad spiritum fidei, & charitatis accipiendum excitaretur, vel confortaretur in fide & charitate iam pridem accepta. Et hoc planè designauit Apostolus dicens vnicuiq; dari manifestationem spiritus ad vtilitatem. Gratia verò gratum faciens est secundum quam rationalis spiritus coniungitur Deo ad participandum gloriam diuinitatis eius, de qua Apostolus. Iustificati gratia ipsi, ad Titum. 3. Et per hanc gratiam ita Deo coniungimur, vt efficiamur diuinæ consortes naturæ, fugientes eius, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem. 2. Petri. 1. Verum & hic considerandum, quòd appellatione gratiæ sic generaliter acceptæ, significatur non modò donum habituale in anima permanens, velut habitus ad assequutionem æternæ vitæ ordinatum, sed & omne gratuitum Dei auxilium mouentis, ac dirigentis animam, vel ad assequendum remissionem peccatorum, & ad accipiendum gratiã hanc gratificatam, vel ad perseverandum in ea, vel ad operandum ex ea iam pridem accepta. Huiusmodi auxilia sunt interna motio, Dei vocatio, suasio, inspiratio, & id genus alia, quæ sunt gratuiti quidam effectus spiritus sancti. Ex quibus considerari potest manifestum esse congruam esse gratiæ diuisionem, in gratiã præuenientem, & gratiam subsequenter, & in gratiã operantem & in gratiam cooperantem. Ex illis enim patet qd Deus sua misericordia nos præueniens, quædam operatur in nobis sine nobis. Quædam verò operatur cooperantibus nobis, de quo latius infra. Cæterum & hic sciendum est, qd nomine gratiæ designetur non solùm miseratio Dei gratuito liberantis hominẽ à seruitute peccati, & miseria; verum & auxiliũ quoduis ad assequutionem vitæ æternæ donatũ etiam ei, qui nõ indiget vlla liberatione à peccato vel miseria. Certum enim nobis esse debet, neq; vitã æternam esse naturæ humanæ debitũ, etiam si nemo peccasset, neque hominẽ posse ex se, id est, ex meritis suis, aut suis solius naturæ viribus peruenire ad illã, & ideo Adã etiã ante peccatũ indigebat gratia hac gratificante, sine qua non potuisset facere, fructũ dignũ vitæ æternæ, neq; custodire salutẽ acceptã, quæ p̄det à Deo in animo p̄inde atq; lumẽ à sole in aere, quæadmodũ, & in definitionib; ecclesiasticis dogmat. cap. 47. dicitur. Natura humana etiã si in illa integritate, in qua cõdita est, permaneret, nullo modo seipsam creatore nõ adiuuante seruaret. Si ergo sine gratia salutem non posset custodire quã accepit, quomodo sine gratia poterit recuperare, quòd perdidit. Hanc quoq; ecclesiasticam definitionem tradit & Aug. in Epist. ad Paulinum. Ex quibus consequens est, quòd beneficium gratiæ qua dignificatur iam homo in vitam æternam duplicata est gratia, quippe per quam & homo à morte æternæ liberatur, & supra naturæ debitum adoptatur in filium cœlestis hæreditatis. Erat quidem ante peccatum gratia, sed non erat eleemosyna, seu miseratio. Gratia est beneficium indebitum etiã non misero datum. Miseratio verò, quæ Græcè appellatur eleemosyna, est beneficium præstitum misero ad subueniendum miserie illius. Diuina bonitas dedit quidẽ Adã ante peccatũ gratiã, largiens illi multa beneficia indebita, quib; participes fieret diuinitatis & gloriæ sempiternæ, sed nõ fecit miseratorem seu eleemosynam illi nondũ misero. Ipse nõ pe miserã in humano genere

Gratia gratum faciens.

Gratia præuenient.
Gratia subsequens.
Gratia operans.
Gratia cooperans.

Gratia in Adã qui non indigebat ulla miseria.

nota ista

genere non fecit, instituens hominũ genus, sed mors & omnis miseria in humanũ genus intrauerunt per hominẽ peccantẽ, qui miser factus sua culpa ad miseriamq; dånatus iusto Dei iudicio nihil habet, quo mereri possit libertatẽ ab his malis, à culpa videlicet & miseria, sed p̄det in arbitrio eius, qui offensus est, ac Dominus vitæ & mortis, si ipse dignetur ignoscere & subuenire inopi & misero homini. Atque ita fit vt vtrũque beneficiũ, tam gratia videlicet necessaria ad assequendam vitã æternã, in eo qui est sine peccato, quã miseratio super hominum genus post lapsum sit indebitũ naturæ humanæ beneficiũ. Verum ad illud non erat tum ante lapsum opus morte Christi redimẽtis, sine qua iam post lapsum Adẽ nemo filiorũ eius gratiã inuenire potest apud Deum. Postremũ & hoc annotandum gratiã interdem pro gratitudine accipi, qua benefactoribus pro accepta gratia seu beneficio accepto exhibemus nos gratos agnoscendo beneficiũ, præconijs laudum extollendo benefactorem, exhibendo ei reuerentiam, honore, beneficentiam, aliãque accepti beneficij testimonia secundum exigentiam loci, temporis, & personæ. Vnde & ipsa quæ rependimus, plerumq; nomine gratiarum appellantur, vnde dicimus, agere gratias Deo. Atque ita fit, vt gratum esse alicui beneficiam accipitur, vno quidem modo gratum esse, id est placentem esse illi & charum, seu dilectum ei: alio gratum esse illi, est obsequi ei tanquam benefactori. Impræsentiarũ non oportet nos esse sollicitos, vt sciamus vtrum gratia gratum faciens, sit donum idem quod charitas, an sit aliud quoddam donum in anima habens fidem, spem, charitatem, cæterasque virtutes, quibus rectè viuatur, necessario sibi connexas.

Hactenus de significatione nominis gratiæ dicta sufficiant.

¶ Secunda pars huius capituli, in qua ex scripturis sacris demonstratur omnia opera bona esse Dei dona.

Reliqum est iam ostendere hominẽ sine gratia Christi miserentis nihil boni posse facere, nec in cogitatione, nec in mente, nec in voluntate, nec in externo opere. Hoc tamen pro intellectu dicendorum, obiter præmittendum est quòd per opus bonum impræsentiarum intelligimus, quòd bonum ac iustum est, secundum eam bonitatem ac iustitiam, quæ vel ordinatur ad assequutionem remissionis peccatorum, vel Deo placet ad assequutionem vitæ æternæ. De tali enim bonitate & iustitia, inquit Augustinus, loquuntur scripturæ sacræ. Et nos quoque in omnibus libris cum de voluntate & bene viuendi, & iuste operandi, sermonem facimus, bene viuere, & iuste operari secundum hanc rationem accipimus. Nam & de tali iustitia, ac bonitate tractabant Pelagiani, docentes nullum esse peccatũ in homine, nisi propria ipsius hominis voluntate commissum. Atq; ita hominẽ absque peccato natum, cum ad vsum venerit liberi arbitrij, posse per eandem liberi arbitrij facultatem inter licitum & illicitũ discernere, & absque gratia alia etiam ante illustrationem de Christo posse seruare madata, & sine peccato iuste ac rectè viuere. Quæ sanè Pelagianorum sententiã prorsus euacuat gratiam Christi miserentis.

Quibus præmissis consideranda est hæc propositio, homo iam post lapsum Adẽ filius iræ natus, & in peccato conceptus ex liberi arbitrij viribus sine Dei gratia, neq; morbum animæ suæ, neq; salutem suam, vel sanitatẽ agnoscere potest, neq; desiderare, neq; medicũ querere, neq; bene velle. Probatur. Quia nõ potest absque Deo reuelante vlli hominũ venire in mentẽ vniuersam hanc generis humani calamitatẽ, & difficultatẽ, imò & impossibilitatẽ bene viuendi venisse ob peccati damnationẽ, vniuersumq; genus humanũ, ita in Adam perijisse, vt opus sit Christo gratia redimẽte, omnemq; hominẽ nasci filiũ iræ ac perditionis, vt opus sit denuò renasci ex aqua & spiritu sancto. Quod & declarat beatus Prosper contra Cassianũ, quia totus iam homo ex ipsa, inquit, sanitate in profundũ suæ miseria decidit.

Propositio consideranda.

Homo sine gratia, neq; potest morbu suu spiritalium cognoscere, neq; medicum quaerere.

vbi eum priusquã à medico notitiã suã calamitatis accipiat iacere delectat amantem semper errores suos, delicias carnis suã, & amplectentẽ falsã pro veris. Prima igitur salus est vt homo semetipsum, suamq; miseriam & captiuitatẽ agnoscat, & incipiat displicere sibi & odio habere vetustatem calamitatis suã. Sequẽs verò salus est, vt sanari desyderet, & à quo sanãdus sit nouerit, quã certẽ curationẽ ipsius animã sic procedit, vt ei à Deo inferatur. Et hanc definitionẽ tradidit apostolica sedes sub Innocẽtio primo in primi hominis lapsu liberũ arbitriũ cadens in prauaricationis profunda, nihil, quẽadmodum inde exurgere posset, inuenit, suaq; inatertum libertate deceptus, huius iniuriẽ latuisset oppressu, nisi eum prius Christi pro sua gratia liberasset aduẽtus, & ita in singulis hominibus initiũ est gratiã cognoscere calamitatẽ spiritualis suã miseriam. Rectẽ itaq; definierũt Africana episcoporum cõsilia, vtrunq; Dei donũ esse & scire videlicet quid facere debeamus, & diligere, vt faciamus, vt aedificãte charitate, scientia nõ possit inflare. Scire in quã quid facere debeamus pro aeterna salute assequẽda, pro remissione peccatorũ assequenda. Scire autẽ quã facienda sunt pro decore, aut vtilitate præsẽtis vitã, etiã sine gratia Christi nouerũt ethnici & publicani, qui per quandã naturẽ legẽ venerantur & diligunt amicos, benefactores, & parẽtes, furta vitant & homicidia. Nec huic obuiat sententiã Apostoli Pauli dicẽtis, Velle adiacet mihi, perficere autẽ nõ inuenio. Non enim illic significauit Paulus ex naturali bono accepto creatoris beneficium, in se bonã voluntatis prodijisse principiũ, cõsummatõnẽ autẽ voluntatis à Deo prouenire. Ista enim est antiqua Pelagianorũ reprobata sententiã. Sed vox illa Pauli est hominis vocati, & iam sub gratia cõstituti, qui sentiẽs aliã legẽ in mẽbris suis, repugnãtem legi mentis suã, videt se ad perfectiõnẽ iustitiã nõ posse venire, nisi liberetur à corpore mortis huius. Deus incipit, Deus perficit totum quod bonũ est, qui cepit, inquit, in vobis perficiet. Ipse est qui operatur in vobis & velle, & operari pro bona volũtate, ad Ephe. 2. Non actiũ igitur solum, aut perfectẽ fidei, aut perseuerantiã bonũ, sed & cogitationũ, & desyderiorũ bonorũ initiũ, ex Deo est principiũ qui nobis & initia bonã voluntatis inspirat, & opportunitatẽ atq; virtutẽ tribuit peragendi ea, quẽ rectẽ vel cogitamus, vel desyderamus. Proinde liberũ arbitriũ omni gratia destitutũ, nec cogitare quicq; rectẽ & salubriter potest, nec cognoscere qualiter sit operãdum, ad assequendum remissionẽ peccatorum, aut ad habendum vitam aeternam, nec velle, nec perficere tale quid potest absq; gratuito Dei auxilio. Neq; enim cogitatio, neq; voluntas vlla est recta & salubris, nisi sit spiritualis vitã fructus. Fructus autẽ spiritus vitã prodire nõ potest ex palmite aut arido, aut nondũ per fidem in Iesum insito viti bonã. Quod vitalis humor est in palmite ad pariẽdum fructum, hoc intentio rectã fidei est in homine ad bona opera. Sunt qui putãt aut ex nobis ipsi esse fidei initium, & ex Deo esse fidei supplementũ, aut nos posse preparare nosmetipsos ad accipiẽdum fidei initia, cõtra quos agit Apostolus. 2. ad Corin. 3. dicẽs, Non quia idonei sumus aliquid cogitare ex nobis, quasi ex nobis. Vbi Apostolus loquebatur, inquit Augustin⁹ de his, quã pertinent ad religionem Christianã, de quibus nemo potest vtiliter cogitare vt credat, nisi Deo intus mouente, suggerente, ac inuitante. Cogitatio de his quã fidei sunt, secundum naturam prior, inquit Augustinus, quã credere, si non potest vtiliter in nobis oriri, nisi Deo sua reuelatione intus pulsante mentẽ hominis siue per hominẽ, siue per angelum, aut quomodolibet aliter. Consequẽs vtiq; est principiũ bonã vitã fieri nõ ex nobis, sed in nobis ex bonitate Dei, auxilio suo praueniẽtis, & facientis nos voluntariẽ credere, quaerere, & desyderare Iesum salutis nostrã authorẽ, sine cuius meritis & intercessionibus, fuisset quãsi Sodoma, & Gomorra similes. His consyderatis facillẽ est intelligere verissimã esse doctrinam

Velle adiacet mihi, perficere non inuenio.

Augusti. lib. de predestinatioe sanctorum.

doctrinam beati Gregorij dicẽtis quatuor esse species, quibus omnis tumor arrogantium demonstratur. Cum bonũ aut à seipso se habere aestimat, aut si datũ desuper sibi credunt, pro suis se accepisse meritis putant, aut despectis ceteris, singulariter videri appetunt habere quod habent, aut se habere iactant, quod nõ habent, atq; ita de magnis bonis oriri mala possunt, veluti cum vtentes bonis Domini, tanquã nõ datis, eximij operis facti ex donis Domini nõ damus gloriã Deo. Quod si quis dicat, inquit Bernar. absit, agnosco Dei gratiã, gratia illius sum id quod sum. Studeat autẽ acceptare gloriã pro gratia quã accepit, nõne fur est & latro, dum seruus vsurpat domini sui gloriã? Ex his igitur liquidũ est omnia opera bona esse in nobis Dei dona, iuxta sententiã August. orãtis, Domine da quod iubes, & iube quod vis. Idcirco autẽ præcipiunt nobis opera bona, vt intelligamus quod & nos facimus illa, sed Deus facit vt faciam⁹ ea. Deus iubet vt credamus in se, & cognoscamus illum, & timeamus, & tamen ipsius donum est cognoscere Deum & timere illum, dicente ipso in scriptura, Ego dabo eis cor vt cognoscãt nomen meum, & c. Deus iubet, vt Euãgelio prædicato cõsentiamus, dicẽte scriptura, Penitemini & credite Euãgelio. Qui nõ crediderit cõdemnabitur. Ipsi autẽ donũ & opus est credere, dicẽte scriptura, Hoc est opus Dei, vt credatis in eum. Fides Dei donũ est, inquit Apost. Et ne quis putaret donũ hoc ex operibus seu meritis dari, cõtinuò adiecit, Non ex operibus. Itẽ nemo venit ad me, id est, nemo credit in me, inquit Christus, nisi cui datũ est à patre meo. Deus iubet vt præparemus & cõuertamus corda nostra ad illũ, dicente scriptura, Præparate corda vestra Domino, sed ipsius donũ est hæc preparatio. Nam sic eadẽ habet scriptura, Deus meus, misericordia eius præueniet me, & preparatur voluntas à Domino. Deus iubet ne superbiamus, & ne corda nostra grauetur crapula aut ebrietate, sed & hæc omnia sunt ipsius in nobis opera, pro quibus & orauit Sapiens, Domine pater & Deus vitã meã, elationem oculorũ meorum ne dederis mihi, Aufer à me Domine ventris cõcupiscentias, & desyderiũ concubitus non apprehendat me, Ecclesi. 23. Deus iubet vt quæramus, pulsemus, petamus, oremus, & vigilemus, ne intremus in tentationẽ, Vigilate, inquit, omni tempore orantes. Item quaerite, pulsate, petite. Hæc autem omnia sunt Dei dona, dicẽte Paulo, Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in spiritu sancto. Misit autem Deus spiritũ filij sui clamantẽ in corda nostra, id est, facientem corda nostra clamare, orare, pulsare, & petere. Dicimus spiritum clamare, inquit Augustinus, tropo illo, quo dicimus lætum diem, qui lætos nos facit. Accepistis spiritũ adoptiõis filiorũ, in quo clamamus Abba pater, id est, qui nos clamare facit. Nam quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse spiritus pro nobis postulat gemitibus inenarrabilibus, id est, postulare, & ingemiscere nos facit. Deus iubet vt omni custodia seruemus corda nostra, & linguas nostras, dicente scriptura, Omni custodia serua cor tuum. Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Hæc autem sunt ipsius dona, pro quibus orat propheta, Pone Domine custodiam ori meo. Quis dabit ori meo custodiã, & ostium circũstantiã labijs meis. Deus iubet, vt sibi pulsanti ad ostium cordis aperiãmus, & cõsensum præbeamus, ipso dicente in scriptura, Aperi mihi foror mea, dilata os tuum, ego sto ad ostium & pulso. Sed ostium cordis aperire, & consentire Deo pulsanti, ipsius est donum cui dicimus, Domine labia mea aperies, Aperi Domine oculos meos. Deus iubet, vt abijciamus à nobis cogitationes prauas, & desyderia praua, vt & projiciamus omnes iniquitates nostras, & rectẽ & iustẽ viuamus, & faciamus in nobis cor nouum, & spiritũ nouum, dicente scriptura, Auferte malum cogitationũ vestrarum ab oculis meis, Projicite à vobis omnes iniquitates vestras. Facite vobis cor nouũ, & spiritum nouum, sed hæc omnia sunt Dei dona. Ego, inquit, sum ipse qui deleo

Quatuor arrogantium species.

Oratio August.

Declarantur omnia opera bona, que Deus fieri iubet, esse Dei dona.

iniquita-

iniquitates tuas propter me. Ego auferā à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor nouum, & spiritum nouū. Deus iubet vt continenter viuamus, sed ipsius donū est continenter viuere, dicente scriptura, Nemo potest esse cōtinens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat summa sapientia scire cuius esset hoc donū, adijq; Dominū & deprecatus sum illum ex totis præcordijs meis, Sapient. 8. Deus iubet, vt saluos faciamus nosmetipsos, dicēte scriptura, Qui voluerit animā suā saluā facere, & c. Et iterum, Saluate animas vestras. Sed Deus ipse est qui saluos nos facit, dicente propheta, Domini est salus, id est, à Domino est salus. Gratia salui facti estis, inquit Paulus. Salus aut nihil est aliud, quàm esse à malo liberū, assequutumq; esse verum rationalis animæ bonū. Deus iubet, vt sciamus hæc omnia esse Dei dona, & hoc quoq; agnoscere est Dei donū, dicēte Paulo, Spiritum qui ex Deo est accepimus, vt sciamus quæ à Deo donata sunt. Ex his igitur manifestum est, omnia quæ Deus à nobis exigit opera bona, esse Dei dona. Item summa erat sapientia scire cuius esset hoc donum, Sapient. 8. Sed nō hinc intelligatur esse ablata voluntas humana, quia virtus gratiæ nō hoc in voluntatibus hominū operatur, vt nō sint volūtates, sed vt ex malis bonæ sint, ex infidelibus fideles, & quæ in semetipsis erāt tenebre, lux efficiantur in Domino, & quod mortuū erat, viuificetur, & viuificatum deinceps adiuuetur, Deoq; operanti cooperetur, atq; ita per gratiā Christi palmas aridus combustioni addictus bonæ viti inferitur, quod iacebat erigitur, quod infirmū & vulneratum erat sanatur, quod perierat inuenitur. Non est ergo periculum liberi arbitrii ex gratia miserentis Dei, neq; voluntas, sed peccatū & miseria ab illa aufertur, cum in ipsa Dei gratia operatur. Distinguenda sunt tria hæc, lex, gratia, & voluntas. Lex iubet, gratia sanat & iuuat. Voluntas adiuta atque sanata operatur & agit. Nec lex iuberet, nisi rationalis esset voluntas, quæ capax posset esse præcepti, quis vnquā audiuit beluis, pueris, stolidis, præcepta data, nisi forsitan velis præceptum appellari diuinā ordinationē, secundum quam omnia etiā muta elementa, & corpora item cœlestia aguntur ad proprios motus secundum inclinationes, & vires à cōditore impressas, quemadmodum ait scriptura. Ipe dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt: statuit ea in æternū, & in seculū seculi præceptū posuit, & nō præteribit: ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia seruiunt tibi. Seruiunt quidem omnia hæc Deo, sed nō possunt ex iudicio suæ rationis discernere præceptum & sese applicare ad obediendū præceptori. Atq; ita lex nō præciperet, nisi rationis iudiciū esset. Deinde nec gratia liberaret, nisi captiua voluntas esset, nec liberatā iuaret, si sufficiens esset volūtas iam per gratiā Christi à peccato liberata, nec bene voluntas ageret, nisi illā spiritus gratiæ viuificaret & duceret. Lex potest ne quid mali fiat iubere, à malo aut nō potest liberare. Liberū arbitrium sine gratia potest quidem facere multa mandatorū officia, sed nō potest sine gratia facere opera bona. Quæadmodum & venerabilis docet Augustinus lib. 4. cōtra Iulianū, ostendens paganos, & gentiles absq; fide facere naturalis legis officia. Et in lib. de patientia labores, quos sustinet iustus pro vita æterna assequenda, sustinet interdū impius tam graues & duros pro gloria, vel pecunia. Et quod iustus operatur & tolerat ex charitate, hoc plerūq; impius sustinet, & tolerat ex sua cupiditate. Vt honoremus parētes, vt periclitatibus succurramus, pacamus esuriētes, & nec blandimētis, nec tormentis falsum proferamus testimoniū, vtq; cætera id genus opera ad decorē & pacē præsentis vitæ officia faciamus, videtur liberū esse arbitriū, & studij humanæ naturæ, quæ non est facta per Adæ peccatum irrationalis belua. Vt autem huiusmodi officia sint bona vtiliaque operanti, ac fructus æterne salutis, largitas Dei est miserētis, palmitē aridum & mortuū in bonā vitem inferentis. Decipiunt aut hæretici argumentātes hoc pacto, Liberū arbitriū si nō est ex se liberum ad

berū ad opera vlla bona faciēda, nō est ergo liberū arbitriū ad opera vlla faciēda. Cuius certē argumēti nullam esse vim, aut efficaciam percipiūt etiā paruuli, qui in arte dialēctica vix attigerūt rudimēta. Quæadmodum nō oportet cōsequens esse, si hic homo nō sit liber ad opera fabrilis artis faciēda, quod ergo non sit liber ad opera vlla. Neque item oportet si scriptor non habeat artem qua posset scribere sine calamo, quod ergo non habeat artem qua posset scribere, ita & homo quamuis non habeat liberum arbitrium quo possit sine gratia bene viuere, tamen non inde sequitur hominē nō habere liberū arbitriū. Sed de his alias. Nunc autem satis fuerit ostēdere liberū arbitriū ex se nihil boni posse. Sic spiritus sanctus ex ore loquitur sapiētis, si sit aliquis perfectus in filiis hominū, si desit ei sapientia, quæ ex Deo est in nihilum deputabitur, Sap. 9. Sapientia quæ est ex Deo Christus est per fidem inhabitās. Ex huiuscemodi fide si prodeant opera, sunt opera grata Deo & accepta, de qua Sapientia & paucis interpositis loquitur, Per sapientiā sanati sunt, quicumq; tibi placuerūt ab initio, aperte insinuas omnē hominē fuisse agrū, & neminem vnquā placuisse Deo, nisi eum quē huiuscemodi inhabitās sapientia sanauerit. Videtur quidē esse perfectio inter filios hominū, quā labore & studijs proprijs assequitur siue in sapientia, siue in doctrina, siue in alijs scientijs, aut officijs, qui tamen si nō habeat sapientiam hanc, quæ à Deo est, vt sanentur, sunt velut æsonās, aut cymbalum tinnies, quia si desit illis gratia spiritus viuificātis, nō possunt esse palmites in vite, nō possunt esse membra in corpore Christi, & ita nō faciunt vllum spiritualis vitæ fructum. Si quis spiritū Christi non habet, inquit Paulus ad Roma. 8. hic nō est eius. Quemadmodū igitur, sicut dicit Sap. Sit aliquis perfectus in filiis hominū in nihil deputabitur, si desit illi sapiētia, quæ ex Deo est. Ita & dici potest de omni genere operū apud homines laudabiliū. Si interdum quidam videantur cōsummati inter filios hominū, si desit illis gratia Christi saluatoris, deputantur in nihilum. Et vide an ne hæc sit Apostoli Pauli sententia. Si habuero omnem fidem, vt montes transferam, & omnem prophetiam, & nouerim mysteria omnia, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest, iuxta doctrinam quidem Pauli, ex fide fit iustificatio, sed fides hæc iustificās per charitatem est operās. Huiuscemodi fides, inquit Augustinus in epistola ad Sixtum, & in epistola ad Paulinum, est adiutorium, quod nisi datum esset oranti, orare non posset. Huiusmodi fides remissionem peccatorum, & gratiam bene operandi, impetrat. Opera misericordiæ nihil profunt, siue paganis, siue Iudæis, qui Christo nō credunt, siue quibuscunq; hæreticis ac schismaticis, vbi fides & dilectio, & sobria sanctificatio non inuenitur. 12. de trinitate, capitulo septimo. Idem Augustinus. 15. de trinitate, capite. 18. dicit. Fides potest esse sine charitate, sed non & prodesse. Propter quod & inquit Apostolus Paulus, In Christo Iesu, neque circumcisio, neque præputium aliquid valet, sed fides quæ per dilectionem operatur, sic eam discernens ab ea fide, quæ sine operibus mortua est in semetipsa, qua & dæmones credunt, & contremiscunt. Iacobi quarto. Esse igitur quandam fidem, quæ non per dilectionem operatur, quæ otiosa est & mortua, non viua spiritu charitatis planē commostrant gloriosi Apostoli, Paulus & Iacobus.

Hic iam si obieceris. Habens informē fidem nondum iustificatus charitate, potest ex huiuscemodi fide remissionē peccatorū orationibus, & elemosynis impetrare, quæadmodū videtur accidisse in Cornelio Cæturione, & quotidie videmus accidere in Christianis relapsis ad cor redeuntibus. Videtur ergo fides sine charitate prodesse. Quod probare videtur verbū saluatoris, loquētis ad pharisæos nōdum credētes. Date elemosynā, & ecce omnia mūda sunt vobis. Luca. 11. Daniel quoq; ad impiū regē Nabuchodonosor. Peccata tua, inquit, elemosynis redime, & iniquitates

Quomodo omnia etiam muta elementa Deo seruiant.

De fide sine charitate.

& iniquitates tuas misericordijs pauperū, forſitan ignoſcet Deus delictis tuis, Danielis. 4. Respondeo. Opera quæ fiunt ex fide quadam mortua, id eſt ſine charitate, nõ ſunt villo pacto meritoria, neque vitæ æternæ, neque iuſtificantis gratiæ. Nam ante iuſtificationis momentũ, adhuc eſt homo impius iræ filius, nullum habens meritum niſi malum, & cui æternũ debeatur ſupplicium, & ita opera ex tali fide nihil profunt ad meritũ vitæ æternæ. Si diſtribuerõ, inquit Apoſtolus, omnes facultates meas in cibos pauperũ, & tradiderõ corpus meum, ita vt ardeam, & habuerõ omnẽ fidem, vt mōtes transferam, charitatẽ autem non habeam, nihil mihi prodeſt. Proinde impius in ipſo iuſtificationis momento gratis iuſtificatur, id eſt, abſq; vllis ſuorũ operũ meritis. Veruntamen & hoc ſcias, quõd opera quæ ex fide prodeunt in homine nondum iuſtificato ſunt gemina. Quædam cum voluntate criminaliter peccandi, quemadmodum accidit hæreticis, qui exiſtunt crimina aliquid quotidie perpetrãdum & quotidie eleemoſynis redimẽdum, cõtra quos Auguſtinus in Enchiridio, cap. 70. & 75. & 76. Quædam verõ ſunt opera quę prodeũt ex fide quadam, in eo qui tactus iaculis quibuſdam diuini ſpiritus reſiliit vt cunq; à voluntate criminaliter peccandi, etſi non plenẽ. Primũ genus hominum orãdo nõ ſolum nõ impetrat, ſed magis Deum ad iram prouocat, in eo quõd cum voluntate crimen aliquod perpetrãdi Deum orat, verũ tamen eſt, quõd & is eleemoſynas pauperibus largiẽdo vitat culpã, vt tolerabiliorem ſuſtineat poenã. Secundum autem genus hominũ, quãuis orationibus ſuis, & eleemoſynis nõ valeat, neq; ſe facere dignũ, neq; tollere culpam, gratiæ impedimentũ, vt cunq; tamen ſe reddit aptum, cui ſpiritus deleat culpam, largiẽs ei qui obicem cõtrariæ cogitationis, aut voluntatis actus, nõ opponit indebitam gratiam, per quam culpæ in anima pereũt, perinde atq; tenebræ pereunt in aëre adueniẽte ſolis lumine, fiatq; fides viuã, ex qua iam dignẽ valeat orare & impetrare alia nondum accepta. Sine huiuſmodi fidei viuæ initijs, Cornelius Centurio neq; orabat, neq; eleemoſynas dabat, quemadmodum docẽt venerabiles patres, Auguſtinus & Gregorius. Neq; enim Deum inuocaſſet, niſi illum largitorẽ veniæ miſericorditer remittentẽ peccata credidiſſet. Ipſe igitur iam pridem mutatione dextræ excelli deſerens voluntatem peccãdi, credens ſe indigere miſericordia & gratiã Dei ſaluatoris, quãuis adhuc quidem ignorãs Chriſtum Mariæ filium tunc mortuũ eſſe Dei filium vni- genitum, remittentẽ peccata, ex fide quadam imperfeãta, quam Deus in illo plantauerat, orando, & eleemoſynas dando impetrauit ſibi perfeãtionẽ, & augmentũ. Deus incrementũ dedit fidei quam non ipſe Cornelius in ſe ex ſe, ſed Deus in illo plantauerat. Atq; ita nõ perinde ac Pelagius ait, homo plantat incipiẽs, Deus autẽ dat incrementũ perficiens, ſed quemadmodum ait ſcriptura, Deus intus plantat incipiẽs, qui & dat incrementũ perficiens. Proinde cum ait ad illum angelus, voca Simonem, hic tibi dicet, quid oporteat facere, ſi interpreteris, hic tibi dicet, quid te oporteat facere, vt ex impio ſias iuſtus, ſenſus videtur eſſe alienus à mōte textus. Nam Cornelius iam erat religioſus timens Deũ, cuius & orationes, & eleemoſynę erant exauditiæ apud Deũ, & acceptæ, vt patet ſcripturã intuẽti. Vnde Auguſtinus ad Simplicianum, Cornelius ex fide per orationes & eleemoſynas ſe præbuit dignum ad quem mitteretur angelus. Si verõ interpreteris, Hic tibi dicet, quid te oporteat facere, vt accepta perfeãtiõ fidei in iuſtitiã accepta, valeas perſeuerare, & rectẽ ambulare, vt amplius iuſtificeris, & ſpiritũ ſanctum accipias, & ſias eccleſiæ membrum per ſenſibile ſignum, videbuntur ſententiæ antecedentes & ſequentes inter ſe magis conuenire. Sic ad Paulum iam ſubitõ conuerſum dicebat Chriſtus, Surge & ingredere ciuitatẽ, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere. Sed huic forſitan obijcies doctrinã Saluatoris de Publicano, qui peccator orabat, &

bat, & orando remiſſionem peccatorum impetrabat. Deinde & huic obuiare videtur ſententiã Aug. libro. 1. ad Simplicianum. In quibuſdam, inquit, eſt tanta gratia fidei, quanta non ſufficit ad obtinendum regnum cœlorum, ſicut in catechumenis, ſicut in Cornelio antequã ſacramentorum participatione incorporaretur eccleſiæ. Non erat ergo Cornelius iuſtificatus priuſquam eſſet baptizatus.

Ad primum dicimus, quõd publicanus ante gratiam iuſtificationis, potuit quidem aſcendere in templum ad orandum, & incipere vt cunq; orare vel ingemſcere, ac tundere pectus ſuum, hiſq; operibus diuina inſpiratione, ſpiritũq; fidei cuiuſdam nondum iuſtificantis tactus, potuit & ſeſe accommodare & præparare ad accipiendum deſuper remiſſionem peccatorum, ſed hiſ ſuis operibus ante gratiam iuſtificantem factis ipſe adhuc in Dei ira mereri non potuit gratiam primam iuſtificationem, ſecundum quam inciperet ex impio eſſe gratus ſeu charus Deo. Ex motu fidei & orationis iuſtificatus quidem eſt, gratiamq; aſſequutus in ipſo temporis momento, quo iam intus fide viuã tactus orabat, dicens, Deus propitiuſ eſto mihi peccatori, non quõd actus ille fidei, aut orationis fuerit iuſtificationis ſuæ, ſeu primæ gratiæ meritoriuſ, ſed quõd Deus, dum gratis eum iuſtificauit, eundem etiam ad accipiendum gratiam & remiſſionem peccatorum præparauit, faciẽs vt liberũ arbitriũ eius credendo gratiã agnoſceret atq; deſyderaret, & motu internæ poenitentiæ peccata odio haberet ac deteſtaretur. Neq; enim gratia, quæ Deo charã, gratã, bonãq; facit voluntatẽ, villo modo ſtare poteſt in eo qui aut gratiam nõ agnoſcit, aut vult in peccatis perſiſtere, aut dedignatur gratiã ac miſericordiã implorare, atq; ita ex motibus fidei internãq; poenitentiæ iuſtificatur homo, nõ tanquam ex meritis qualiſ ſic credendo, intusq; poenitẽdo, mereatur iuſtificari, ſed tanquam ex diſpoſitionibus ad inſuſionem gratiæ requiſitis.

Ante gratiã iuſtificauit homo orans non mereatur iuſtificari.

Ad ſecundum dicimus. Quemadmodum Paulus adhuc catechumenus, cum diceret, Domine quid me vis facere? iam intus erat iuſtificatus in anima, cui tamen dixit Deus, Surge & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere. Ita & accidit in Cornelio centuriõ, & in catechumenis, quibus non ſufficiebat gratia fidei, ſine regenerationis ſacramẽto in voluntate & propoſito, facta iam ipſis huiuſcemodi myſterij reuelatione. Ad verbum Saluatoris dicentis, Date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis, Reſpõdet Auguſtinus in Enchiridio, capite ſeptuageſimo ſexto, ſicut autẽ Cornelius ex initijs quibuſdam fidei iuſtificatus erat, antequam in Chriſtum incarnatum, & mortuum crederet, quemadmodum docet Auguſt. & Gregor. Magiſter in ſuper ſententiarum, Thomas & Bonauen. Sic & multi erãt in diebus Jeſu ſaluatoris iuſtificati ex fide, per dilectionem operantes, quibus nondum erat incarnatio & natiuitas Saluatoris manifeſta, quibus nondũ erat annũciatum Meſſiam iam veniſſe, & Jeſum Mariæ filium eſſe Meſſiam promiſſum ſaluatorem mũdi. Nathanael, Simeõ, Anna prophetiſſa, ceteriq; Iudæi multi erant iuſti tempore illo, qui nondũ Meſſiam, id eſt, Chriſtũ nouerant veniſſe in carnẽ. Vnde ad Nathanaelem ait Chriſtus, Ecce verus Iſraelita, in quo dolus non eſt, & tamen Nathanael ignorans diuinitatem in Chriſto reſpõdit. Vnde me noſti Domine? ſed de hiſ omnibus latius infrã, cum de meritis ſanctorum, fide, & operibus tractabimus.

Obedientiã Paulus dicens, Domine quid me vis facere.

¶ Caput tertium in quo ex ſcripturis ſacris reſelluntur hæreſes Pelagianorum, qui liberum arbitrium à Deo ſtrẽnuẽ defendunt, vt gratiã impenſam humano generi per Dominũ Jeſum, aut prorsus euacuat, aut magna ex parte diminuat.

Reliquum eſt ſupra dictas hæreſes, quibus liberum arbitriũ cum iniuria diuinae gratiæ defenditur ex ſcripturis reſellere. Priuſquam tamen ſpecialiter ac diſtinctim ſingulos Pelagi erroes collectos in duabus propoſitionibus

D ſuprà

Culpæ in anima perinde, atque tenebræ, adueniẽte ſolis lumine, pereũt.

Actuũ decimo.

De Cornelio Centurione.

Hegeſia, in Deo, ubi ſonũ mĩ, & iſtũ ſonũ qũ, & iſtũ ſonũ qũ.

Quo tempore hæ-
resis Pelagii sit
damnata.

suprà positis refellamus. Primo sciendum, quòd papa Innocentius eius nominis primus vniuersos errores istos dānauit, circiter annū à natiuitate Domini quadringentesimum decimum quintum, de quo habes Augustini doctrinam, libro secundo contra duas epistolas Pelagianorū capitulo quarto. Et in actis concilio-
rum Chartaginens, & Milenitani, ex quibus Augustinus ceterique ecclesiastici patres in Concilio Milenitano, & Chartaginensi præsidetes articulos seu errores huiuscemodi hæresis transfuderunt ad eundem Innocentium papam. Rescripsit autem ipse ad eosdem patres. Primum commendans eos, quòd antiquæ regulæ formam sequuti sunt, in toto orbe seruata, vt in rebus fidei, Apostolica sedes consuleretur, quatenus in ecclesia catholica omnes idipsium sentiant, & non sint in rebus fidei schismata & dissentiones, scientes, inquit, quòd per omnes prouincias de apostolico fonte petentibus responsa semper emanarent, præsertim quoties ratio fidei ventilatur. Arbitror, inquit, omnes fratres, & omnes episcopos nostros non nisi ad petram, id est, ad sui nominis, aut honoris auctoritatem referri debere, quod per totum mundum possit in commune omnibus prodesse. De hac Petri cathedra Bern. sic ait Dignum namque arbitror, ibi potissimum referri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum. Innocentius igitur repro-
bans Pelagianorum hæresim, In omnibus, inquit, diuinis paginis, liberæ voluntati non nisi adiutorium Dei legimus esse necendum, eandemque hominis voluntatem nihil posse, destitutam cælestibus auxilijs. Proinde merito in hos clamat propheta, Ecce homines qui non posuerunt Deum adiutorium sibi. Defuncto autem Innocentio papa, synodalia decreta concilij Carthaginensis ducentorum & quatuordecim episcoporum, ad Solum papam Innocentij successorē sunt per-
lata, & tunc per totum mundum hæc hæresis fuit damnata, testis est Augustinus, testis est beatus Prosper in additionibus ad Eusebij Cronica. Vides quanta fuerit iam olim apud sanctos patres Augustinum, Prosperum, ceterosque auctoritas apostolicæ sedis in erroribus, & hæresibus condemnandis. Habes quoque huiuscemodi errorum condemnationem in decretis his verbis. Quisquis dixerit gratiam Dei per Iesum Christum, propter hoc tantum nos adiuuare ad non peccandum, quia per ipsum reuelatur & aperitur nobis intelligentia mandatorum, vt sciamus, quid appetere, quid vitare valeamus, nō autem per illam nobis præstari, vt quod faciendum cognouimus, etiam facere diligamus & valeamus, anathema sit, de consecratione distin. 4. capite Placuit, & capite Quisquis. Item in concilio Milenitano, tempore eiusdem Innocentij celebrato. Quicumque dixerit ideo nobis gratiam iustificationis dari, vt quod facere per liberū arbitrium iubemur, facilius per gratiam implere valeamus, tanquam si gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possemus, etiam sine illa implere mandata diuina, anathema sit. De fructibus enim mandatorum loquebatur Saluator, Sine me nihil potestis facere. Non ait, sine me difficilius potestis facere. Item in lib. de ecclesiasticis dogmatibus. Si quis alios per misericordiam, alios verò per liberum arbitrium (quod in omnibus qui de præuaricatione primi hominis nati sunt, cōstat esse viciatum) ad gratiā baptismi posse venire contendit, à recta fide probatur alienus. Item nullus ad salutem, nisi Deo intus inuitante venit, nullus inuitatus, salutem suam nisi Deo auxiliante operatur. Nullus nisi qui Deū orauerit ipsius auxilium promeretur. Nullus orando à Deo impetrat, nisi qui fidem habens ex fide postulat. Nullus fidem habet, nisi cui Deus gratis dederit. Et ita verum est saluatoris verbū, Sine me nihil potestis facere. Quāuis autē pro refellenda hæresi iam dānata synodalia vniuersalis ecclesiæ, decreta pro ratione debēt sufficere, neque sit opus vt contra hæresim iā damnatā, noua prodeat sententia quemadmodū ostendunt sancto-

Primatus Petri
tempore Augu-
per totum orbē
agitur

Dicens manda-
ta posse impleri
sine gratiā est
anathema.

sanctorum patrum decreta in canone. 24. q. 1. Quatenus autem faciliora videantur, quæ de gratia diximus & dicturi sumus priusquam ad singulos errores in specie reprobandos descendamus, Præmittemus sententiās quasdā generales, quibus hæreses de gratia & libero arb. discernuntur ab orthodoxæ fidei articulis.

Hæreticus docet gratiam esse naturalem liberi arbitrij potestatem à Deo conditore humano generi insitam, & per hanc hominem posse esse sine peccato, iuste & rectè viuere. Christianus docet gratiam esse largitatē Dei misericordis per Iesum Christum factam, sine qua homo per naturalem liberi arbitrij potestatem neque liberari à peccato potest, neque quicquam iuste, aut rectè agere.

Hæreticus docet gratiā esse, aut legē, aut cognitionē legis. Et per hanc hominē posse adimplere ea, quæ lex iubet. Atque ita hominem habita cognitione legis posse liberi sui arbitrij viribus bene viuere & peccata vitare. Christiana fides docet inter legem & gratiam discernere, dicens, Lex per Moysen data est. Gratia autem & veritas per Iesum Christum facta est. Atque ita hominē sine gratia etiam quantalibet fuerit cognitione legis præditus, nequaquam posse bene ac iuste vllum legis opus adiuuare, aut à peccato sese eximere, aut peccata vitare.

Hæreticus docet gratiam esse Euangelij reuelationem, seu prædicationem, & per hanc hominem posse liberi sui arbitrij viribus credere, vt Christianus fiat, deincepsque bene viuatur naturali potestate liberi sui arbit. Christiana fides docet gratiā esse illuminationē Dei intus etiā operantis, vt homo foris audiens Euangelij salutis prædicari, credat, bene velit, ac iuste operetur. Et sine hac illuminatione intus operata, prædicationē Euangelij forissecus pulsantē aures nō esse sufficiens auxilium, vt homo bene valeat credere ac Christianus fieri, & bene viuere.

Hæreticus docet bona opera sanctorumque hominum merita diuino muneri simul & nostræ voluntati esse tribuenda, propterea quòd Deus naturæ rationali donauit posse bene operari bonaque merita sibi accumulare. Christiana autē fides docet omnia bona opera sanctorumque hominum merita esse tribuenda gratiæ Dei, operantis omnia opera bona, intusque mutantis hominum voluntates suauiter que mouent, vt credant, velint, & bene viuant.

Hæreticus docet gratiā Dei esse remissionem peccatorū acceptam ex merito voluntatis hominis penitentiæ, & credenti, hominēque hac remissione accepta suis viribus cū sola cognitiōe legis posse deinceps adimplere mandata, bene viuere, & vitare peccata. Christiana fides docet gratiam esse, per quam Deus operatur remissionem peccatorum gratis. i. absque ullis meritis, aut fidei, aut interioris penitentiæ, dicente Apost. Paul. Gratia saluari estis per fidem, & hoc nō ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus.

Hæreticus docet gratiam quidē esse necessariam, vt commissa peccata remittantur, sed hominibus iam remissionem peccatorum assequutis, non esse necessariam vllam gratiam ad perseuerandū in bona voluntate, & vitandum peccata. Christianus docet gratiam non solum esse necessariam, vt peccata commissa remittantur, sed multo amplius etiam, vt per eam homines remissionem peccatorū assequuti, adhuc imbecilles in corpore corruptibili, & in assidua concupiscentia carnis aduersus spiritum pugnantis, & in tot & tantis tentationibus deforis ac currentibus adiuuentur, foueantur, consolentur, & confortentur ne deficiant. Hæreticus docet gratiam Christi esse homini necessariam non propter impotentiam, aut imbecillitatē hominis operantis, sed ad tollendū inimicitiam, irā, & indignationē Dei irascentis homini propter peccatū commissum. Christiana fides docet gratiam Christi esse omni homini necessariam, non solū ad tollendam inimicitiam, sed etiam ad iuuandum hominis impotentiam & imbecillitatem.

D ij Hæreti

Sentētia. 1.
Olio sentētia,
quibus discernitur
hæresis à
sententijs fidei
orthodoxe.

Sentētia. 2.

Sentētia. 3.

Sentētia. 4.

Sentētia. 5.

Sentētia. 6.

Sentētia. 7.

Sentētia. 3. Hæreticus docet gratiā esse solū adiutoriū per quod aut peccata facili⁹ vitentur, aut mandata facilius adimpleantur. Christiana fides docet gratiam esse, per quod peccata, neq; facilius neq; difficilius vitari possunt, neque mandata facilius aut difficilius adimpleri. Ex his itaq; octo sententias orthodoxæ fidei habes singulas contra singulos articulos, in quibus errauit Pelagius hæreticus, defendens liberum arbitrium cum iniuria diuinæ gratiæ.

Sentētia. 1. Prima sententia catholica, contra primum articulum hæreticum probatur. Nam omnis homo, sine gratia Christi est in ira & inimicitia Dei, reusq; dānationis aternæ. Ab his autē malis nō potest homo per naturalē liberi arbitrij potestatem sese eximere. Hæc enim oīa sunt super humanæ naturæ vires, quæadmodum neq; in hominis rei, qui dignus est morte, potestate est sese à reatu mortis liberare, sed hoc p̄bet in volūtate iudicis si parcendo, & miserādo dignetur ignoscere. Ad hoc facta est humano generi gratia per Iesum Christum, vt per eā dissoluatur ira & inimicitia Dei, reatusque aternæ mortis, pereatque seruitus & captiuitas sub potestate diaboli.

Sentētia. 2. Secunda sentētia catholicæ fidei contra hæresim secundi articuli patet. Nam etsi per legē seu legis notitiā, aut scientiā, vt inquit Paul. sit peccati cognitio, dū sciens legem videt, & agnoscit sese legem non custodisse, per eam tamē, neq; est reconciliatio in amicitiam Dei, neq; remissio peccati, sed per gratiam & misericordiā legislatoris, qui offensus author est legis, & Dominus vitæ ac mortis. Non potest igitur homo per naturalem liberi arbitrij potestatem ex habita cognitione legis bene, aut iustē viuere, aut Deo gratum quicquā facere, absq; gratia Dei miserentis, etiam quantumlibet ex ingenitis naturæ stimulis prioris vitæ pœniteat, & sese exerceat in moralis vitæ operibus. Nam & Iudæi, Saraceni, ac Pelagiani, putantes gratiā Iesu Christi sibi nō esse necessariā, commissa quidem peccata desunt, orantes quotidie secundū Psalms dauidicos, pro remissione peccatorum, sanctita quoq; legis naturæ vteq; seruāt, sed ignorantes, vt inquit Paul. Dei iustitiam, quæ est per Christum Iesum, suā volunt cōstituere, fidentes sese ex operibus legis naturalis, aut Moyfi posse assequi iustitiam, & remissionem peccatorum, & ideo manent in ira Dei, & ad remissionem peccatorum non perueniunt.

Sentētia. 3. Tertia sententia orthodoxæ fidei contra hæresim Pelagij patet ex innumeris scripturæ sacræ testimonijs, asseuerantibus fidē qua quisq; sit fidelis, aut Christianus, esse donū Dei, quemadmodū & Paul. de seipso, inquit, misericordiā cōsequutus, vt fidelis essem nō dixit quia eram, sed vt essem, Gratia Dei sum id quod sum. Verū hic forsitan diceret quispiam improbus liberi arbitrij defensor, Paulum quidem cū esset in actu persequutionis misericorditer & miraculose ex perfidia fuisse cōuersum ad fidē supra naturæ vires, sicuti & ipse subito mutauit aquam in vinū Christus. Cæteros autē homines spōte, audita Euāgelij prædicatione, ex naturali potestate liberi arb. posse credere. Sed huic respōdeo, Paul. per oēm passim locū docuisse fidē esse donum Dei, nō solū in seipso, sed & in omnibus Christianis credentibus, quemadmodū ad Ephesi. loquitur, Gratia saluati estis per fidē, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, nō ex operibus; Hæc tractās Augustinus libro primo, de prædestinatione sanctorum, Fidei, inquit, datur quidem misericordia, qua iuuatur in operibus bonis, sed & data est ei misericordia, vt fidelis esset, qui & ibidem argumentis & scripturis multis demonstrat, neminem prædicato sibi Christo à seipso habere fidem in Christum, sed vnumquemq; credentem prædicato sibi Euāgelio accipere fidem gratis, Deo donante. Gratis inquam id est, tanquam indebitum accipiens beneficium, & absq; vllis operū meritis, re-fellitq; ibidem cap. 3. errorem quo dudū malē senserat, putās præconiū veritatis euangelicæ

euangelicæ esse gratiam præuenientem, qua præuenti possemus credere. Prædicato autē nobis Euāgelio consentire, nostrū esse propriū, & nobis ex nobis esse.

Quarta sententia ex superioribus cohærens est manifesta. Nam quemadmodū ad hoc, vt quisq; rectē credat, fidemq; Christianam habere incipiat, indiget non solū manifestatione, aut prædicatione articulorum fidei Christianæ, sed & auxilio Dei sua vocatione alta secretaq; inspiratione facientis intellectum cōsentire veritati prædicatæ. Ita & in singulis operibus bonis iuxta Paul. Apost. doctrinam Deus operatur velle & operari pro bona voluntate. Cæterū Christus incarnatus & passus est pro hominibus, nō vt haberēt posse bene viuere, quod in natura est, & in doctrina iā pridem acceperant cū conderentur homines facti ad imaginem & similitudinem Dei mentē habentes rationalem, qua dominarentur piscibus & bestijs terræ, sed vt haberent gratiam, qua liberarētur à peccatis, & eam quidem nō talem qua possent seipso iustificare, sed talē qua ex impijs fierent iusti à Deo, non solū talem qua possent conuertere corda sua ad Dominum Deum suū, sed tā fortem qua fieret, vt & ipsi corda sua conuerterent ad Dominū Deum, quemadmodum infra latius declarabimus.

Quinta sententia secum affert probationem per scripturam, in qua planē docetur oīs homo gratis iustificari, id est, ex impio iustus fieri, aut remissionem peccatorum accipere absq; vllis meritis, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, inquit, Paul. ad Titū, sed secundū misericordiā suā, saluos nos fecit, mundans nos lauacro aquæ. motus autē fidei, interiorisq; pœnitentiæ seu displicentiæ de peccatis sunt sanæ dispositiones quādā, sed nō sunt merita gratiæ aut remissionis peccatorū accipiendæ, sicuti supra demonstrauimus, & infra sumus declaraturi.

Sexta sentētia patet. Nā gratia per Christū Dominū impensā in hac vita, neq; prius exterminat sathanā potestatem, neq; prius sanat naturā, faciens eā liberam ab omni malo, secundū libertatem quā habuit Adā ante peccatū. Atq; ita Christian⁹ iā accepta peccatorū remissioe, q̄diu viuit in corpore mortis huius, versatur inter medios hostiū cuneos, vbi sathanas per suos satellites circuit, querēs quē deuoret, vbi & corp⁹ quod corrūpitur deprimit rationalē mentē, & per malū habitans in carne ipsa, caro cōcupiscit aduersus spiritū, vbiq; pericula, intus pugne, foris mūdii huius, blādimenta, aut tormenta, quibus homo iā gratiā ac remissionē peccatorū assequutus, patitur difficultates, impedimēta assidua, seu auocamenta à Deo vero suo beatifico bono. Atq; ita secundū decretū concilij Milenit. firmissime tenendū est, neminē etiā baptizatū, gratia renouatū, esse idoneū ad superandas diaboli insidias, & ad vincēdas carnis cōcupiscentias, nisi per quotidianū Dei adiutoriū, perseueratiā bonæ cōuersationis acceperit. Vnde auxilia diuinę gratiæ sunt accipiēda, nō tanq̄ auxilia medici, qui prius sanato corpore hominis abscedēs, deserit hominē, relinquēs illū viribus suis, sed tanq̄ auxilia medici, qui sanato mortis vulnere, assidue iuuat, ac ducit hominē illū adhuc suis viribus debilē, languidū, imbecillē, non potentē per se subsistere, stare, aut ambulare, cui etiam assiduū imminet periculū renouādi vulneris, nisi quotidiana adhibeatur emplastra.

Septima sententia ex supradictis est manifesta. Nam sublata per gratiam Christi inimicitia inter Deum & hominem, non tollitur naturæ infirmitas, quæ intrauit per Adā peccatum, sed adhuc manet homo subiectus multis miserijs & tentationibus, varijs ad omne genus vitiorū secundum naturam vitiatam procliuis, quibus fit, vt ad perseuerandum in bona voluntate (quæ per huiuscemodi mala facile est mutabilis) quotidianis indigeat diuinæ protectionis auxilijs. Atque ita gratia Christi miserentis est necessaria non solummodo ad dissoluendum inimicitiam, sed etiam ad iuuandum naturæ iam reconciliatæ imbecillitatem. & hæc

sunt adiutoria, pro quibus passim in scripturis orant sancti, postulantes adiuuari, protegi, defendi, ac deduci in via recta.

Sententia. 8

Homo sine gratia, non facile, non difficulter potest seruare mandata. Epilogus de gratia.

Octaua sententia itidem ex superioribus est liquida. Nam liberum arbitrium absq; gratia Christi, neq; potest sese à peccato eximere, neq; iustitiam Deo acceptam facere, atq; ita homo iam potest Adæ lapsum, absq; gratia Christi miserentis, neq; facile, neque difficulter potest, aut esse ac viuere sine peccato, aut adimplere legē aut seruare mandata. Ex omnibus igitur sententijs supradictis patet gratiam per Christum Dominum humano generi factā, neq; esse naturam liberi arbitrij, neq; legem, seu legis cognitionem, neq; solam reuelationem Euāgelij forinsecus infonantem, neq; ad hoc tantum valere vt peccata præterita remittantur, & tollatur ira Dei, ac inimicitia, & vt mandata facilius adimplere valeamus, sed eā gratiā esse, qua voluntas mala mutatur in bonā, & mutata adiuuatur, qua & fit nō solū vt homo possit esse sine peccato, & bene viuere, sed & fit, vt fit sine peccato, & bene viuatur, & vt futura peccata vitentur, & repugnātia separentur. Euāgelio per hominem prædicato, aut aliās reuelato, Deus occulta & interna, atque mirabili sua potestate intus operatur fidem, consensum, peccatorum remissionem, soluens antiquę mortis vinculum, immittens viuificantem spiritum faciens in hominis anima tantum rectas quaslibet operationes, quam salubres cogitationes quotidianis suis auxilijs, dirigens atq; reducens eandem animam iam liberatam, vt perseueret in bono, quod illo largiente concepit, sic adiuuando eam assidue, vt nisi fuerit adiuta, nihil pietatis, nihilq; iustitiæ siue in opere, siue etiam in ipsa voluntate habere valeat, dicēte Christo, Sine me nihil potestis facere, atq; ita consequens est, hanc Dei gratiā ad singulos bonos actus esse necessariā, & omne opus bonum Deo esse tribuendū, nobisq; nō esse gloriandū de vilo bono, sed totum esse Deo dandū, quoniā nostrum, vt inquit Cyp. nihil est, nō q; opus bonū sit à voluntate nostra alienū, sed q; sine gratia liberante & adiuuante non fieret à voluntate nostra vllum opus bonum. Hęc est catholica fidei doctrina, quā ex scripturis sacris didicit per vniuersum orbem Christiana ecclesia, quam & illustrauit venerabilis Augustinus in omnibus ferme libris, in quibus contra Pelagium disputat, quæ & manifesta est ex definitione ecclesiastica in Milenitano cōcilio contra Pelagiū celebrato in præsentia diui Augustini, & Ancelmi ecclesiæ Romanæ legati, quod triginta præcipue continet decreta, quæ & recitantur in libro de definitionibus ecclesiasticorum patrum, quem sanè librum solent nonnulli tribuere Augustino, non quod Augustinus fuerit illius libri author, sed quod per omnia sententias Augustini, & totius concilij ecclesię contineat.

¶ *Caput quartum, in quo distinctim refelluntur Pelagij hæreses de libero arbitrio tradite in diuine gratiæ iniuriam.*

Quia in hodiernum vsq; diem sunt improbi quidam liberi arbitrij defensores, hæctenus à Pelagianis quibusdam semitis nō declinātes, operapræctiū est iam singulas speciatim refellere. Primum igitur, quod gratia Dei ad iustē viuendum, & ad peccata vitandum, non fit neq; natura rationalis sic cōdita, vt possit bene & malē viuere, peccata vitare, & non vitare, neq; naturalis liberi arbitrij potestas, demonstrat Augustinus multis in locis ex scripturis sacris, & præsertim in epistola ad Sixtum Romanum presbyterum, Christus mortuus est, inquit, pro hominibus, non vt homines conderentur cum naturali possibilitate liberi arbitrij, sed pro hominibus impijs & infirmis, vt iustificarentur & sanarentur, ex fide in Iesum. Neque item Apostolus Paulus eam commendat gratiam, in qua sic creati sumus, vt habeamus mentem rationalem, qua valcamus intelligere, inter præcepta & non præcepta discernere. Hanc enim naturam habemus

Gratia non est naturalis liberi arbitrij potestabilis.

benus cum impijs & infidelibus communem, sed eam gratiam laudat, qua iustificati sumus à peccatis, liberati à damnationis vinculo, reconciliati Deo patri, facti adoptionis filij hæredes cœlestis regni. Naturalis autē possibilitas liberi arbitrij natura est hominis, cū qua & cōditus est primus homo. Gratia verò Saluatoris, neq; natura est, neq; cōtra naturā, sed reparatio seu perfectio, per quā natura peccatis mortua, seu destituta spirituali vita sua rursus viuificatur, per quā & natura captiua, infirmā, seu languida, liberatur, sanatur, roboratur, & adiuuatur, vt bene viuatur. Primus homo naturali mētis potestate viuēdi sine peccato, naturaliq; excellētia male vsus, vnā cum tota sua posteritate lapsus est in necessitatē habendi peccatum in barathrum damnationis, in miseriam & exiliū à cōsortio cœlestis regni, à quibus itā malis nemo deinceps sine gratia Christi potest liberari. Ad hoc igitur vt iustificemur à peccatis, & liberemur à reatu mortis æternæ, & mandata Dei adimpleamus, nō sufficit liberi arbitrij naturalis potestas, sed & oportet misericordiā Dei miserētis præuenire vnum quēq; vt veniat super ipsum spiritus viuificans, quo tollatur inimicitia, & à peccatis conuertatur ad Deū suū voluntas eius, muratq; voluntate, deinceps iuuetur infirmitas ne deficiat inspirata fide, & à bona voluntate. Atq; ita nemo nisi per Christum, libero bene vtiatur arbitrio. Caterū & Augustinus cōtra Pelagianos, probans neminē posse iustificari per vim sui liberi arbitrij naturalē, argumento vtiur Pauli Apostoli, Si per vim naturā liberi arbitrij potest esse iustitia, ergo Christus gratis, inquit, est mortuus. Blasphemum autem est in Christiana fide dicere, Christū esse gratis mortuū: nam secundum apostolicam doctrinam, Christus in corpore carnis suæ pertulit peccata nostra. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, recōciliauit nos Deo patri, Deus pater per eundē Dominum Iesum secundū diuitias. i. habundantiā gratiæ suæ eripuit nos de potestate tenebrarū, & trāstulit in regnum charitatis suæ gratificans nos sibi, & gratos, & charos faciens nos per eundem Dominum nostrum Iesum, in quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius remissionem peccatorum, secundum diuitias gratiæ suæ, qui & incipiens est in nobis opus bonum, & perficiens vsq; in diem Iesu, vt non amplius seruiamus peccato. Patet igitur gratiam Christi non esse naturalem vim liberi arbitrij. Dein de quod neq; cognitio legis, neq; mandatorū sciētia sit gratia per Iesum Christū impensa, ex qua liberū adiutum hominis arbitriū valeat iustificari. August. probat simili argumento Apostoli dicentis, Non irritō facio gratiam Dei. Nā si per legem iustitia, ergo Christus gratis est mortuus, sed Christus non est gratis mortuus, nō est ergo per legē iustitia. Erat quidē in lege iustitia, id est, hominibus viuētibus in lege erat iustitia, non autem erat huiusmodi iustitia per legem, sed per fidem. Nam quemadmodum nos ita & illi per gratiam saluabantur. Per legem, id est, per scientiam legis non esse iustitiam, probat Augustinus in libro de spiritu & litera, Doctrina, inquit, illa qua mandatum cognoscimus continenter rectēque viuendi, litera est occidens, nisi adsit spiritus, qui faciat in animo delectationem summā & incommutabilis boni, quod Deus est. Amplius autem quod neq; ex operibus legis sine gratia fidei factis quispiā iustificetur, probat ex Apostolo, ad Roman. 3. Non iustificabitur ex operibus legis omnis caro, corā illo scilicet Deo, coram hominibus quidē potest iustus haberi, qui scit & facit qd lex iubet, nō adiuuante fide ex charitate, sed timore pœnæ, aut temporalis cōmodi, aut amore præsentis iustitiæ, quæ apud homines habetur commēdabilis, sed sic operans non iustificatur coram Deo. Et ne quispiam arbitretur Apostolum hoc dixisse de operibus, quæ in sacramento veteris legis continētur, veluti cū circumcisio, & hostiarum oblatio, continuō subiicit declarans quam legem dixerat,

Gratiam oportet à natura discernere.

Per vim liberi arbitrij nemo potest absque gratia Christi bene viuere.

In lege iustitia sed non per legem.

Per legem enim, inquit, cognitio peccati, de ista igitur lege, inquit August. loquitur Apost. de qua postea dixit. Peccatum nō cognouit, nisi per legē. Nam concupiscentiam nesciebā, nisi lex diceret, Non cōcupisces. Rursus ne quisquā putaret Apostolū voluisse neminē quidem posse iustificari per legē, id est, per solius legis cognitionē, utiq; tamen posse iustificari per legis opera cōtinuō subiicit. Nunc aut iustitia Dei manifestata est nobis, testificata in lege & prophetis, id est, iustitia per Christum est nobis reuelata, quæ olim sub vmbri & figuris à prophetis erat testificata. Et aperiens qualis nā sit huiuscemodi iustitia mox sequutus ostendit. Iustitia Dei, inquit, per fidē Iesu Christi in omnes, & super omnes qui credūt in eū. Nō igitur per cognitionē legis, nō per opera legis, nō per opera decalogi, nō per vim liberi arbitrij, sed gratis, id est, sine meritis præuijs per fidē Iesu Christi iustificatur impius. Non q̄ fides, aut gratia nostram voluntatē auferat, sed q̄ voluntas nostra per legem ostendatur infirma, & per fidē diuinitus inspiratam con fugiat ad Saluatoris gratiam, qua sanetur & adiuuetur. Et ita gratia, qua ex impijs efficiuntur iusti datur, nō quia bona opera fecimus, sed vt bona opera facere valeamus. Quod enim lex imperat, fides impetrat. Hæc diuini Augustini resolutio, docentis gratiā per Iesum Christū humano generi impesam esse, qua homo & iustificatur ex fide, & iā iustificatus adiuuetur. Fidē esse, quā per omnē locū cōmendat scriptura, ex qua iustificamur, hāc nō ex nobis esse, nō ex viribus nostri arbitrij, neq; ex meritis operum, sed cœlitus inspiratam, dicēto Paulo Apost. Gratia salui facti estis per fidē, & hoc nō ex vobis: Dei enim donum est, nō ex operibus. Neq; ergo naturalis liberi arbitrij potestas, neq; ratio mētis interna, neq; legis cognitio, neq; adimpletio officiorū eorum, quæ lex, siue Moyfi, siue decalogi iubet, absq; spiritu fidei in Iesum potest nos iustificare, & ita gratia per Iesum Christum humano generi impesā, neq; est naturalis liberi arbitrij possibilitas, neq; lumen rationis internē, neq; cognitio legis. Quod etiā sola Euāgelij reuelatio seu prædicatio doctrinæ Euāgelicæ, nō sit gratia per quā liberū arbitriū valeat suis viribus peruenire ad fidē, qua Christianus sit, & ad remissionē perueniat peccatorū, demonstrat August. in epist. ad Vitalē, & in lib. de prædest. sanct. & in lib. de fide ad Petrū, ca. 32. alijsq; in locis plurimis ex scripturis, quibus dicitur fidem nō esse ex nobis, sed Dei donū, nō ex operibus, & neq; eū qui plantat, aut foris prædicat aliquid esse, sed Deū intus operari, hoc est opus Dei, inquit Christus, vt credatis in eū quē misit ille: vtiturq; August. ad id probandū hac ratiocinatione, Si reuelatio aut prædicatio Euāgelij esset adiutoriū sufficiens, quo posset homo per naturalē liberi arbitrij potestātē credere, nō esset opus orare pro ipso, vt Deus operaretur in eo fidē, aut fidei motū, sed sufficeret Euāgelij prædicare illi. Hoc autē falsum & cōtra cōsuetudinem ecclesiæ orantis pro infidelibus, & paganis, vt ad fidem infidelium corda cōuerterent. Verū Vitalis Pelagij discipulus hāc ratiocinationē August. dissoluebat, dicens Deū operari in nobis, & sufficiētē adiuuare nos, vt credamus dū facit euāgelij prædicari nobis, qui etsi per naturalē vim liberi arbitrij valeamus quidem Euāgelio prædicato cōsentire, vel nō cōsentire, tamen nō semper cōsentimus, quia nō semper volumus facere id, quod possumus facere, & ideo rogamus Deū, vt Deus qui omnipotentissimā habet potestatem, in voluntates hominum rebelles, cōuertat ad fidem eos, qui alioqui etiam poterāt sese per easdem suas voluntates ad fidem cōvertere, suāq; spōte credere Euāgelio prædicato. Verū de hac difficultate infra latius, vbi dissetur de efficacia argumentorū Augustini Pelagianas hæreses reprobantis. Deinde q̄ bona opera non idcirco sunt Dei Dona, aut diuino muneri tribuenda, quia Deus hoc posse donauit contra Pelagium, probat Augustinus libro contra Celestium, cap. 15.

Prædicatio Euāgelij nō est sufficiens adiutoriū quo valeat credere is, qui audit Euāgelij prædicari.

Si

Si quod bonū agimus, loquimur, cogitamus, ideo est Dei munus, quia Deus hoc posse nobis donauit, ergo quod malum agimus, loquimur, & cogitamus Dei munus erit, quia illud posse ad vtrumque donauit. Ad vtrumque enim ad bonum videlicet, & ad malum agendum habemus posse. Id autem absurdum, inquit, est homicidium, falsum testimonium, idololatria, adulterium, non Dei sed diaboli sunt opera, zizaniaque orta ex prauo semine, quod inimicus homo supereminat in agro humanæ naturæ. Ex eiusdem quoque argumenti viribus possumus cōcludere opera bona esse diuinę gratię tribuenda, nō propter solum cōcursum diuinę voluntatis ad opera bona. Nam & ad opera mala facienda concurrat Deus. Quisnam enim est qui posset mouere pedem in scelus perpetrandum, si non illi cooperatur Deus. Aliter concurrat Deus in opus bonum, aliter in opus malum: sed de hoc infra. Vnde Chrysolomus tractās illud Apostoli ad Timotheum, Ab infantia sacras literas nosti, qui te instruere possunt ad salutem super hac materia normam quandam, & regulam, sub qua periclitari non possumus, quasi longē antē præuidens hanc hæresim tunc futuram, docet mala ex nostra tantummodo fieri voluntate, quia Deus nihil mali vult fieri, bona autem opera omnia fieri ex nostra voluntate, simul & Dei adiutorio. Hoc autem testimoniū iam citauimus satis prolixē in superioribus. Deus ergo in sua gratia non solum dat potestatem bene & male operandi, sed etiam facit actum, & motū boni operis, dicente Apostolo ad Philip. 2. Deus, inquit, est qui operatur in vobis velle, & operari pro bona voluntate, hoc est Deus, qui agit in vobis vt bene velitis, seu bonum habeatis motum voluntatis, is operatur, vt etiam bene operemini secundum huiuscemodi bonam voluntatem. Hæc tenus ergo satis patet opera bona diuino muneri tribuenda, non idcirco, quia Deus posse donauit. Iam contra hæreticos Pelagianos videamus gratiam Dei Saluatoris nobis esse necessariam, non solum vt peccata commissa nobis remittantur, sed etiam vt peccatis reniis, valeamus perseuerare in bona voluntate. Ad quod planius intelligendum, iugi memoria tenendum est, voluntatē hominis iā post lapsum Adæ, non solummodo ex sese esse mutabilē in malū perinde atq; erat ante lapsum, sed & in vitia procliuem, & multis causis ad malum trahētib; & pellentibus eam, quæ & iam secum defert semper carnem concupiscentiæ aduersus spiritum, patiens alias difficultates multas, tam intus, quā foris, quibus distracta mens in terrena cogitanda plerumque demergitur, quas sanē difficultates non patiebatur homo ante peccatū in paradiso, vbi secum sua pace fruebatur. Hoc cōsiderato, facile est intelligere voluntatem hominis, etiam sub gratia constituti, iam indigere quotidianis quibusdam auxilijs, quibus inter tot, tantasq; difficultates confortata pugnet & vincat, quibus non indignisset, si nemo peccasset. Hæc est definitio concilij Milenitani, quę recensetur in libro de dogmatibus ecclesiasticis, cap. 24. Firmissimè credendum est neminem etiā baptismatis gratia renouatū, idoneum esse ad superādas diaboli insidias, & ad vincēdas carnis cōcupiscentias, nisi per quotidianū adiutorū Dei perseuerantia bonę conuersationis acceperit. Et cap. 27. Ita Deus in cordibus hominum, atq; in ipso libero arbitrio operatur, vt sancta cogitatio, piū consilium, omnisq; motus bonę voluntatis ex ipso sit, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus: hoc dicitur non propterea solum quod initium boni ex Deo est, ex nobis autē perseuerantia in bono, sed quia neq; incipere, neq; perficere quicquā boni possumus sine gratia Christi omne bonum operantis. Erit autem manifesta hæc sententia, si cōfyderemus verbum Saluatoris, dicentis, Sine me nihil potestis facere, & attendamus simul, ex quibus Saluator ad hoc dicendum peruenit. Vnde præmiserat ibidem. Ego sum vitis vera, vos palmites. Pater meus

Mala opera non sunt Deo tribuenda, quāuis Deus in illis hominibus cooperatur.

Mala ex nostris solum voluntate fiunt.

Gratia Christi necessaria est, non solum ad remissionem peccatorum, sed etiam ad uitandū peccatū.

agri

Nota interpre-
tationem uerbi
Christi dicti,
Sine me nihil
potestis facere.

agricola est. Sicut palmes non potest facere fructum, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. Ioan. 15. Planè vides Saluatorè velle, Sine me vera vite humorè spiritualis vite vobis vt palmitibus date, & faciète vos fructificare, nihil potestis facere: nihil, hoc est, nullum fructum spiritualis vite. Ipse est qui per prophetam loquitur, Ego facià, vt vos faciatis. Vnde & hoc Saluatoris verbu tractans Augu. De palmitu, inquit, fructib⁹, hoc est, de operibus bonis, nò de prauis loquebatur Saluator intelliges, Sine me nihil potestis facere, nihil inquam boni, nec cogitare quidem, nec velle, nec operari. Nam illius gratia non adiuuante agis vtiq; sed male. Malum non ex gratia, sed ex nobis esse, bonum autem ex gratia passim indicat scriptura, docens concupiscentias carnis, malaque desyderia non esse à Deo patre, sed diaboli opera. Vnde Apost. Nemo in spiritu Dei loquens dicit, anathema Iesu. Nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi in spiritu sancto.

Saluator igitur dicens, Sine me nihil potestis facere, hoc dicit, non propter generalem Dei & humanæ voluntatis concursum ad omne opus quod facit homo. Nam ethnici & pagani, qui non sunt palmites in Christo, multa faciunt opera sine Christo, sed propter specialem motionem spiritus sancti mouentis voluntatè humanam, ad faciendum fructum vitæ æternæ per Christum Dominum, secundum quod Christus est caput ecclesiæ, mediator Dei & hominũ. Non solũ Deus, nec solũ homo, sed homo Deus. Vni⁹ quippe naturæ sunt vites & palmites, Christus vitis nò esset, si nò esset homo. Et istã gratiã palmitibus nò præberet, nisi etiã esset Deus. Proinde factus est homo, vt in ipso esset vitis humana natura, cui⁹ nos homines palmite esse possemus. Idem etiã tractans Hieron. 3. lib. cõtra Pelagianos. Sicuti rami, inquit, cũ fuerint præcisit à vite, ilico cõtabescunt: ita omnis fortitudo hominis deperit & marcescit, si à Dei auxilio deseratur. Hic si dixeris, huiuscemodi testimonijs solum probari nos nihil posse boni facere sine Dei gratia, id est, nisi Dei gratia fuerimus iustificati, remissusque peccatis, facti fuerimus Dei amici, nò tamen ob hoc minus potètes. Iam verò assequuti peccatorũ remissionè, diffusis in nobis fidei & charitatis virtutibus opera facimus viribus liberi arbitrij bona, Deoq; placentia. Quemadmodum famulus, qui offendit regem, quamuis non minus, quàm antè sit potens in viribus corporis, manens æquè robustus ad militiam, ad bella, cæteraque externa opera, nihil tamen facit illi gratum, nisi rex ipse remiserit offensam. Vbi verò reconciliatus fuerit, iam obsequia & opera illius sunt regi grata. Respondeo cõtra hunc intellectũ est similitudo adducta per Saluatorè. Palmes à vite & radice vitis accepit vnde viuat, ab illa su gens succum vitalem, què vitis ipsa assidue mittit ad palmites, qui neq; fructum vllum proferunt, nisi ex succo vitali quem vitis gignit. Proinde abscisi palmites ilico tabere & marcere incipiunt. Saluator ergo dum illam similitudinem ad animam transferens, dicit, Sine me nihil potestis facere, plane intelligit, Sine me, id est, nisi ego quodam speciali modo mansero in vobis operans, & vos in me, vt in Saluatore vestro, redemptore ac capite, ita vt habeatis succum spiritualis vitæ, à me nihil potestis facere, id est, nullum fructum vitæ.

Hic rursus si dixeris nos manere in Christo, q̄diu manemus in virtute fidei & charitatis, & quis de Christo nihil cogitemus, ipse habitat in nobis etiã dormiètib⁹, & de se nihil cogitantibus. Vnde & facimus opera bona ex viribus liberi arbitrij nostri nihil cogitantes de Christo. Veluti sunt, honorare parètes, subuenire miseris. Quèadmodum habes tibiã vulneratam, si in sua sanetur tibia rectè, iã poterit ambulare sine ope medici. Respondeo hãc nò esse sanam ipsius scripturæ interpretationè, quã & refellit fides catholica ex ipsa sentètia, quã inculcat ibidè Saluator, planè demonstrans

frans, sicut palmites fructum ferunt ex virtute quam accipiunt à vite, ita & iusti, si quos faciunt fructus bonos, hos ex virtute faciunt à Christo accepta, id est, spiritu fidei purificantis. Vnde & rectè dici solet, Nullum esse opus bonum, nisi quod ex fide aut elicitum est, aut imperatum. Fides autè ex qua Deus purificat corda nostra, qua Christiani effimur, quæ & per dilectionem operatur, non ex nobis est, quemadmodum & alibi ipse dixit, Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, què misit ille. Et iterum, Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum. Vbi Saluator, vt inquit Hieron. frangit superbientem arbitrij libertatem, quod etiam si ad Christum velit peruenire, nisi pater traxerit, nihil cupiet, frustra que nitetur. Vnde & Pelagiani cupientes peruenire ad Christum, non peruenierunt ad illum, quia suis viribus fisi, ita restiterunt Deo, vt non traherentur ab illo.

Rursus verò si dixeris Saluatorem illic esse loquutum de initijs conuersionis, veluti cum is qui fuit impius, incipit aut credere in Christum, aut iustus fieri, hoc enim non potest infidelis aut impius, nisi Deus trahat intus præparando cor eius ad fidem. Rectè hoc diceretur, si non etiam post iustificationem rectè credere, & rectè velle, esset venire & accedere ad Christum, & progredi in via Domini. Vnde & contra interpretationem talem est aperta doctrina scripturæ sacræ docentis, quod Deus non solum operatur incipiens, sed etiam cooperatur perficiens. Qui cœpit in vobis, inquit Apostolus, bonum perficiet vsq; in diem Iesu Christi. Hominibus iam iustificatis loquebatur idem Apostolus ad Philippen. 2. Cum timore & tremore vestram salutem operamini. Deus est enim qui operatur in nobis velle, & operari pro bona volutate. Et alibi. Dei sumus factura in Christo Iesu creati in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Vides ergo, quod secundum Apostolicam doctrinam, Deus non solum misericordia sua præueniens operatur incipiens, sed & singulos actus bonos in nobis facit cooperans. Similitudo autem adducta de homine, qui iam in tibia sanata ambulat absque ope medici, non conuenit nostro proposito, quemadmodum ostendit Augustinus in libro de natura & gratia, cap. 26. Mala nostra non ad hoc solum sanant supernus medicus, vt iam illa non sint, sed ad hoc etiam, vt de cætera rectè ambulemus. Nam etiam iam sani rectè ambulare, nisi illo iuuante, non poterimus. Quam sententiam & declarat ibidem duobus exemplis corporalibus. Quorum vnum sumitur à claudo sanato, alterum à cæco illuminato. Superus medicus non solum, inquit, est homini necessarius, sicut homini claudicanti necessarius est medicus corporalis qui sanat, & hominem iam sanatum rectè ambulare sinat, non deinceps cooperans illi. Deus enim hominem iam iustificatum non deserit, sed à dextris est semper, ne commoueatur homo. Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, inquit propheta, quoniam à dextris est mihi ne commouear. Quemadmodum oculus plenissimè sanus, nisi candore lucis adiuuetur, non potest cernere, sic & homo perfectissimè iustificatus, nisi æterna luce iustitiæ adiuuetur, rectè non potest viuere: hæc autem lux est Iesus Christus, qui per spiritum fidei, spei, & charitatis, habitans in cordibus iustorum, qui assiduus protector, illuminator, robor, & fortitudo adest adiuuans imbecillitates eorum. Sanat ergo Deus nò solum, vt deleat quod peccauimus, sed vt præstet etiam ne à virtutibus, quas Deus solus operatus est in nobis sine nobis, deficiamus. Iustitia fidei & charitatis pèdet in nobis à Deo, sicut lumen in aere pendet à sole. Deinde & huiuscemodi virtutes in nobis non tollunt impedimenta, difficultates, & auocamenta, quibus in hac mortali vita mens iusti à cælestibus auocatur, trahiturque in terrena carnis commoda contra legem spiritus, sed manet iugum graue super omnes filios Adæ, vsque in diem sepulturæ.

videt huiusmodi opus, ut
tum in auxilio a peccatis
opus meritorium est
si intelligit in unum sum
omne opus falsum est
& coninc. cõm. in se
tentia. seruo. aliqua opa
ardua nris. in. v. n.
est. & sentit id Thomam
sicut pri sententia
fieri in unum est. quod
dam in nro iustitias
sentit ad omnia opus
num. mala liti.

Obiectio.

Solutio.

Obiectio.

Solutio.

frans, sicut palmites fructum ferunt ex virtute quam accipiunt à vite, ita & iusti, si quos faciunt fructus bonos, hos ex virtute faciunt à Christo accepta, id est, spiritu fidei purificantis. Vnde & rectè dici solet, Nullum esse opus bonum, nisi quod ex fide aut elicitum est, aut imperatum. Fides autè ex qua Deus purificat corda nostra, qua Christiani effimur, quæ & per dilectionem operatur, non ex nobis est, quemadmodum & alibi ipse dixit, Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, què misit ille. Et iterum, Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum. Vbi Saluator, vt inquit Hieron. frangit superbientem arbitrij libertatem, quod etiam si ad Christum velit peruenire, nisi pater traxerit, nihil cupiet, frustra que nitetur. Vnde & Pelagiani cupientes peruenire ad Christum, non peruenierunt ad illum, quia suis viribus fisi, ita restiterunt Deo, vt non traherentur ab illo.

Rursus verò si dixeris Saluatorem illic esse loquutum de initijs conuersionis, veluti cum is qui fuit impius, incipit aut credere in Christum, aut iustus fieri, hoc enim non potest infidelis aut impius, nisi Deus trahat intus præparando cor eius ad fidem. Rectè hoc diceretur, si non etiam post iustificationem rectè credere, & rectè velle, esset venire & accedere ad Christum, & progredi in via Domini. Vnde & contra interpretationem talem est aperta doctrina scripturæ sacræ docentis, quod Deus non solum operatur incipiens, sed etiam cooperatur perficiens. Qui cœpit in vobis, inquit Apostolus, bonum perficiet vsq; in diem Iesu Christi. Hominibus iam iustificatis loquebatur idem Apostolus ad Philippen. 2. Cum timore & tremore vestram salutem operamini. Deus est enim qui operatur in nobis velle, & operari pro bona volutate. Et alibi. Dei sumus factura in Christo Iesu creati in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Vides ergo, quod secundum Apostolicam doctrinam, Deus non solum misericordia sua præueniens operatur incipiens, sed & singulos actus bonos in nobis facit cooperans. Similitudo autem adducta de homine, qui iam in tibia sanata ambulat absque ope medici, non conuenit nostro proposito, quemadmodum ostendit Augustinus in libro de natura & gratia, cap. 26. Mala nostra non ad hoc solum sanant supernus medicus, vt iam illa non sint, sed ad hoc etiam, vt de cætera rectè ambulemus. Nam etiam iam sani rectè ambulare, nisi illo iuuante, non poterimus. Quam sententiam & declarat ibidem duobus exemplis corporalibus. Quorum vnum sumitur à claudo sanato, alterum à cæco illuminato. Superus medicus non solum, inquit, est homini necessarius, sicut homini claudicanti necessarius est medicus corporalis qui sanat, & hominem iam sanatum rectè ambulare sinat, non deinceps cooperans illi. Deus enim hominem iam iustificatum non deserit, sed à dextris est semper, ne commoueatur homo. Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, inquit propheta, quoniam à dextris est mihi ne commouear. Quemadmodum oculus plenissimè sanus, nisi candore lucis adiuuetur, non potest cernere, sic & homo perfectissimè iustificatus, nisi æterna luce iustitiæ adiuuetur, rectè non potest viuere: hæc autem lux est Iesus Christus, qui per spiritum fidei, spei, & charitatis, habitans in cordibus iustorum, qui assiduus protector, illuminator, robor, & fortitudo adest adiuuans imbecillitates eorum. Sanat ergo Deus nò solum, vt deleat quod peccauimus, sed vt præstet etiam ne à virtutibus, quas Deus solus operatus est in nobis sine nobis, deficiamus. Iustitia fidei & charitatis pèdet in nobis à Deo, sicut lumen in aere pendet à sole. Deinde & huiuscemodi virtutes in nobis non tollunt impedimenta, difficultates, & auocamenta, quibus in hac mortali vita mens iusti à cælestibus auocatur, trahiturque in terrena carnis commoda contra legem spiritus, sed manet iugum graue super omnes filios Adæ, vsque in diem sepulturæ.

Hiero. li. 2. ad
uersus Pelag.

Ad Philip. 2.

Deus sua gra-
tia nò solus ope-
ratur incipiens,
sed & assidue
operatur omne
opus bonu per-
ficiens.

Rursus

Rurfus virtutes huiuscemodi non tollunt vlcus, seu vulnus, hoc est malum habitans in carne nostra, ex quo stillat quotidie sanies, & putredo peccati, vt opus sit quotidie lauare pedes cum Petro, ne denuo in nobis putrescat vulnus, & moriamur, dicente Paulo Apostolo. Ego carnalis sum vñ undatus sub peccato. Inuenio legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Et ita inter tot & tantas huius peregrinationis ac difficultates, liberum arbitrium ab inchoato bono distrahentes, est opus quotidiano Dei auxilio. Gracia igitur per Iesum Christum humano generi impensa est necessaria, non ad hoc solum vt peccata præterita nobis remittantur: verum ad hoc etiam vt futura vitentur. Præterea de reprobatione huius articuli expressam habes doctrinam Augustini, in .13. ca. libri de gratia & libero arbit. Dicunt, inquit, Pelagiani, gratiam Dei, quæ data est per fidem Iesu Christi, quæ neque lex est, neque natura, ad hoc tantum valere, vt peccata præterita dimittantur, nõ vt futura vitentur, vel repugnantia superentur. Sed si hoc, inquit, verum esset, vtique in oratione dominica cum dixissemus, Dimitte nobis debita nostra, non adderemus, Et ne nos inducas in tentationem. Illud enim dicimus, vt peccata commissa dimittantur. Istud autem vt mala vincantur & caueantur, atq; superentur, quod à patre qui in cælis est, nulla ratione appetere mus, si virtute voluntatis humanæ hoc possemus efficere. Quid enim stultius, inquit alibi, q̄ orare, quod in potestate habes. Hactenus Augustinus, Nemo enim orat, vt ignis calefaciat, quando est igni proximus, nemo orat vt ambulare valeat, vt comedat, vt bibat, quando hæc in sua habet potestate, vt faciat. Orat quidem homo, vt prosperè valeat ambulare, vt prosperum faciat Deus iter, & con summationem seu exitu ad terminu, sed non orat, vt valeat ambulare.

Stultum est orare Deum, ut facias quod in potestate habes

Hic si dixeris argumentum illud Augustini nõ concludere. Nam & à Deo petimus, quod per nosmetipfos etiã facere possumus, dum ab illo cupimus adiuuari, vt facilius faciamus, quod vtique altis possemus facere, sed difficilius. Insuper & ecclesia orat, vt fructus terræ dare, conseruareque dignetur, vt pluuiam, & aeris tranquillitatem concedat, quæ operatur natura absque gratia.

Ad hoc dicimus, quod neq; facilius, neq; difficilius possumus facere vllum fructum, qui aut placeat Deo, aut mereatur gratiam illius, nisi fuerimus specialiter viuificati spiritu, qui viuificans animã nostram inhabitet, & eã faciat fructum spiritualis vitæ facere. Sicut ambulatio in homine est ipsius animæ, non solum vt facilius faciat, adiuuantis, sed vt principij viuificantis. Ita & fructus ad vitã æternã est sancti spiritus, non solum vt adiuuantis, sed etiam vt principij vegetantis animam ad opera spiritualis vitæ operandum. Et hanc intelligentiam planè indicat allegatum Saluatoris verbum, Sicut palme non potest facere fructum, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. In tot tantisque huius miseris tentationibus, non possumus fide & charitate in Deo manere, nisi Dei spiritus sit nobis assiduus viuificator & adiutor. Proinde August. cateriq; patres in concilio præfidentes, scripserunt ad Innocentium papam. Pelagius, inquit, à tua veneratiõe acciendus est Romam, & diligenter interrogandus, quam dicat gratiam, qua fatetur homines ad non peccandum, iusteque viuendum adiuuari, siue enim gratiam dixerit esse liberum arbitrium, siue illam dixerit legis præceptum esse, siue remissionem peccatorum, nihil eorum dicit, quod per subministratiõem spiritus sancti, pertinet ad concupiscentias, tentationesq; vincendas, quem ditissimè effudit in nobis Christus ascendens in cælum, dona dedit hominibus. Orantes igitur, Et ne nos inducas in tentationem: hoc oramus, vt tentationem superare possumus, vt spiritus Dei in nobis adiuuet infirmitatem nostrã. Qui orat, Ne nos inducas in tentationem, non id orat, vt sit vel homo, vel creatura liberi arbitrij. Neq;

Neque orat, vt mandata Dei accipiat, neque vt remissionem habeat peccatorum, quia hoc superius petebatur, Dimitte nobis debita nostra, sed id orat, vt non peccet, aut ne quid mali faciat. Nam ad non peccandum, id est, non malè faciendum, quãuis esse nõ dubitetur arbitrium voluntatis, tamen eius potestas nõ sufficit, nisi adiuuet infirmitas. Et ita ipsa dominica oratio, quam Saluator docuit, ipsius est gratiæ testificatio. Et ad hanc sententiã confirmandam, valet Apostoli Pauli sententia dicentis, Velle adiacet mihi, perficere nõ inuenio. Vox enim ista est hominis iam sub gratia constituti, qui condelectatur quidem legi Dei, secundum interiorem hominẽ, sed sentiens legem in membris suis repugnantẽ legi mentis suæ, inuenit se nõ posse prorsus perseuerare absq; peccato. Hactenus ergo satis est declaratum, neq; naturã, neq; scientiã diuinã legis, neq; reuelatiõe, vel solam prædicationẽ Euangelij, neq; solã remissionẽ peccatorũ, neq; auxiliũ solũ, aut ad facilius viuendũ sine peccato, aut ad facilius bene operandũ esse illam gratiã, quæ per Iesum Christũ Dominũ nostrũ datur, sed ipsam esse, quæ facit, vt natura liberetur, ne peccatũ dominetur, vt lex cognita impleatur, vt Euãgelio prædicato credatur & obediatur, vt & voluntas ex fide accepta, bene operetur. Atq; ita gratia per Iesum Christum facta est, nõ qua solum fit, vt homo possit esse sine peccato, vt possit bene viuere, & bene operari, sed qua fit, vt homo fit liberatus à peccato, qua & fit, vt iam liberatus bene viuat, beneq; operetur. Deinde videamus, quod neq; gratia hæc per Iesum Christũ detur vlli homini secundũ merita bonæ voluntatis præcedentis, atq; ita falsam esse eorũ sententiã, qui dicunt, quod bona voluntas orantis præcedit, vt secundum hæc merita gratia sequatur exaudiētis Dei. Hunc articulum commonstrat Augustinus ex scripturis, multis in locis, & signanter sub proprijs terminis, in libro de natura & gratia, cap. 14. Nam fides sine qua orare nõ possumus, quæ & initium est gratiæ, non petita datur, vt ei petenti alia concedatur. Innumeræ sunt scripturæ sacræ, quibus designatur fides gratis dari, gratis inquam, id est, tanquam beneficium indebitũ, & sine meritis eorũ, quibus datur.

*Recapitulatio
commonstrans
quomodo sit gratia
per Iesum
Christũ facta.*

Ex supradictis igitur liquidum est, quod singula, quæ Deus fieri iubet, opera bona, sint sua in nobis dona. Ideo autem præcipiuntur nobis opera bona, quæ sunt Dei dona, vt sciamus quod & nos facimus illa, sed Deus sua gratia facit, vt & nos faciamus illa. Ideo autẽ præcepit illa, quæ per nos facere non possumus, vt & sciamus, quid ab illo petere debeamus, & vt in nobis deficientes, reosque nos ipsos cognoscentes, ad illius gratiam & misericordiam confugiamus.

Sed hic iam obiecerit fortassis quispiam. Gentiles prorsus gratiã Christi ignorantes, Iudæi quoq; Christum Dominũ contemnentes, præcepta decalogi seruant, vnũ Deũ colũt, ad periuria, ad falsa testimonia, ad homicidia, plerũq; nec tormentis, nec blandimētis adduci possunt, insuper & honorat parentes, periclitatibus & indigentibus proximis subueniunt. Videtur ergo homo sine gratia Christi posse diuinę legis opus facere. Vnde & Pelagius ipse ab huiuscemodi operibus, quę decalogus prohibet, abstinebat, & ea opera quæ iussit faciebat, non innixus vlli auxilio alterius gratiæ, quã folius legis cognitione. Præterea voluntas hominis hæretici, aut infidelis, non adiuuante gratia Christi, potest ieiunare, continenter viuere, multa graua principũ seculariũ mandata implere, cohibere sese à furtis, & ab adulterijs, multaque & dura mala sustinere, aut propter bona præsentis vitę, aut timore pœnæ, aut amore laudis humanæ, hoc enim experimur quotidie. Videtur igitur voluntas hominis verè Christiani, sine gratia Christi adiuuante eadẽ & similia opera posse facere, & pati amore iustitiæ, & pro æterna vita assequenda.

Obiectiones quatuor contra supradicta.

Tertiõ, Iudæi, Pagani, aut hæretici possunt sua sponte, absq; gratia Christi subire mortẽ pro perfidia sua, aut pro dijs suis quos colũt. Videtur igitur verus Christianus

stianus nō adiutus vlla gratia Christi, pro fide Christi, aut pro Deo vero, & Christo Domino posse subire mortē, & suis viribus vsq; ad mortem agonizare pro fide Christiana. Quartò videtur, quòd sola sciētia legis sufficiat ad implēdum legē. Nam voluntas rationalis secundum naturā diligit id quod ratio iudicauerit bonū esse, ac conueniens rationali creaturę, & eatenus amat ac diligit, quatenus ratio sic iudicat, & quod ratio iudicat maximū bonū esse maximeq; diligendum, id rationalis voluntas secundum naturā maximē diligit. Videtur igitur homo, cui per legem scriptam & doctrinā, persuasum est Deum esse summū beatificum bonū, ac Christum esse vnicam viam perueniendi ad bonū illud, posse Deum super omnia diligere, & in Christum credendo seruare legis opera, atque ita videbitur gratia, sicuti Pelagius dixit, consistere in cognitione legis, & in reuelatione salutis. Quod & propheta significasse videtur, Lex Domini immaculata cōuertens animas. Itē, Declaratio sermonū tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Idem & Christus indicasse videtur, loquens ad mulierem Samaritanam, Si scires donum Dei, & cum qui dicit, da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viam, id est, gratiam viuificantem in vitam aternā. Potest igitur quis nondum habens gratiā si cognouerit illam, petere & desyderare eam, vt habeat. Si scires, inquit, donum Dei, & nosceres eum qui tibi dicit, & cæ. tu petisses ab eo. Quemadmodum ægrotus, nondum habens sanitatem, qua potest rectē ambulare, si altero monstrante, nouerit medicum, potest petere & implorare eundem medicum, vt sanet, & sanatus rectē ambulet. Videtur igitur quis absque gratia, lege medicum monstrante, posse desyderare gratiam, & ita initium salutis nostrę ex nobis erit, vel saltem ex sola legis reuelatione forinsecus insonante.

Hęc & id genus alia sunt argumenta, de quibus in secundo libro latius. Nunc autem pro solutione omnium ex supradictis sufficiat aliqua recolare.

Primum. Omnia externa opera quę vult facere, & facit charitas, ea facit, atque vult facere superba cupiditas, quę admodum declarat Augustinus super primam canonicā Ioannis, Pascit esurientem charitas, pascit & superbia, charitas autē pascit vt Deus laudetur, superbia, vt ipsa laudetur, vestit nudū charitas, vestit & superbia, ieiunat charitas, ieiunat & superbia, cōstitetur nomen Christi charitas, & ducit martyriū, cōstitetur & superbia, & martyriū ducit, sed vę homini cuius auriga est aut superbia, aut auaritia, aut inuidia. Deinde & rationalis natura ex reliquijs quibusdam naturalis iustitię intus scriptę, absq; gratia Christi multa facit huiusmodi opera, sed sic faciendo nō facit opera bona aut iusta, secundū eam bonitatem & iustitiā, quę intus est in voluntate bona & iusta, id est sine peccato. Externa opera sortiūtur bonitatē suam à bonitate interna. Atq; ita aliud est externū opus in se bonū facere: aliud est facere vt opus illud sit bonū & iustum. Quòd opus externū sit bonū & iustum, non potest fieri, nisi voluntas qua sit opus illud, intus adiuuetur spiritu hdei & charitatis. Ex quibus sequitur, neminē absq; gratia posse vllum opus bonū facere, quod mereatur apud Deum mercedem post hęc vitam. De quo genere bonorum operum loquitur Christus Matthæi. 5. & 6.

Insuper sequitur neminem absque gratia posse bonum opus facere sic, vt per illud iustificetur, & eximatur à peccato. Nam hoc est, quod per omnem locum Paulus Apostolus reprobat, docens hominem absque spiritu fidei in Christum se cōtando legis opus, non posse veram assequi iustitiam, etiam quantumlibet iustitias legis custodiat & gloriam habeat apud homines huius seculi.

Deinde sequitur neminē posse sic absque gratia legem implere secundum eam plenitudinem, de qua dicitur, Plenitudo legis, est dilectio. Nam dilectio est charitas, quę diffunditur in cordibus nostris per spiritū sanctum, qui datus est nobis.

Vnde

Vnde diligere Deum, & seruare mandata Dei, sunt cōuertibilia, iuxta doctrinam Christi dicentis, Ioannis. 14. Qui diligit me, mandata mea custodit, qui non diligit me, sermones meos non seruat. Verūm & hic animaduertendum est, quòd pro solutionibus argumentorū istorum non sufficit dicere hominem absque gratia gratificante, posse quidem facere ipsa in se legis opera, sed cum non posse bene ac iuste facere illa, secundum eam bonitatem quę placita seu grata est Deo, & accepta ad regnum ccelorū assequendum. Nam & secundum eundē modum etiam Adam ante lapsum non potuisset absque gratia facere vllum opus bonum, neque implere vllum mandatum quantumlibet paruū aut facile, sicuti ex superioribus patuit.

Sed & oportet declarare etiā nunc in humano genere esse aliam quandam impotentiam bene viuendi longē maiorem, per quam natura rationalis à conditore suo Deo auersa, carniq; immersa, ad eò languida, atque imbecillis est facta, vt nequeat facere vniuersa legis opera, imò nec cum gratia in corpore mortis huius, ita legem perficere, quin interdum, imò & quotidie à lege deuiet seu exorbitet quā ob rem opus est nunc gratia fortiore. Ante lapsum autē in natura humana condita à Deo bona & recta, praualebat inclinatio rationis, & dominabatur lex mentis, neq; vlla erat lex repugnans legi Dei, neq; erat voluntas rationalis sic à Deo auersa, & ideo tum potuisset homo etiam absque gratia dignificante ad vitam aternam, quę est supra naturale bonum, omnia, vniuersa, & singula mandata implere, & non peccare vnquam, neque à naturali dilectione Dei deficiendo, neque quicquā contra Dei legem concupiscendo. Atque ita poterat tum homo perseuerare absque peccato in bonis naturę, quę Deo largiente acceperat. Nunc autē natura ista, qua quisque ex Adam nascitur, est Deo inimica, in qua & praualet inclinatio concupiscentię, & lex in membris repugnās legi mentis, ratioq; in iudicijs est deprauata, à Deo fugitiua, sicuti Adam perpetrato peccato fugit à Deo, & abscondit se, Genesis. 3. Atque ita iam homo non videt verum beatificum bonum, aut viam ad illud, vel si cognitione quadam illustretur, non amplectitur, sed velut febricitans, victus concupiscentia sitiens bibit, quòd nouit nō esse faciendum, quibus sit, vt homō iam subiectus sit duplici necessitati, videlicet & necessitati habendi peccatum, & necessitati interdum peccandi, à quibus malorū necessitatibus liberari non potest, nisi per gratiā Christi miserentis & liberātis de corpore mortis huius. Vnde etiam homo iam gratiam assequutus in hac vita duo illa præcepta, vnum quo dicitur, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, alterum quo dicitur, non concupisces, non potest ita implere quin & quotidie deficiat, atque exorbitet, vt & opus sit vnicuique etiam iusto orare pro quotidiana peccatorum remissione, sicuti declarat Augustinus multis in locis, & præsertim in libro de spiritu & litera, & in libro de perfectione iustitię, de quibus infrā latius.

Ab vtraque necessitate immunis erat Adam ante lapsum, & ideo tum non fuisset necessaria ei ista misericordia, quia non fuisset ista miseria.

Ex his igitur patet responsio ad argumēta. Ad primū quidem. Nam ex his manifestum est Iudæos, gentiles, & paganos posse quidem facere multa legis opera in se bona, & abstinere à criminibus & iniurijs proximorū non solum ex timore, aut amore laudis humanę, sed & intus suggerēte naturali quadam pietate naturę insita, sed non inde sequitur eos absque gratia posse facere vllum opus bonū, aut iustum, secundum verā bonitatē, aut iustitiā, quā Deus remunerat post hanc vitam. De quo genere bonorū operū loquebatur Christus Matthæi. 5. & 6. cōtra scribas & pharisæos, qui naturalia quædam legis opera externa in ieiunijs, orationibus, & elemosynis cauendisq; adulterijs, & homicidijs foris agebant, nihil de charitate, & internā mentis puritate coram Deo curantes, quos coarguit ibidem docens,

E ij ieiunia,

Adam ante peccatum non poterat bene viuere sine gratia, sed nunc opus est gratia potentiore.

Præcepta illa duo, Diliges deum, et c. non concupisces in hac vita perficere non possunt.

Declaratur quomodo in modo non potest opus bonum facere absque gratia, aut vllum legis præceptum implere.

ieiunia, oratiões, elemofynas nõ esse opera, quæ mereatur mercedem apud Deũ, nisi fiant intus ex amore Dei, & simplici oculo corã Deo, hoc est, ex intẽtione recte fidei in Deũ, qui in abscondito videns corda reddet mercedẽ hominibus, sic ex simplici oculo, ieiunãtibus, orãtibus, & dantibus elemofynas, & inimicis beneficientibus. Publicani quidẽ & ethnici, sicuti idem inquit Christus, multa in se bona faciũt, Diligũt diligentes se, benefactoribus benefaciũt, salutãt fratres & cognatos, sed nõ inde habebũt mercedem apud Deum. Si diligitis, inquit Christus, eos qui vos diligũt: quã mercedem, inquit, habebitis? nõne publicani hoc faciunt. Si salutaueritis fratres vestros tantũ, quid amplius facitis? nõne & ethnici hoc faciũt?

Ad secundum argumentũ dicimus consequentiã nõ valere. Nam in natura humana iam post lapsum Adã corrupta praualeat & dominatur inclinatio concupiscentiã, & ideo pronior est ad sustinendũ labores, grauesq; molestias propter bona presentis vitæ, quibus cõcupiscentia presentialiter in hac vita delectatur, quã ad sustinendum, seu ad tolerandum tales laborũ ac molestiarũ grauitates propter verũ futurã vitã bonũ. Deinde quia hoc bonũ futuræ vitæ, neq; cognosci, neque amari, neq; desyderari potest absq; initijs quibusdam fidei, & charitatis, sequitur hominẽ vera fide Christianũ faciẽtẽ opera legis ex amore iustitię pro eterna vita obtinenda, iam habere auxiliũ gratię saluãtis & adiuuãtis, & ideo implicat cõtradictionẽ, dicere hominẽ verẽ Christianũ sine gratia Christi adiuuãtis, facere opera legis ex amore iustitiæ sempiternę, corã Deo ex fide accipiendæ. Ex eodem fundamento patet & tertij argumẽti consequentiã esse inuãlidam. Nam quod hæretici, aut pagani sustinẽt mortẽ pro sua perfidia, quã reputant fidem verã, hoc fit ex falsa æstimatiõe, aut ex superbia, & animi pertinacia, illusiõe demonis suggerẽtis, quæ nõ sunt Dei munera, sed diaboli opera. Quod autẽ verus Christianus sustinet mortem pro Christo, hoc fit ex fide & charitate diffusã per spiritum sanctum in corde eius. Atque ita fit vt tolerantia mortis in vno sit opus sathanæ, tolerantia verò mortis in altero opus sit Christi. Nam charitas, ex qua Christiani grauiã & horrenda perferunt, non potest esse, nisi à Deo patre per Christum Iesum. Concupiscentia verò, ex qua mali tam atrociam sustinent, non est à Deo patre, sed iuxta Pauli Apostoli doctrinam, per vnum hominẽ peccantem intravit in hunc mundum, sicuti infra latius in tertio tractatu huius libri sumus demonstraturi. Et quãuis Iudæus aut hæreticus putet sese vera fide, vera charitate, veraq; virtute patientiæ, pati pro Christo, aut pro vno Deo suo conditore, nõ tamen inde sequitur hæreticũ, aut Iudæum vera fide, veraq; charitate ac virtute patientiæ pro Deo pati. Multi credunt se pati pro Christo, ex vera charitate, qui tamen pro Christo non patiuntur ex charitate vera, sed ex fantastica visione, stultaq; sua sententia falluntur & illuduntur. Verũm & hic sciendum, quod etiã apud Iudæos & hæreticos multæ sunt veritates orthodoxæ, & ergo si quispiam eorũ non pro errore, nõ pro perfidia, nõ ex carnali cõcupiscentia, sed pro veritate aliqua catholica, quæ apud eum remansit integra, pœnas patitur temporales, nõ est huiuscemodi patientia sathanæ opus, sed munus, seu donũ Dei, etiam alienũ à charitate adiuuãtis gratuito suo auxiliũ, adiuuãtis, in quã, nõ vt homo in hæresi sua, vel in infidelitate persistẽs, ad regnũ Dei perueniat, sed vt vitato actu mortalis criminis, futurũ sit illi mitius ac tolerabilius iudiciũ, quã si veritatẽ catholicã negando, cũcta temporalia illa mala vitasset, quemadmodũ declarat Augu. in lib. de patientia cap. 26. & 27. Vnde etiã philosophus moralis plærumq; sese morti exponit, vt vel patriã aut rempublicã defendat, vel bonũ virtutis naturalis conseruet, veluti dum mauult interire, quã adulterari, aut innocentẽ opprimere, nullo modo illa est in eo culpanda patientia, sed Deo tribuẽda, qui etiã gratuita quædã beneficia diffundit super iustos.

Ad quartum

Ad quartum argumentũ respondeo, Aliud esse scientiam legis, seu mandatorũ Dei, aliud scientiã fidei. Per scientiã mandatorũ quis nouit vnum Deum esse colendum, & super omnia diligendum, nõ esse peierandum, nõ adulterandum, non mentientium, non furandum, non concupiscendum. Per scientiam autẽ fidei nouit iustitiam, qua remissionẽ peccatorũ assequimur, & vitam æternam esse per Iesum saluatorem, & sine illius gratia, neminẽ per scientiã mandatorũ posse iuste viuere. De hac scientia Christus inquit ad Samaritanã, Si scires donum Dei, & eum, qui dicit tibi, Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam, de qua scientia & Sapiens loquitur capite. 8. Scire cuius est hoc donũ summa est sapientia. Nos spiritũ, inquit Paulus, qui ex Deo est, accepimus, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Proinde Iudæi scientiam quidem legis & præceptorum Dei habẽtes, opera legis sectando tanquã ex eis iustitia vera esset sine gratia Christi miserentis, ad veram iustitiam nõ perueniunt. Vsq; adeo Iudæi plerumq; zelatores sunt legis decalogi in singulis præceptis, vt etiam ipsi alieni à fide & à charitate Christi, hæc duo præcepta, Diliges Dominũ Deũ tuũ ex toto corde, & Non concupiscis, secũdum modum quandam suum studiosissimẽ obseruare conãtes, malunt vitam & omnia temporalia bona perdere, quã vel Deum creatorẽ cœli & terræ abnegare, seu blasphemare, vel cõcupiscendo adulteriũ, aut crimen aliud cõtra legẽ decalogi perpetrare. Neq; est hic in eis Dei zelus vituperãdus, sed culpanda perfidia & contemptus Christi detestandus in eis, culpanda superbia, qua suis viribus sibi nõ ponũt Deũ adiutorẽ suum. Sed de his in secundo libro latius.

¶ *Secunda pars huius capituli, in qua latius demonstratur non esse in viribus liberi arbitrij Euangelio prædicato vera fide credere absque gratuito auxilio Dei intus mouentis.*

Quia his nostris seculis sunt qui à Pelagianorũ semitis non declinãt, putantes, & id quidem rectẽ, neminem fide in Iesum posse iustificari & habere remissionem peccatorum, aut peruenire ad regnum cœlorum, sed in errore persistentes, docẽt huiuscemodi fidem sic esse in viribus liberi arbitrij, vt Euangelio vel lecto vel prædicato quisque possit per solam vim liberi arbitrij & credere salubriter, & attingere fidem, qua Christianus efficiatur. Idcirco iam restat contra eosdem hæreticos ostendere in vnoquoq; homine Christiano initiũ Christianæ fidei esse Dei donũ, & neminem Euangelio sibi forinsecus prædicato posse ex solis naturalibus liberi arbitrij viribus ingenitis, aut rectẽ credere, aut attingere fidẽ, qua Christianus fiat, aut facere opera, quibus mereatur habere fidem talem. Sunt autem ad hoc comprobandum scripturarum testimonia multa, quæ passim recitantur in libro de prædestinatione sanctorũ, in epistolis ad Sixtum, ad Innocentiũ papam, ad Paulinũ, ad Vitalem Carthaginensẽ. Qui cœpit in vobis opus bonũ, inquit Apostolus, perficiet vsq; in finem. Dixi nũc cœpi hæc mutatio dextera excelli. Nemo potest venire ad me, id est, credere in me, nisi pater meus traxerit illũ. Hoc est opus Dei, inquit Saluator, vt credatis in eum quẽ misit ille. Item Deus partitus est vnicuique mensuram fidei. Item Paulus Apostolus, Gratia saluati estis per fidem, & hoc nõ ex vobis: Dei enim donum est, non ex operibus. Est autem super hac re definitio ecclesiæ in concilio Milenitano, quæ recensetur de ecclesiasticis dogmatibus, capite. 43. & 44. Si quis per naturã vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ cogitare vt expedit, aut eligere, aut euangelicæ prædicationi consentire se posse confirmat, absque illuminatione & inspiratione spiritus sancti, qui dat omnibus suauitatem in consentiendo, & in credendo veritatem, hæretico fallitur spiritu, nõ intelligens vocem Dei in Euangelio, dicentis, Sine me nihil potestis facere. Dei ergo donũ est, non solum

E iij fidei

Cur homo ad subeundũ graues labores pro bonis huius vitæ sit pronior, quã ad sustinendũ tales labores pro bonis vite celestis.

Iudæi & hæretici multas sententiã orthodoxam fide tenẽdas esse veras credunt.

Iudæi & zelatores legis ab gratia Christi, suo quodã modo diligunt Deũ supra hanc vitam temporalem.

fidei virtus, sed & opus seu actus, quo credimus Euangelio. Vnde & supra dictam sententiã probat August. in epistola ad Vitalem, qui dicebat nõ esse Dei donũ, vt rectẽ credam⁹, & Euãgelio nobis annũciato cõsentiamus, sed hoc nobis esse ex nobis, id est, ex propria volũtate, quã nobis in nostris cordibus nõ operatus est Deus. Contra hanc hæresim sic argumentatur in eadem epistola August. Deus si præpararet hominis voluntatẽ, vt tantũmodo legem suã atque doctrinã, libero arbitrio eius adhiberet, nec vocatione illa alta atque secreta sic ageret eius sensum, vt eidẽ legi atq; doctrinã euangelicã suã accõmodaret assensum, proculdubiõ eam legẽ proponere, vel prædicare sufficeret, nec esset opus orare, vt Deus ad fidem infidelium corda cõuerteret, & conuersis perficientẽ perseuerantiã eiusdem suã gratiã largitate donaret. Nec diceret Apostolus, Deus operatur in vobis velle & operari pro bona volũtate. Neq; diceret Saluator, Hoc est opus Dei vt credatis in eum.

Sed ad hãc rationẽ respõdentes Pelagius & Vitalis, interpretabatur scripturas, sicuti in hodiernũ vsque diem multi improbi defensores liberi arbitrij interpretantur dicẽtes, quod Deus operatur in nobis velle, & operari, quantũ est in ipso, dum nostrã salutẽ Euãgeliũ facit nobis prædicari. Proinde fuissent, inquit, homines accepturi gratiam, si non illi, quibus non datur, eam respuissent sua voluntate. Quoniã Deus, inquit, quantũ in se est, vult omnes homines saluos fieri, dum suã legem atq; doctrinã vult omnibus prædicari. Sed huic sententiã obuiat Aug. in epistola ad eundem Vitalem dicẽs eam habere instantiã. Primũ in paruulis, qui neq; velle adhuc possunt, neq; respuere Euãgeliũ. Si paruulis nondum habentibus contrariã voluntatẽ deferente Deo plerumq; non detur fidei sacramentum, non erit apud Deum iniustitia, si etiã his qui peccauerũt propria voluntate nõ dederit gratiã, qua iustificentur. Si minorẽ habentibus denegationis causam iustẽ beneficiũ gratiã non datur, non dicetur iniustus Deus si nõ velit apponere gratiã his qui peccauerũt propria voluntate. Credere Euangelio ex gratia qua Christiani sumus fit quidem ex imperio volũtatis, sed in eo qui iam fidei gratia sanatus est & Christianus factus. Imperiumq; voluntatis ad sic credendum nullum esset, nisi spiritus fidei iam intus in corde habitaret. In eo autẽ qui iam primũ incipit Euangelio credere fit etiã credere consensu voluntatis, quia nemo credit, nemo consentit, nisi volens. Sed talis consensus voluntatis nullus esset, nisi spiritus intus suggerens & illustrans adesset. Quatenus autem super hac re in laudem glorię gratię Dei planius eandem gratiã intelligamus, operã præteritum est consyderare rationes & argumẽta, quibus vsus est Augustinus ipse cõtra Vitalem. Vt rectẽ credamus in Deum, & Euangelio consentiamus, inquit Vitalis, nõ esse donũ Dei, sed hoc nobis esse à nobis ex propria voluntate, id est, ex proprio voluntatis motu, quẽ nobis in corde nostro non operatus est Deus. Et contra illam sententiã audiens Vitalis sibi obijci scripturã dicẽtem, Deus est qui operatur in nobis velle & operari, pro bona voluntate, respondebat Deũ operari, vt velimus per legem suam, atq; scripturas, quas vel legimus vel audimus. Scripturis autẽ vel lectis, vel auditis cõsentire, & dissentire, ita nostrũ est, vt si velimus fiat, si autẽ nolimus, nihil operationẽ Dei in nobis valere facimus. Operatur ergo Deus quantum in ipso est vt credamus, vt velimus, cũ nobis nota, inquit, fiũt eius eloquia. Sed si eis acquiescere nolim⁹ nos, vt operatio eius nihil in nobis proficit efficimus, Sed cõtra hãc sententiã argumẽtatur August. Hęc, inquit, est damnata Pelagianorũ doctrina, dicentiũ priorẽ esse hominis obedientiã, q̃ Dei gratiã, & secundũ meritũ nostrã obedientiã dari donũ diuinę gratiã. Cõtra eandẽ citat & Aug. in eadem epistola scripturã & ecclesię cõsuetudinẽ, qua sacerdos Dei ad altare exhortatur Dei populũ orare pro infidelibus, & incredulis, vt eos cõuertat Deus ad fidem, pro catechumenis, vt illis Deus regenera-

regenerationis desyderium inspiret, & pro fidelibus, vt in eo quod cõeperunt ex Dei munere perseuerent, Deo adiuuante. Orationes igitur Ecclesiã nos docẽt, q̃ initium fidei, regenerationisq; desyderiũ ac perseuerantia in fide, sunt non solum humanę voluntatis officia, sed & diuinę miseratiõis beneficia. Vnde & Dominus in scripturis iussit orare pro impijs, infidelib⁹, & incredulis inimicis fidei, & persequentibus, vt Deus cor lapideum auferat, & ad fidẽ eos conuertat, hoc secundum venerabilem Cypr. orationis dominicę interpretem. Oramus, inquit Aug. cũ dicim⁹, Fiat volũtas tua sicut in cœlo & in terra. Vbi saluator iussit nos orare pro inimicis Ecclesię, secundum præceptũ Domini dicentis. Orate pro inimicis vestris. Orate pro persequentibus & calumniantibus vos, & hoc orate, vt fiat volũtas Dei in terra, id est, in illis qui adhuc portant imaginem terreni hominis, sicut fit in cœlo, id est, in eis qui iam fideles sunt, & portant imaginem cœlestis hominis. Nemo est tam imperitus, inquit August. tam carnalis, tam tardus ingenio, qui non intelligat Deum facere, quod rogari se præcipit vt faciat. Rogamus quidem Deũ, vt faciamus bonũ, & caueamus nobis à malis, hoc est, vt ipse faciat nos rectã & spõtanea volũtate facere bonũ, & abstinere à malo, quẽadmodũ ait Apostolus, Oramus ad Deũ, vt ne qd faciatis mali. Quemadmodũ & spũs patris dicitur in scripturis loqui in nobis & interpellare & clamare, q̃a interpellare, clamare, loqui quẽ oportet, & orare nos facit, interpellãdi, & gemẽdi nobis inspirat affectum. Virtutes, inqt Aug. operatur Deus in nobis sine nobis, dicente Paulo, Caritas Dei diffusa est in nobis per spũm sanctũ, qui datus est nobis, sed opera virtutum, inqt, nobiscũ operatur Deus. Neq; enim oramus, vt opera bona fiant in nobis, nihil faciẽtib⁹ nobis, sed vt ipse faciat nos facere. In scripturis enim sacris adiutoriũ spũs sancti sic exprimitur, vt ipse facere dicatur, quod ipse facit, vt nos faciamus, inspirans vitã spirituale, id est, lumen fidei ex quo incipiamus ambulare in eternam vitam, & adiuuans infirmitatem nostrã, vt perseueremus in eo quod cõepimus. Hęc Augustinus citans, & in eadem Epistola ad Vitalem contra eandem hæresim, quatuor scripturã testimonia. Duo prophetę dicentis, A Domino gressus hominis dirigunt, & viã eius volet. Itẽ, Nisi dominus edificauerit domũ, in vanũ laborauerũt edificãtes eã. Alia duo ipsius Apostoli, Gratia salui facti estis p̃ fidẽ, & hoc nõ ex vobis. Dei enim donũ est, nõ ex operib⁹. Itẽ, Non volẽtis neq; currẽtis, sed miserentis est Dei, ac si dicat initiũ salutis, quod est in fide, nõ est volentis hominis, sed Dei miserẽtis, qui largiẽs fidẽ segregat quem voluerit ex massa perditiois. Sed ad hęc omnia rurũ respõdebãt Vitalis, ceteriq; Pelagiani, credere Euãgelio, fieri à Domino, dũ doctrina Euãgelica legitur, auditur, vel prædicatur, quia si lateret, inquit, doctrina Euãgelij, nõ dirigẽtur gressus hominis ad credendum, & sine doctrina nõ potest homini innotescere veritas Euãgelij, cui ppria voluntate consentiat. Præcedẽte autẽ doctrina ac suassione quisq; libertate naturali si vult cõsentit, si nõ vult nõ cõsentit. Atq; ita pro eo quod fecerit est præmium vel suppliciiũ recepturus. Hęc inqt Aug. est illa Pelagianorũ mala dãnataq; sententiã, malẽ diffamata, meritoq; reprobata, & ab ipso etiã Pelagio, timẽte dãnari in orẽtaliũ Episcoporũ iudicio. Vnde in lib. de fide ad Petrum, cap. 32. Firmissima fide, inqt, teneas, & nullatenus dubites posse quidẽ hominẽ, quẽ nec aliqua ignorãtia, nec aliqua phibet imbecillitas, vel aduersitas, verba sanctę legis ac Euãgelij siue legere, siue ex ore prædicatoris audire, sed diuinis mãdatis obedire neminẽ posse, nisi quem Deus sua gratia præuenerit, vt quod corpore audit, percipiat & corde, & accepta diuinitus bona volũtate atq; virtute, mandata Dei facere velit & possit. Neque enim qui plãtat est aliqd, neq; qui rigat, sed qui incrementũ dat Deus.

Verũm ne fallaris ex huiusmodi doctrina Augustini & arbitreris hominem, qui audit Euangelium idcirco non credere, quia non potest credere.

E iiij Scire

Ratio August. cõtra eos qui dicunt quod Euãgelio prædicato sit in potestate liberi arbitrij credere absq; Deo ope.

Hæresis Vitalis asserẽs hominem Euangelio sibi prædicato, posse absq; gratiã credere.

August. citat Cyprianum in expositione orationis dominicę

Refellit sententiã hereticorum, qui præuẽ interpretantur credere esse deũ donũ.

Quomodo Eu-
angelium audiēs
prædicari pec-
cat si non cre-
dat, quod sine
gratia intus in
uirtute non possit.

Scire primum debes, quod audiens Euangelium forinsecus prædicari, si non credens peccat, sufficienter intus excitatur, ut possit non contemnere prædicantem, alioquin non velle credere non esset maius peccatum in adultis, qui audiunt Euangelium prædicari, & non volunt credere, quam aut in paruulis, qui id ipsum Euangelium forinsecus audire non possunt, aut in adultis illis, qui ipsum audire non poterunt contra eundem Augustinum dicentem, Infidelitas in eis qui Euangelium audire non poterunt, non est culpa, sed poena. Unde saluator de quibusdam ait, Si loquutus non fuisset eis, peccatum non haberet, hoc est, infidelitatis peccatum non haberent. Deinde & Deus faciens Euangelium impijs prædicari, sufficienter iuuat eos, ut possint consulere Deum intus loquentem, deliberare, & cogitare, & ita se utrumque aptos facere, quibus Deus gratiam fidei infundat, quamuis nequeat se facere dignos iustificatioe, de quibus infra latius. Cur autem non ita excitat eos, ut non contemnant, cum habeant in sua potestate ipsorum voluntates? Cur non intus ita operatur, qualiter aptum nouit, ut obediant? Occultum est Dei iudicium, & latet humanum ingenium. De quibus in libro de prædestinatione diuina prolixè satis tractatur. Non solum ergo virtus fidei coelitus inspirata seu infusa, sed etiam ipse motus, quo incipimus credere, & rectè viuere, est Dei opus. Unde vis rationis Augustini contra Vitalem in hoc consistit. Deus si operatur credere in nobis & velle, quia nota facit nobis eloquia sua & præcepta, quæ aut credere, aut facere debemus, non oportet igitur orare pro his, quibus Euangelium prædicatur ut credant, sed sufficit eis tantummodo prædicare aut exponere Euangelium. Hoc autem dicere est contrarium consuetudini Ecclesie, & scripturæ sacræ, sicuti iam patuit ex doctrina Augustini & Cypriani. Hoc est opus Dei, inquit Christus, ut credatis in illum. Qui coepit in vobis opus bonum, perficiet. A domino gressus hominis, diriguntur, & via eius uolet. Ecce gressus hominis, inquit Aug. diriguntur, ut velit viam Domini, aperte insinuans ipsam voluntatè bonam, qua incipimus velle credere, esse donum Dei, primum ita dirigentis gressus nostros, id est, operationes intellectus & affectus nostri, ut velimus viam, id est, Christum, hoc est, ut velimus credere in Christum, qui est via & veritas. Non quia homo uoluit gressus eius diriguntur, ut incipiat velle viam in Deum, sed quia gressus eius diriguntur, ideo & uolet viam eius. Sed contra vim huiusmodi rationis Augustini dices forsitan argumentum illud non concludere. Non enim oportet, si Deus omnipotentissima virtute potest flexere, & mutare hominum voluntates ad oppositum illius quod uolunt. Quod ergo absque gratia non possunt eligere, aut velle oppositum illius quod uolunt, Nam etiam in operibus in differentibus, seu actionibus presentis uitæ Deus potest mutare hominis voluntatem ad quodcumque uoluerit, & tamè secundum catholicam doctrinam in huiusmodi operibus habet homo voluntatem liberam, potestque utrumlibet absque gratia velle, quemadmodum testatur Augustinus in libro hypognostico, docet in operibus presentis uitæ, ut in agris, & vineis colendis, voluntatè esse liberam. Ex eo igitur quod oramus pro infidelibus aut fornicarijs, quatenus Deus mutet uoluntates eorum, ut cum audierint Euangelium prædicari credant, poeniteant, & resipiscant, non uidetur consequens, quod ergo non possunt ex viribus liberi arbitrij credere, poenitere, aut resipiscere. Multa enim possunt fieri à voluntatibus hominum, quæ tamen non fiunt, quia homines non illa, sed eorum opposita uolunt facere. Cur ergo non possumus ita dicere in proposito, Infideles quidem & adulteros audiētes Euangelium, uiamque salutis sibi prædicari posse liberæ uoluntatis suæ uiribus credere, poenitere, & resipiscere, sed quia nolunt hæc facere, ideo nec credunt, nec resipiscunt. Oramus Deum, ut quod ipsi nolunt facere, & suis uiribus facere possunt, Deus ipse speciali suo fauore faciat eos facere. Et ita uidetur dicendum, quauis aliquod credere, aliquod poenitere, aliquod resipiscere sit Dei donum, ueluti cum Deus supra communem naturam cursum faciat homines facere,

mutans

mutans voluntates eorum de contrario in contrarium. Quemadmodum uidetur accidisse in conuersione Pauli Apostoli, non tamè oportet omne credere, & omne resipiscere esse Dei donum, ueluti cum quis credit, poenitet, & resipiscit libera sua uoluntate. Et ita uidetur, quod à patre, qui est in cælis, non frustra petimus, ut homines faciat, quod etiam per se ipsos facere possent, dum petimus, quod Deus specialiter mutet eorum voluntates, quas & ipsi mutare possent si uellent. Neque etiam frustra petimus à Deo, quod per nosmetipsos facere possumus, dum petimus adiuuari ab eo, ut facilius faciamus, quod utique etiam alias facere possemus, sed difficilius. His & similibus argumentis moti fuerunt nonnulli errantes circa Christi gratiam, quibus nec cum hæreticis Pelagianis, nec cum catholicis Christianis plena est concordia, docentes quosdam esse homines, quos gratia quidem Dei saluat subito mutans eorum voluntates, quemadmodum accidisse uidetur in Paulo, & Mattheo publicano, sed & alios etiam esse, quos lex & natura iustificat, qui semetipsos ex ingenitis naturæ uiribus faciunt credentes bonos, & iustos. Sed hanc impiam esse sententiam tradit per omnem locum scriptura, docens neminem ex Adam propagatum de profundo ruine illius per liberum arbitrium posse consergere, nisi eum gratia Dei miserentis exerit, gratis iustificans illum ex fide, quæ non ex nobis platur, sed Dei dono inspiratur. Ad argumentum itaque dicimus negates consequentiam, neque quadrat similitudo translata ex corporalibus ad spiritualia. Nam spiritum uiuificantem nemo sibi metipsum infundit, initiumque fidei, qua utiliter poscimus, & oramus, in qua etiam est initium pietatis uoluntatis, nemo potest absque gratia Dei adiuuantis in se producere, sed neque facere, neque operari aliquid, quo meretur à Deo huiusmodi fidem accipere, sed Deus gratis pro sua misericordia hominem infidelem, uel impium in animum mortuum facit uiuum & ex spiritu uitæ credere, ut Deo consentiat iustificanti, efficiaturque membrum uiuum, templumque spiritus sancti, ut sit palme pendens ad uitam Christum, qui transmittit in singula membra sui corporis spiritualis uitæ succum. Hæc autem sunt supra vires humanæ uoluntatis. Quemadmodum enim mortuus non potest se resuscitare, neque potest animam separatam suo corpori reddere, ut faciat humanæ uitæ opera, ita & homines impij nec possunt se ad spiritualem uitam resuscitare, nec Dei spiritum animæ suæ immittere, neque infundere sibi charitatem, quæ faciat hominem esse membrum uiuum in corpore Christi, ut efficiatur ipse homo spiritus sancti habitaculum, & faciat opera uiua, id est, ex spirituali uita, & sic credere ex fide uiua non potest homo sine spiritu intus uiuificante & operante ut credamus. Huiusmodi fidem postulam cum oramus pro impijs. Sic dicit Augustinus in Epistola ad Paulinum, & alijs locis quibus plurimis, Loquimur inquit Augustinus de fide qua credimus iustitiam nobis diuinitus dari, non à nobis in nobis, nostris uiribus fieri, quam & Apostolica commendat doctrina, quæ initium est bonorum meritorum, qua renascimur Christo, qualis est fides, ex qua iustus uiuit. Spiritus sanctus excitat nos, ut credamus, & credentes uitam habeamus in nomine Iesu. Rursus in Epistola ad Vitalem, Loquimur, inquit, nunc de initijs fidei, in qua etiam est initium bonæ uoluntatis, cum homines qui erant auersi & aduersus Deum conuertuntur ad Deum, qui & principium est bonorum operum. Quantumlibet autem aliquis uideatur sibi habere fidem ac charitatem, & credere Euangelio prædicato, & esse perfectus in religione Christiana, si desit illi fides, quæ ex Deo est gratis inspirata, iustificans impium, in nihilum computabitur. Unde hæretici Pelagiani, crediderunt quidem fide quadam humana Euangelio prædicato, & arbitrabantur sese habere fidem qua iustificati essent, sed quia non habuerunt fidem, quæ à Deo est, ex qua spiritus gratis est iustificans impium, in nihilum sunt computati. In hoc ergo Pelagius,

Responso ad ob-
iectionem hæ-
reticorum cau-
lantium contra
doctrinam Au-
gustini.

Uolens de qua lo-
quitur scriptu-
ra.

Obiectio contra
rationem Augu-
stini notatam di-
gna.

Pelagius, & Vitalis errauerunt, arbitantes initium fidei, in qua etiam est initium boni, hoc est, pię voluntatis non esse donū Dei, sed nos illud ex nobis habere, volentes nos deinceps mereri gratiā, orātes, & pulsantes ex huiusmodi fide ex nobis in nobis orta. Contra quam sententiam fides docet catholica, quod voluntas qua quis vult credere, quemadmodū Christianus credit, preparata est à domino, & ante hęc volūtatem in homine nihil meriti humani antecedit, nisi cui debetur pœna & supplicium. De huiusmodi fide dicit August. in Epistola supradicta, ad Paulinum, & in libro de spiritu & litera, Ad nihil nisi ad peccandum valet liberum arbitrium, si lateat veritatis via, Ad nihil inquam supple humani meriti. Fides igitur qua incipimus orare credentes nos iustificari, hoc est iustus fieri gratia Dei per Dominū nostrum Iesum, & eam non in nobis à nobis fieri nostris viribus. Huiusmodi fide, inquit, meremur iustificationē, impetramus iustificationem. Huiusmodi fide meremur gratiam bene operādi, impetramus & dilectionem & charitatem, quę sola bene operatur. Si ergo dixeris vt impetrem iustificationē, habeo fidem, Verum quidem dicis, sed non à te habes, sed ex Dei gratia. Cū ergo fide impetras iustificationem noli esse superbus, quia fidem non ex te habes, sed ex Deo, qui tibi per fidem postulandi fiduciam inspirat. Proinde quantumlibet quispiam crediderit Christum esse Deum, & hominem incarnatum, passum & mortuum, nisi & crediderit se fuisse irę filium, & nō potuisse liberari ab huiusmodi ira & à potestate tenebrarum nisi per gratiā Iesu, vt saluatoris omnium hominum, qui sunt salui, inanis erit fides eius. Potest quidem habere zelum Dei, sed non secundum scientiam, dum ignorans Dei iustitiam, quę est ex spiritu fidei ad Iesum, suam contendit statuere, quę est ex operibus sine fide factis. Nulla possunt esse opera iusta, Deo grata, ad salutem perducētia, quia omne quod nō est ex fide, peccatum est: peccatū inquam, id est, inutile ad obtinendū vitam æternam. Vnde Augustinus in Epistola ad Sixtum. Ipsa remissio peccatorum, inquit, nō est sine aliquo merito. Fides enim hanc impetrat. Est enim meritum aliquod fidei, qua dicebat publicanus, Deus propitius esto mihi peccatori, & descendit iustificatus. Verūm ipse fidei, qua Christianus fidelis aut iustus fieret, nulla præcesserunt ipsius merita. Nam ipsa fides est, vnde omnis iustitia sumit initium, quę nisi oranti data esset, orare non posset.

Remissio peccatorū quomodo non est sine aliquo merito.

Hactenus Augustini doctrina. Sed videbitur forsitan August. sibi metipsum contrarius esse. Nam in Epistola ad Vitale dicit se loqui de initijs fidei, in qua etiam, vt inquit, initium est bonę voluntatis cū homines, qui erant auersi, conuertuntur ad Deum, & tunc facta est peccatorum remissio. Nam & ante iustificationem aut remissionem peccati, homo cū adhuc sit impius, nullum potest habere meritum, nisi cui pœna debeatur & supplicium. Huic videtur contrarium, quod dicit, Fides impetrat remissionem peccati, & quod remissio peccati non est sine aliquo merito. Publicani confessio, qua dixit, Deus propitius esto mihi peccatori, meruit, inquit, iustificationē. Solutio. In eodem momento quo fides per dilectionem operās inspiratur, homo pro remissione peccatorum ad Deum deprecatur, & deinceps ex eadem fide iustificatus augmentum fidei & charitatis, & remissionem quotidianorum impetrat peccatorum, sine quibus non est etiam vita iustorum. Fides autem mortua, quę manet in Christianis iam relapsis preparat quidē iustificationi obtinendę viam, sed non sine Deo intus excitante eos ad pœnitendum, & ad deprecandum pro remissione peccatorum, vt fides quę erat mortua, fiat in eis viuā charitatem, atq; ita non inter sese pugnant Augustini sententię, dum in Epistola ad Sixtum primum dicit, multa quidem esse iustorum merita, sed vt iusti fierent nulla esse merita. Et postea adijcit, q̄ remissio peccatorum nō fiat sine aliquo

Fides remissionem peccatorū impetrat.

aliquo merito, eo q̄ fides hanc impetrat. Aliud enim est ex fide mereri aliquid: aliud orando ex fide impetrare illud, quamuis & ipsa impetratio secundum modum quendam merendi, possit meritum appellari. Sed de hoc cū de merito sanctorum tractabitur latius. Ex supradictis est manifestum hominem absq; gratia nihil boni posse facere, nec euadere peccata, nec seruare mandata, neq; facile, neq; difficulter poterit quidē facere mandatorum officia, vt subuenire miseris, honorare parentes, sed non rectē, non bona volūtate facit, nisi manserit in Christo, & Christ⁹ in illo. De tali enim bono opere in multis locis protestatur August. se loqui, & de tali obseruantia mandatorum intelligit saluator, Si vis ad vitam ingredi serua mandata. De tali opere loquitur Christus, Ioan. 15. dicēs, Sine me nihil potestis facere, intelligens nos nisi manserimus palmites in ipso vera vite nō posse facere vllum fructum bonum. Neq; enim voluit, quod sine ipso nō possemus comedere, bibere, loqui, ambulare, aut plantare vineas, aut agros colere, Nemp̄ Christus venit in mundum, non vt talia opera possemus facere, quę etiam faciūt gentiles & pagani, qui non sunt palmites in Christo vite vera, sed vt faceremus fructus ex vite, id est, vnas, quibus exprimitur vinū spiritualis iocūditatis æternę, tametsi sine Christo vt vero Deo omnia gubernante & operāte nō possemus etiā neque digitū aut pedem extendere, neq; aliud naturę opus facere, verūm de tali auxilio Dei, vt creatoris generaliter operantis in omnibus creaturis non intelliguntur, inquit August. scripturę docentes, nos sine Christo nihil posse facere, sed de auxilio Dei misericorditer operantis in nobis opera, quibus assequimur remissionem peccatorum, quibus & accessum habemus ad Deum per Christū Dominum. De tali quoq; opere bono loquebatur Apostolus, cū in vtraq; Epistola ad Corinth. probat quod nihil boni, nec dicti, nec cogitati, nec facti possumus agere quod non ab illo accipimus. In priori quidem Epist. cū præmisisset Apostolus, Ex ipso vos estis in Christo Iesu, qui factus est vobis sapientia, iustitia & sanctificatio, & redemptio, cōtinuō adiecit, Vt quemadmodum scriptū est, Qui gloriatur, in domino gloriatur. Deinde sequenti capite, Sermo meus, & prædicatio mea fuit, non in persuasibilibus humanę sapiētię verbis, sed in ostensione spiritus & virtute, vt fides vestra non sit in sapientia hominū, sed in virtute Dei, & cap. 4. Vide ne aduersus alterū inflat⁹ fueris. Quis enim te discernit? Quid habes quod nō accepisti? si autē accepisti, quid gloriaris quasi nō acceperis? Itaq; qui gloriatur, in Domino gloriatur. In hac autē doctrina, inquit August. qua docet Apostolus, ne quispiā in homine, sed in domino gloriatur, nō locut⁹ est Apost. de naturali dote, quę cōmunis est vel omnibus hominibus, vel saltem bonis & malis, qua vel homines discernuntur à pecoribus, vel ingeniosi & pulchri à tardis & deformibus. Ille nēp̄ quō coercebat Apost. neq; aduersus pecora se extollebat, neq; aduersus alterum hominē, de aliquo naturali munere, quod inesse posset etiā pessimo, sed bonum aliquod pertinēs ad Christianā vitā, sibi nō Deo tribuēs inflabatur. Quāuis enim in naturalibus donis, veluti robore, fortitudine, pulchritudine naturali, industria, cæterisq; naturę talentis, quibus alter alterum excedit, nemo possit sese extollere aduersus alterum, sed arbitrari potius debet huiusmodi naturę dotes absque vllis suis meritis, tanq̄ puncta quædam bonitatis defluxisse à Deo immensa bonitatis fonte, & proinde in his non inaniter gloriari, sed operari in eis ad sui & aliorum salutem, quemadmodum Hieremias ait propheta, Non gloriatur sapiens in sapientia sua, neque fortis in fortitudine sua, neque diues in diuitijs suis, sed in hoc gloriatur scire & nosse me. Non de huiusmodi tamen naturalib⁹ bonis tunc agebat Apostolus loquens contra eos, qui dicebant, Ego sum Pauli, ego sum Apollo, sed de donis Christi, vt miserētis, quib⁹ discernitur iustus ab impio. Item

De meritis iustorum.

Apostolus dicens, Quid habes, quod non accepisti, nō loquitur de naturali dono.

in poste-

in posteriori Epistola dicit Apostolus. Fiduciam talem habemus ad Deum per Christum, non quod sufficientes sumus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti, non litera, sed spiritu. Litera enim occidit, spiritus autem uiuificat. Si autem ministratio mortis, id est, Lex Moysi in lapidibus figurata literis fuit in gloria, ita ut non possent attendere filij Israel in facie Moysi propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur, quare non magis ministratio spiritus erit in gloria? Hæc Apostoli doctrina. Ex qua, ut inquit Augustinus, licet aduertere, quam Apostolus dicat literam, quæ occidit, cui velut e contrario uiuificantem spiritum ingerit. Literam occidentem appellans, non solum circuncisionis sabbathi aliorumque veterum iam abolorum sacramentorum legem, sed & totum decalogum omnemque legem peccati prohibentem. Lex prohibens peccatum, inquit Augustinus, aut lex precipiens opera non iustificat hominem, sed potius occidit per occasionem augendo concupiscentiam, nisi adsit spiritus uiuificans animam. Proinde lex Moysi in motu tabulis inscripta, quæ & decalogi lex appellatur, lex est occidens. Unde ministratio mortis, ministratio damnationis, lex iram operans, lex factorum, lex quæ est peccati virtus, lex operum ab Apostolo Paulo pro eodem accipiuntur, & ita litera occidit per occasionem, nisi adsit spiritus sancti gratia. Proinde cum ibidem præmississet Apostolus. Ad hæc quis tam idoneus, id est quis ad odorem nominis Christi, id est Euangelij prædicationem diuulgandam tam idoneus, quam nos veri Apostoli, qui non sumus adulterantes verbum Domini, continuo adiecit, sed ex sinceritate sicut ex Deo & coram Deo in Christo loquimur. Attende verba. Sicut ex Deo, & sicut coram Deo. Sicut ex Deo in Christo loquitur, qui agnoscit se non a se, sed ex Deo habere quod piè in Christo loquatur. Sicut coram Deo in Christo loquitur quisquis in eo quod loquitur, non humanum quarit fauorem, sed Dei gloriam communemque in Deo salutem. Et paucis interpositis. Vos Epistola, inquit, estis Christi ministrata a nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei uiui scribentis characteres, non quemadmodum dominus dedit Moysi legem scriptam in monte Sinai in tabulis externis, sed intus, hoc est, in tabulis cordium scribentis literas spirituales, fidem videlicet spem & charitatem. Atque ita si ad aliquid boni sumus idonei, id ex Deo est, qui idoneos nos fecit noui testamenti non litera sed spiritu. Non litera, id est, non carnali seu literalis obseruantia legis ex spe temporalium bonorum obseruata, sed spiritu fidei per dilectionem operantis ex spe bonorum celestium.

Litera occidit.

Litera enim occidit eos, qui sibi putant absque spiritu fidei gratis iustificatis sufficere ad salutem carnalem legis obseruantiam, & præter hoc carnalem quandam cupientes salutem, terrenam quandam felicitatem expectantes, metuque terrenæ felicitatis perdendæ legis opera facientes. Spiritus autem uiuificat, spiritus inquam fidei uiuificat eos qui credunt per mediatorem Iesum posse sibi ignosci cum peccant, & per ipsum gratiam sibi subministrari, ut bene faciant legis præcepta ex desiderio quodam celestis vitæ. Unde ex his tale format Augustinus argumentum. Nihil inter hominum bona opera est prius quam cogitare. Cogitates enim credimus, cogitates loquimur, cogitates agimus quicquid agimus. Si ergo non sumus idonei facere ex nobis, id quod est minus, piè videlicet aliquid cogitare, consequens profecto est nos non esse idoneos ex nobis quicquam aliud piè ac iuste facere. Ab ipso Deo, inquit Bernardus, fit nostræ salutis exordium, qui pro sua misericordia impium præueniens, bonum seminat cogitatum. Et ita homo incipit bene velle, & iuste operari, non de suo, non ex se, id est, non ex sola lege naturaliter impressa, non ex sola naturali libertate, sed ex iustitia, & bonitate cœlestis immissa per misericordiam Dei miserentis. Deinde in Epistola ad Paulinum inter errores Pelagij recenset

recenset eum quo dicitur, gratiam Dei non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, in lege atque doctrina. Hoc enim, inquit, falsum est, quia iuxta Pauli Apostoli doctrinam, in nullo gloriandum, sed totum Deo dandum, quia iuxta Cypriani sententiam nostrum nihil est, nihil inquam quod bonum sit tanquam ex nobis solis operantibus. Multum autem dissident, si dixerit totum opus bonum Deo dandum, & si dixerit omne opus bonum a solo Deo fit absque concursu liberi arbitrij. Rursus in epistola ad Vitalem, Hæc, inquit est Pelagianorum damnata & reprobata sententia, qua dicunt gratiam Dei non ad singulos actus dari. Ex his igitur patet eos facere iniuriam diuinæ gratiæ, qui docent gratiam Dei solum dari ad decorem & ornatum animæ, ad remittendum peccata, & remouendum peccatorum debita, & reatus, & dissoluendum iram & inimicitiam Dei seu offensam ex peccatis contractam, & illis sublatis, hominem deinceps ex liberi arbitrij viribus posse vitare peccata, perseverare in bono, & si velit ex se seruare omnia mandata. Sed de hoc latius in sequenti capite.

¶ *Caput quintum, in quo destruitur error eorum, qui dicunt iustos ac sanctos in hac vita prorsus viuere sine peccato, ut non sit illis opus oratione quotidiana pro peccatorum remissione.*

Sequitur caput quintum, in quo falsam ostendemus esse doctrinam Pelagianorum docentium homines iam iustificatos posse prorsus in hac vita sine peccato viuere si velint. Restat iam contra Pelagium adducere rationes, quibus probant Augustinus, & Hieronymus, ceterique patres, quod iustorum hominum vita quamuis inueniatur sine crimine, non tamen sine leuibus, quotidianisque peccatis, ita ut omnis iustus habeat in hac vita orare quotidie, Dimitte nobis debita nostra, & neminem sanctorum vixisse sine peccato. In libro de definitionibus ecclesiasticorum dogmatum ex concilio Mileuitano cap. 36. Quicumque dixerit in oratione dominica, ita sanctos dicere, Dimitte nobis debita nostra, ut non pro seipsis hoc dicant, quasi non sit eis necessaria ista petitio, sed pro alijs, qui sunt in suo populo peccatores, & idcirco non dicere vnumquemque sanctorum, Dimitte mihi debita mea, sed, Dimitte nobis debita nostra, ut hoc pro alijs potius, quam pro se iustus petere intelligatur, anathema sit. Sanctus enim & iustus erat Iacobus Apostolus, cum dicebat, In multis offendimus omnes, quare additum est omnes nisi ut ista sententia conueniret illi Psalmo, vbi legitur, Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Unde & in oratione sapientissimi Salomonis, Non est homo in terra, qui bene faciat, & non peccet. Daniel quoque sanctus, & iustus, cum in oratione pluraliter diceret, Peccauimus, iniquitatem fecimus, ne putaretur, quemadmodum quidam sentiunt, hoc non de suis, sed de populi dixisse peccatis, postea dixit singulari numero, Cum orarem, inquit, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Domino Deo meo, noluit dicere peccata nostra, sed mea. Confessus itaque vir sanctus peccata populi sui, confessus est & sua, quonia futuros istos, qui tam male intelligerent, tanquam propheta præuidit. Hæc Augustinus in concilio Mileuit. Et ibidem capitulo sequenti. Quicumque huiusmodi verba, vbi dicimus, Dimitte nobis debita nostra, ita vult a sanctis dici, ut humiliter, & non veraciter hoc dicant, anathema sit. Et alibi, Quicumque dixerit sanctos post susceptum baptismum, fateri se esse peccatores, quod peccata prius habuerint, Apostolo Ioanni conuincitur contradicere, dicenti, Si dixerimus, quia peccata non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Non ait, Si dixerimus, quia peccatum non habuimus, ne forte, inquit Augustinus, de præterita vita dictum videretur, ut verè diceret, habuimus peccatum, sed semel abluti sacro baptisinate, sumus iam puri & mundi.

Nullus sanctorum vixit sine peccato.

*Sanctus quisq;
nō humiliatis
causa, sed uera
causa dicit se ha
bere peccatū.*

mundi. Ne ergo solum intelligantur sancti confiteri, se fuisse peccatores, ait Apostolus, verbo presentis temporis, si dixerimus, quia peccatum non habemus.

Rursus neq; ait, Humilitas in nobis nō est, sed ait, Veritas in nobis nō est. Proinde & patres in concilio adiecerūt, Quisquis hoc accipiendū putauerit, vt propter humilitatem nō possimus dicere nos nō habere peccatum, nō quia veritas, anathema sit. Poterat enim Apostolus dicere, Si dixerimus, Non habemus peccatum, nosmetipsos extollimus, & humilitas in nobis nō est. Sed cū ait, nosmetipsos decipimus, & veritas in nobis nō est, ostēdit eū, qui dixerit sese ita viuere, vt nullum omnino habeat peccatum, nō verum loqui, sed falsum. Quantalibet ergo diligētia repugnemus vitijs, vel etiā vitia superemus, aut subiugemus, q̄ diu sumus in hoc corpore, sine peccato nō sumus. Et quia istam doctrinam posset quis ita accipere, vt diceret, Nos quā diu viuimus non esse sine peccato, id est, sine fragilitate, & pronitate peccandi, aut sine fomite (qui in vna significatione ab Apostolo Paulo, nomine peccati appellatur, q̄ quis baptizatis non imputetur ad culpā) & idcirco, nos non carere vnquam peccato, id est, fomite seu malo hospite, habite in peccatrice natura nostra, & Apostolum sic accipere peccatum, cū dicit, Si dixerimus, quia peccatum nō habemus, quia semper habemus fomitem cōcupiscibilem qualitatem, quæ est malū habitans in carne nostra, & cæt. Atq; ita ex Apostolica doctrina, nō esse consequens omnem hominem iam vtentem ratione, habere peccatum, id est, culpam, reatumq; peccati, & ita ex illo Ioannis testimonio, non se quā omnem hominem viuere in peccato, id est, reatu peccati. Huic responsioni obuiat, quod idem Apostolus continuo subiicit, Si cōfiteamur peccata nostra, fidelis est Deus & iustus, vt remittat nobis peccata nostra. Ecce aperte insinuat se peccatū accipere pro culpīs, offensīs, seu debitis, quæ peccato cōtraximus. Idcirco cōtra illum intellectum probat August. plurimis scripturis q̄ nullus est hominum grādiōris ætatis accessu, qui nō quotidie peccet, Deumq; offendat. In multis, inquit Iacobus, offendimus omnes, Iacobi. 3. Non est homo in terra qui bene faciat, & non peccet, secundi Paralip. 6. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Iustus accusator est sui in principio sermonis, Prouerb. 18. Iustus quotidie orat, Dimitte nobis debita nostra. Phariseus Deo gratias agebat de his, quæ habebat, sed quia nihil petebat sibi dari, nihil cupiebat remitti, tanquam nihilo indigeret ad augendam, perficiendamq; iustitiam peccauit in Dei gratiam, etiam arbitrans, forsitan suis meritis accepisse ea, pro quibus gratias agebat. Est autem doctrina hæc Augustini libro quinto contra Iulianum, capitulo nono. Verum pro intellectu huius scire debes, quod inter mortuos seu mortales homines solus liber à peccato est Christus, præseruata verò à peccato sola est Maria mater Christi. Liberati autē atq; liberandi à peccato omnes iusti, q̄ diu in hac vita viuunt. Hæc est plana ecclesiæ sententia, cuius primum & tertium membrum sunt in scripturis sacris fundata. Membrum autem secundum quod est de virgine Maria, piè creditur ab ecclesia, quæ eiusdem virginis solennia conceptionis, & natiuitatis celebranda decernit, quamuis & Bernardus aliter senserit de gloriosa hac virgine. Hanc quoque trimembrem sententiam tradit Augustinus in libro de natura & gratia, Excepta, inquit, sancta virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem. Scimus enim, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendū ex omni parte peccatum, quæ concipere & parere meruit, quem constat nullū habuisse peccatū. Hac ergo excepta, si omnes illos sanctos & sanctas cū hic viuerent, congregare possemus, & interrogare, vtrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus. Si hoc interrogari potuissent, vna simul voce clamassent.

Si dixē-

*Nemo infortū
est in terra si-
ne peccato.*

*Augustini sen-
tentia de virgi-
ne Maria ab om-
ni peccato
munda,*

Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, veritas in nobis non est. Haec enim ille. Potest quidem adultus mox baptizatus esse sine peccato, tamen si pernitatur aliquantulum viuere pressus pōdere fomitis, & corruptibilis corporis, vel corde peccabit, vel lingua. Et ne quis arbitretur hominem iustificatū grandioris ætatis accessu, post acceptam remissionem peccatorum, posse diu viuere, vt non peccet, ita non habeat quotidie orare, Dimitte nobis debita nostra. Probat Augustinus hominem indigere quotidiana peccatorum remissione, in Enchyridio, cap. 64. Vita hominis iam ratione vtentis, quantalibet præpolleret fecerit iustitiam, sine peccatorum remissione non agitur, quia etiam hi qui spiritu Dei aguntur, tanquam filij hominum, quibusdam motibus humanis deficiunt, & ideo peccant, dicente propheta, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Item libro. 5. contra Iulianum, Dum hic viuimus, vbi caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, quantumlibet in isto conflictu superiores sumus, nec membra nostra exhibeamus arma iniquitatis peccato, obediētes desyderijs eius, tamē in rebus, quibus licite vtimur surreptentis voluptatis excessibus in ipsis certæ nostræ cogitationis motibus & affectibus, si dixerimus, quia peccatum nō habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Et. 21. De ciuitate Dei. Per orationē quotidianam voluit Saluator ostēdere, q̄rumlibet iuste in huius vitæ caligine, & infirmitate viuimus, non nobis deesse peccata, pro quibus dimittendis debemus orare. Et idem super Psal. 142. Ipsi Apostolis & discipulis iam iustificatis data est regula postulandi. Sic orate, inquit, Dimitte nobis debita nostra. Non orauerunt Apostoli, Gratias agimus tibi, qui dimisisti nobis debita nostra. Nec orabant pro debitis, quæ iā remissa erant, nec orabant sibi desyderia remitti, quæ nō ipsi vllō modo, sed quod in eis habitabat peccatū operabatur. Nā à tali malo penæ liberari petebāt, dicentes, Libera nos à malo. Habes plenissimā Augustini resolutionem super Psal. 118. sermone. 3. ostendentis quomodo posunt esse sancti in hac vita, & ambulare in vijs Domini, & non operari peccatum, & tamen non esse sine peccato. Soluta est, inquit, quæstio per Apostolum dicentem, Iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Ita sancti, inquit, ambulant in vijs Domini, & nō ipsi operantur iniquitatē, sed quod habitat in eis peccatum. Deinde quasi obijciens sibi, Quæ sint ista peccata, quæ petimus remitti, dicētes, Dimitte nobis debita nostra, vtrū quæ nos operamur, quādo peccati desyderijs obedimus aliquantulū, an ipsa desyderia nobis dimitti volumus, quæ nos nō operamur, sed quod habitat in nobis peccatum. Respondet. Languoris illius, vnde illicita desyderia cōmouentur, quæ peccatum appellat Apostolus, vniuersus reatus sacramēto baptismatis est solutus, nec deinceps languor iste nobis obesset, si desyderijs eius illicitis nullis vnquam obedientiam præberemus siue operatione, siue locutione, siue tacita cōsensione. Sed quoniam tentatio est vitæ hominis super terrā, etiam si à criminibus longè simus, nō tamē deest vbi desyderijs peccati, vel facti, vel dicti, vel cogitati obediamus, quando aduersus maiora vigilantibus quædam incautus minuta subrepunt. In multis, inquit Iacobus Apostolus, offendimus omnes. Noluit, inquit Augustin. dicere, Omnes peccatū habemus, sed omnes, inquit, offendimus, ne malè intelligerētur omnes solum habere peccatū, id est, vitium fomitis, quod peccantis primi hominis voluntate est cōtractum, ideo dixit, offendimus. Nō offendit qui peccatū, id est, fomitem habet, nisi ad aliquod opus facti, dicti, vel cogitati aliquo modo cōsenserit. Hæc August. in fine libri de perfectione iustitiæ, & in libro de fide catholica ad Petrū. Firmissime, inquit, teneas, & nullatenus dubites, etia iustos ac sanctos homines, exceptis his qui baptizati sunt paruulis, sine peccato hic minimè viuere posse, semperque

*Sancti quotidie
orant, Dimitte
nobis debita no-
stra.*

*Aduersus gran-
diora peccata
vigilantes, in
minoribus of-
fendimus.*

homini esse necessarium, vt peccata sua vsq; in finem vitæ præsentis eleemofy-
nis diluere, & remissionē à Deo humiliter ac veraciter studeat postulare. In secu-
do lib. retractationum August. Nemo in hac, inquit, vita, ita seruat madata iusti-
tiæ, vt non sit ei necessariū pro suis peccatis orando dicere, Dimitte nobis debita
nostra. Proinde in scripturis sanctis dum contemplatus fueris normam iustitiæ,
quantumcunq; profeceris, inuenies te peccatorem. Iam vnum Deum colis, Non
fornicaris ab eo ad Idola, ad Mathematicos, ad maleficos, non occidis quenquā,
non adulteras cuiusquam vxorem, abstinuisti manus à furto, linguam à periurio,
cor à concupiscendo rem proximi. Nunquid iam iustus es? Noli superbire, noli
dicere, iustus sum, nihil mali feci. Nihil ne peccasti in lingua, quam nullus homi-
num domare potest? prolaberis ne in verbo otioso? Quis tantus, vt linguam suā
omnino frænet? Sed esto, frænaueris linguam, quid facies de cogitationibus tuis?
quid de suspitionibus est? quid de tumultu & caterua rebellantium desiderio-
rum, quæ & se offerunt in oratione? Genibus flexis corpus prosternis, confite-
ris peccata, Deum adoras, Video corpus vbi iaceat, quæro, vbi volitat animus?
Vide si stet conscientia fixa in eum quem adoras, vide si non cor tuum cogita-
tionibus rapiatur, & in aliud atque aliud tollitur? Si modò mecum loqueris, &
subitò auerteres te ad seruū tuum, & me, præfertim à quo aliquid petis, dimitte-
res, non mihi iniuriam factam deputarem? Ecce quid facis quotidie Deo. In istis
ergo quotidianis peccatis quæ spes? nisi humili corde non defendentes peccata,
sed confitentes dicamus quotidie, Dimitte nobis debita nostra, Non intres in iu-
diciū cum seruo tuo Domine. Agnoscentes ergo propriam miseriam & fra-
gilitatem, atque arbitrii nostri infirmitatem, conîteamur nos omni tempore
indigere Dei misericordia, tum ignoscere quod peccauimus, tum custodiende
ne peccemus. Impleri sunt lumbi mei illusionibus, & à facie ipsarum illusionum
aliquando vix, inquit Augustinus, orare permittimur. Irruunt imagines, quas
non quærimus. Aliquando volumus ex hac cogitatione in hanc, & ab hac in illā
transire, & aliquādo vis redire ad id quod cogitabas, & aliud tibi occurrit, & po-
stea venit tibi in mentem, cum iam non quæreretur, cum autem quærebatur, oc-
currebant pro illo innumera quæ non quærebantur. Præterea idem Augu-
stinus in epistola quæ est vigesima nona, Plenissima, inquit, iustitia, quæ iam non
possit augeri, quā diu homo hic viuuit, in nemine est, quā diu autem potest au-
geri, profecto id quod minus est quā debet, ex vitio est, ex quo vitio non est iu-
stus in terra, qui bene faciat, & non peccet. Ex quo vitio non iustificatur in cōspe-
ctu Dei omnis viuens. Propter quod vitium, si dixerimus, quia peccatum nō ha-
bemus, veritas in nobis non est, propter quod vitium etiam quantumlibet profe-
cerimus, necessarium est nobis dicere, Dimitte nobis debita nostra. Propter quod
vitium, nullus sanctus & iustus caret peccato. Et ideo veraciter omnes sancti in
terra pronuntiant se esse peccatores, quia in veritate habent quod plangant. Nec
tamen ex hoc desinunt esse iusti: nam iustus accusator est sui, in principio sermo-
nis. Possunt quidem sancti in hac vita viuere sine crimine, dicente Paulo Aposto-
lo, Confirmabit vos vsque in finem sine crimine. Et iterum, Ministrent presbyte-
ri nullū crimen habētes. Deus si à ministerio peccatores (inquit August.) abijce-
ret, nemo ministraret, quia sine peccato nemo est. Nunc autē satis bene viuunt, si
sine crimine viuunt. Qui autē sine peccato se viuere æstimat, non id agit, vt pec-
catum non habeat, sed vt veniā nō accipiat. Soli autem paruuli ante vitium liberi
arbitrii iam baptizati, sunt prorsus sine peccato, hoc est, neq; peccāt, neq; reatū
habent tranfacti peccati. Vnde Hierony. lib. 3. contra Pelag. in fine, Paruuli si fue-
rint in Christo baptizati, qui nec possunt peccare, nec volunt, sine villo peccato
per

Inser orandum
etiam sancti et
iusti peccant.

August. super
v. 37.

Sine crimine,
sed non peccato
iusti possunt ui-
uere.

per Dei gratiam sunt, quam in baptismo susceperunt. Nec me tenebis ob id in
assensum sententiæ tuæ, qua dixisti posse hominem sine peccato esse, si velit. Isti
enim nec possunt nec volunt. Vnde erronea sententia, quam venerabiles patres,
Hierony. & Aug. contra Pelagium reprobare conātur, est qua dicebat Pelagius
iustos in hac vita prorsus posse viuere sine peccato si velint, insinuās planē, quod
absq; peccato viuere, in viribus sit voluntatis humanæ. Contra quam sententiā
ipsi probant, omnes iustos etiam si velint non posse ita immobiliter stare in iu-
stitia, quin peccent quotidie. Vnde Hierony. lib. 1. contra Pelagianos, Aliud est,
inquit, hominē posse viuere sine peccato si velit, aut hominē posse carere omni
peccato si velit: aliud hominem posse esse sine peccato per Dei gratiam. Non si
voluerit homo, inquit Hiero. potest esse sine peccato, sed potest si voluerit De-
us hominē seruare sine peccato, & immaculatum sua misericordia custodire. Et
libro 3. aduersus Pelagium, Tu, inquit, posuisti hominem esse sine peccato si ve-
lit. Ego impossibile hoc esse in homine, respondeo, non qua statim à baptisinate
homo peccato non careat, sed quia illud tempus, quando sine peccato est, nequa
quā possibilitati humanæ, sed Dei gratiæ deputetur. Et super Lucæ. 1. Erant am-
bo Zacharias videlicet & Elizabet iusti ante Deum incedentes in omnibus man-
datis & iustificationibus Domini siue querela. Glossa Ambrosij, Ambo erant iu-
sti, non quod non peccauerūt, sed quia per gratiam Dei abluti peccata deseruūt.
Vnde Ambrosius recitata eorum opinione, qui dicunt sine peccatis frequētibus
homo esse non potest, His, inquit, respondendum est, vt prius quid sit hominem
esse sine peccato definiant, vtrum nunq̄ omnino peccasse, an desijisse peccare.
Si hoc putant sine peccato esse, desijisse peccare, ipse consentio, omnes enim pec-
cauerunt, & egent gloria Dei, Si autem eum qui veterem errorem correxerit, &
in eam se vitæ transformauerit qualitatem, vt temperet à peccato, negat absti-
nere à delictis, non possumus in eorum conuenire sententiam, cū legamus, quia
Dominus sic dilexit ecclesiam, vt exhiberet eam sibi gloriosam, nō habentē ma-
culam, aut rugam, sed vt sit sancta & immaculata, per Dei gratiam abluta. Huma-
næ autē hoc est impossibile naturæ, vt ab initio sit immaculata, sed per Dei gra-
tiam sit immaculata. Ecce Ambrosius dicit humanam naturam per Dei gratiam
fieri sanctam & immaculatam, quod verum quidem est, nam exhibenda est tan-
dem in cōspectu Dei sine macula. Deinde potest, vt inquit Hieronymus, cōtin-
gere, vt ad tempus breue quispiam sit sanctus & immaculatus, iustus, veluti mox
baptizatus adultus, sed nō potest sic iustificatus viuere, quin quotidie vel in cogi-
tatione, vel in lingua, vel in operatione aliquantulum peccet. Deinde & debes
aduertere, quod Ambrosius reprobandis sententiam eorum, qui dicunt hominem
sine peccatis esse non posse, intelligit de peccatis venialibus. Intendit enim eos
qui iam Dei gratia iustificati deserunt peccare, & veterem vitam correxerunt,
abstinere à peccatis mortalib⁹, quæ apud homines sunt reprobatione, vel repre-
hensione digna, quibus nō omnino à venialibus leuibusq; peccatis. Et tales iusti erāt
Zacharias & Elizabet incedentes in omnibus iustificationibus Domini sine re-
prehensione. Quod si intelligeretur iustos in nullo vnquā peccare, esset Ambro-
sius sibimetipsi contrarius in lib. de fuga sæculi, cap. 1. Frequēter irrepit terrena-
rum illecebra cupiditatum, vanitatu effusio occupat cor tuum, vt quod studeas
vitare hoc cogites, animoque voluas, quod cauere difficile est homini, exuere au-
tem impossibile. Denique voti eam magis esse rem, quā effectus testatur pro-
pheta dicendo, Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam. Non
enim in potestate nostra est cor nostrum, & nostræ cogitationes, quæ ex impro-
uiso effusa, mentem animamq; cōfundunt, atq; aliò trahunt, quā tu propolue-

Non est in po-
testate nostra,
cor nostrum.

ras, ad secularia reuocant, mundana inferunt, voluptaria ingerunt, illecebrosa intexunt, ipsoque in tempore, quo eleuare mentem paramus insertis cogitationibus vanis, ad terrena plarumq; deijcimus, hæc si vos non patimini, ignoscite non vobis credimus. Hactenus ille. Nunquid sanctus Ambrosius, quando ista dicebat, inquit Augustinus, non cum vitijs confligebat? nunquid non exercitum cupiditatum variarum intra semetipsum, tanquam Christi miles egregius debellabat? nunquid non in tā periculoso, laboriosoq; certamine nullo telo feriebatur hostili? Vnicuiq; ergo in hac peregrinatione quotidianus est cū vitijs conflictus, oportetq; exercitum quandam variarum cupiditatum intra semetipsum debellare, nec est possibile in tam laborioso, periculoso certamine ita strēnuè semper agere, quin crebris feriamur hostium ictibus. Sed audiamus de hac re etiam victoriosissimum martyrem Cyprianum in epistola de immortalitate animæ. Cum auaritia nobis, inquit, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione, congressio est, cum carnalibus vitijs, cum illecebris secularibus assidua & molesta luctatio, & reliqua. Absit, inquit Augustinus, vt sanctum Cyprianum, aut avarum existimemus fuisse, quia cum auaritia: aut impudicum, quia cum impudicitia: aut iræ subditum, quia cum ira: aut libidinosum, quia cum libidine confligebat. Ipse verò ideo nihil eorum erat, quia his malis moribus partim de origine, partim de consuetudine venientibus fortiter resistebat, non acquiescens, quod hæc vitia eum cogebant. Nec ideo tamen in tam laborioso, ac periculoso certamine nullo telo feriebatur hostili, cum dicat in epistola sua de elemosynis, nec quisquam sibi sic de puro atq; immaculato pectore blandiatur, vt innocentia sua fretus, medicinam non putet adhibendam esse vulneribus, cum scriptum sit, Quis gloriabitur castum se habere cor? Aut quis gloriabitur mundū se esse à peccatis. Nemo sine peccato esse potest, & quisquis se inculpatum esse dixerit, aut superbus est aut stultus. Dices fortè quod Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, cæteri que Theologiæ interpretes, non æqui videntur iudices, dum ex his, quæ ex semetipsis experiebantur, martyres sanctos, aut alios esse tales iudicabant, quales se ipsos sentiebant, quemadmodum diuus testatur Hieronymus de vetere poeta Ennio, qui quod de seipso experiebatur, transferens in alios, non rectè sensit. Rectè hoc diceretur, si non Dei spiritus in scriptura sacra planè doceret, quod non iustificabitur in conspectu Dei vllus viuens, & quod omnes homines sint peccatores, & quod in multis offendimus omnes.

¶ Sequitur secunda huius capituli pars, in qua declaratur quoniam pacto non repugnet orthodoxæ fidei dicere, quempiam sanctorū in hac vita per gratiam Christi nixisse sine peccato, & soluuntur argumenta.

SED dubitabit forsitan quispiam, an repugnet scripturis, aut ecclesiæ doctrinis, si dicatur iustus vllō vnquā tempore saltē paruo in hac vita esse purus & mundus ab omni peccato. Respondeo. Si quispiam beneuolentia quadā ad sanctos arbitretur aliquos aut fuisse, aut esse, aut fore, quibus gratia Christi saluatoris ita peculiariter subuenierit, vt post regenerationis lauacrum prorsus vixerint sine peccato, non multum errat, nec pernitiōse fallitur, si tamen seipsum talem esse non reputet, nisi reuera spiritu reuelante seipsum talem esse perspexerit. De quo habes Augustini doctrinam in libro de peccatorū meritis & remissione. Qui dicunt esse posse in hac vita hominem sine peccato, non est eis continuo incauta temeritate obstitendum. Rursus in libro de natura & gratia, tractātis hanc quæstionem. Vtrum in hoc seculo fuerit, vel sit, vel possit esse aliquis ita iustus viuens: vt nullum habeat omnino peccatū. Potest hæc esse, inquit, aliqua quæstio inter veros piosq; Christianos. Et respondēs, hæc ponit sententiam. Quamq; mihi

mihi non videatur aliter intelligendum esse quod scriptum est, non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Si dixerimus quia peccatum non habemus, & si qua similia sunt, tamen siue possit ostendi hæc testimonia melius posse intelligi, siue plenam, perfectamque iustitiam, aut fuisse, aut esse in aliquo dum in isto corpore viuit, id sine dubitatione à quolibet Christiano asserendum neminem ad qualemcunque perfectionem veræ iustitiæ posse peruenire, nisi adiuuante gratia saluatoris Christi crucifixi, & dono spiritus eius. Perfectam autem iustitiam intelligit Augustinus cum iam non amplius pugnat caro aduersus spiritum, cum nullum sentit amplius peccatum, siue peccati desideria, cum absque vlla difficultate ac molestia rectè viuat. Vbi autem & quando erit talis plenissima iustitia, non nimis curo, inquit, vbiunque autem, & quicumque perfecti fuerint, non nisi gratia Dei per Iesum Christum perfici posse confirmo. Eandem que habet sententiam in libro de spiritu & litera. Et in libro. 2. de symbolo ad catechumenos. Si post remissionem peccatorum ille qui sanatus est à Deo paralyticus, aut alius quilibet post susceptum baptismum, permixtus sit aliquātulum viuere, etsi non peccat, quod credere difficile est, multum tamen periclitatus est, quia tota hæc vitæ tentatio est, & proinde non quiescat orare, Adiuutor meus es tu, ne derelinquas me. Et in epistola ad Hilarium, Illi qui dicunt vel esse, vel fuisse hic aliquem præter vnum sanctum sanctorum, qui nullum omnino haberet peccatum, vt cunq; tolerandi sunt. Illud verò quod dicunt sufficere liberum arbitrium ad dominica præcepta implenda, omnino anathematizandum. Verissimum quidem est Augustinum, Hieronymum, cæterosque ecclesiæ doctores, ex scripturis sacris docuisse hominē post susceptū baptismum iustificatū, nō viuere sine peccato, ad eū sensum, quod non perpetuo careat peccato, & quod non vsque in finem vitæ sine peccato viuat, sed non solum intenderunt huiuscemodi sensum, sed & censuerunt quod non ad longum tempus iustus hic viuat quin peccet. Et idcirco iustum quotidie oportere orare, Dimitte nobis debita nostra. Et ita docentes non posse esse, vt iustus hic in iustitia sine peccato viuat, sic intellexerunt, quemadmodum dicimus hominē nō posse hic in labore & solitudine viuere sine otio, requie, & somno. Vnde Hieronymus in libro contra Pelagianos, Ad tempus breue potest homo esse sine peccato. Verum tempus illud, quando est sine peccato, nequaquam possibilitati humanæ, sed diuinæ gratiæ deputatur. Idem tractans illud Apostoli ad Ephesios primo, Elegit nos ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati coram ipso. Quaritur, inquit, quo modo sanctus quis sit & immaculatus coram Deo, cum propheta testatur, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Ad quod bifariam, inquit, respondendum est. Non enim ait Apostolus, Elegit nos ante mundi constitutionē cū essemus sancti & immaculati, Sed elegit, inquit, nos vt essemus sancti & immaculati. Hoc est, qui sancti & immaculati antè nō fuimus, elegit vt postea essemus. Quod & de peccatoribus ad meliora cōuersis dici potest: & stabit illa sententia. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. i. in tota vita sua, in omni quo in isto mundo conuersatus est tempore. Non enim eliguntur prædestinati, quia sancti erant & immaculati, sed eliguntur vt in consequenti vita per opera atq; virtutes sancti & immaculati fiant. Deinde & sciendum est, inquit, quia non dixit propheta. Non iustificabitur in cōspectu tuo quispiā viuēs, sed ois viuēs. Hoc est, non iustificabuntur omnes, iustificabuntur verò aliqui. Hæc ille. Verum idē Hieronymus in libris contra Pelagianos exactius discutiens Apostoli doctrinam, & plianus mentem suam aperiens dicit, iustitiæ perfectionem non esse in hac vita, sed in futura, loquens conformiter ad sententiam Augustini sic interpretantis libro secundo

Augustin. citat
Ambrosium &
Cyprianum.

Perfecta iustitia que sit.

Ad quem sensum dicitur sancti non in unquam iustitiam in hac vita nisi sine peccato.

Ecclesia sine macula et ruga.

secundo retractationum. Vbi cunq; inquit, in libris meis comemorauit ecclesiam non habentem maculam aut rugam, non sic accipiendum est quasi iam sit, sed quæ preparatur, vt sit quando apparebit etiam gloriosa. Et libro primo de nuptijs & concupiscentijs cap. 34. Non solum peccata omnia, sed prorsus omnium hominum mala Christiani lauacri baptismi tolluntur, quo mundat ecclesiam suam Christus, vt exhiberet eam sibi, non in isto seculo, sed in futuro, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi. Quamuis autem obuiet scripturis, qui dicit ecclesiam iustorum modo esse talem, non aduersatur tamen scripturis si ponat membrum aliquod ecclesie in hac vita per Dei gratiam ad tempus breue, nullum omnino habere peccatum. Sed contra hæc forsitan vibebuntur argumenta.

Primum ex allegato testimonio Ioannis dicentis. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, mentimur, & veritas in nobis non est. Omnis ergo qui vlllo vnquam tempore dicit se non habere peccatum, non dicit verum, sed falsum. Non enim hoc Apostoli testimonium ita, inquit Aug. accipiendum est, vt propter humilitatem debeat quis dicere, se non habere peccatum, sed veraciter, vt mendosum sit & veritas non sit in eo si dicat se non habere peccatum, vt habet Aug. cæteri q; patres in lib. de ecclesiasticis dogmatibus capitulo. 36. & 37. Nec etiam accipiendum est hoc dici de præterita vita, vt intelligatur neminem esse, qui non aliquando peccauit, sed de præsentis vita. Non enim dicit Apostolus. Si dixerimus, quia peccatum non habuimus. Sed dicit, si dixerimus quoniam peccatum non habemus, vt habet Aug. ibidem. Nec etiam accipiendum est de peccato, id est, de vitio fomitis: nam vniuersus illius reatus est in baptismo solutus, vt inquit August. in fine libri de perfectione iustitiæ, & super Psal. Beati immaculati in via, & in alijs passim diuersis suis libris superius recitatis.

Secundum argumentum ex testimonijs sanctorum superius allegatis. Omnis sanctus quantumlibet iuste in hac vita vixerit, vsq; ad vltimum vitam dicit, non humilitatis animo solum, sed veraciter: non pro alijs solum, sed pro se, Dimitte nobis debita nostra, & in lib. de ecclesiasticis dogmatibus vbi supra. & 21. de ciuitate Dei, cap. 27. & super Psal. 140. Didicerunt Apostoli orare, Dimitte nobis debita nostra, Non dixerunt, Gratias tibi agimus, quia non peccauerimus, sed dimitte, inquit, nobis debita nostra, Non debita quidem illa, quæ per baptismum iam dimissa sunt, sed debita, quibus quotidie peccamus, ergo nullus est homo in terra, qui prorsus omni caret peccato.

Tertium argumentum. Dicit Sapiens, Non est iustus in terra, qui potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato, Prouerborum secundo. Proinde orat propheta, Ne intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Iustus accusator est sui in principio sermonis. Vnde Augustinus in libro de spiritu & littera, capite secundo, & alijs locis. His & similibus scripturarum testimonijs definitum existimo nullum hic viuentem, qui iam libero vritur arbitrio inueniri sine peccato. Ad quam sententiam corroboranda valent omnia testimonia Aug. Hier. Ambr. Cyp. superius recitata. Ex quibus videtur manifestè consequens esse, quod nec est, nec fuerit vnquam in hoc seculo iustus quispiam, qui post acceptam semel remissionem peccatorum, ita sanctè vixerit, vt nullo vnq; tempore fuerit mundus, purus, & immunis ab omni peccato.

Pro istorum argumentorum solutione, ad intelligendum quæ fuerit in hac materia ex scripturis sacris sententia August. & Hiero. contra Pelagianos, scire debes, quod si quispiam benevolentia quadam ad sanctos dicat, aliquos aut fuisse, aut esse, aut fore, qui post regenerationis lauacrum Deo adiuuante speciali suo fauore vixerunt prorsus sine peccato, non multum errat, nec penicose fallitur, si tamè seipsum talem esse

esse non reputet, nisi reuera spiritu reuelate seipsum talè esse perspexerit, quemadmodum in superioribus deduximus ex scripturis, & testimonijs Augustini, & Hieronymi. Vnde & Apostolus Ioannes de seipso loquitur, Si dixerimus, inquit, nos non habere peccatum, non ait, Si piè credimus per gratiam Dei nos non habere peccatum, aut si nihil nobis conscijs simus. Sed si dixerimus, inquit, id est, desinierimus, asserentes nos non habere peccatum, etiam si per Dei gratiam peccata remissa iustus ad tempus aliquod fuerit purus et immaculatus, prorsus non habens vlla peccati debita, hoc ipsum ignorabit anima eius. Quatenus ergo scripturas sacras, & huiusmodi sanctorum patrum interpretationes, hanc materiam concernentes planius intelligamus, aliquot ponemus sententias.

Doctrina, quam hætenus docuit theologorum schola, de actibus non prauis, de mortalibus, seu criminalibus, & de venialibus, seu quotidianis, leuibusque peccatis in scripturis sacris liquidè est fundata, & in omnibus consona doctrinis ecclesiasticorum patrum, quæ sicut per scripturam sanctam antiquitus est tradita, sic à patribus ad hoc vsq; tempus retenta est & conseruata, quemadmodum in alijs latius deduximus. Longè sunt à veritate hæretici, dicentes, omne opus hominis esse peccatum. Si nupsit virgo, inquit Apostolus, non peccat. Hieronymus in procemio epistolæ ad Philemonem, Valde & simpliciter errant, qui putant cibum emere, hospitium præparare, vestimenta conquirere, esse peccata, & asserere à se refugari spiritum sanctum si corpusculi paulisper necessitatibus seruiamus.

In scripturis sacris aliud est peccare, aliud habere peccatum. Habet enim iustus peccatum, etiam eo tempore, quo non peccat. Proinde et si iustus quispiam semper & in omni momento temporis habeat peccatum, non idcirco oportet esse consequens, iustum semper & in omni momento temporis peccare. Vnde & vitare peccatum bifariam accipitur, vno modo, vt sit non peccare. Alio modo, vt sit non habere peccatum. Potest iustus ad breue tempus, inquit Hieronymus bene agere, sic vt non peccet. Peccat nempe homo in eo solum, quod aut negligit bonum, aut aliquatulum consentit in malum, & non in eo quod fomitem habet. Paruos enim iam baptizatos Hieronymus in fine tertij libri aduersus Pelagianos ponit posse esse sine peccato per Dei gratiam, si interim neque cogitauerint aliquid, vel dixerint, aut senserint, in quo errore & ignorantia laborerent. Nam quantum ad nos attinet, inquit Augustinus, sine peccato semper essemus, si malo, quod habitat in carne nostra, nunquam consentiremus ad malum. Non ideo enim sine peccato non sumus, quia hoc vitium quod peccatum dicitur, operatur in membris nostris, repugnans legi mentis nobis ad illicita non consentientibus. Verum in quibus ab illo rebellante vincimur, et si non lætaliter, sed venialiter in his contrahimus, propter quod quotidie dicamus, Dimitte nobis debita nostra. Et hæc est doctrina Apostoli Pauli ad Romanos. 6. 7. & 8. ostendentis se agere malum, quod odit, sed nihil damnationis esse, si in Christo Iesu regeneratus, non secundum mali desideria ambulet.

Omnis sanctus in hac vita semper odio habere debet peccatum inhabitans in carne sua. i. vitium in exterminabilis fomitis, non propterea solum, quod ad peccata eum traxerit, sed etiam quod ad denuo committenda peccata trahere non cessat. Et proinde omnis sanctus aut iustus in hac vita semper habet quod lugeat, quod confiteatur, & de quo ingemiscat. Sub hoc onere grauatus gemebat, inquit Bernardus, sanctus ille Iob, dicens, Quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihi metipsum grauis? Cur non tollis peccatum meum, & quare non auferis iniquitatem meam? Iob. 7. Vnde sancti patres in lib. de ecclesiasticis dogmatibus cap. 68. Veraciter

Sententia. 1.

Si nupsit virgo non peccat, non omne igitur opus est peccatum.

Sententia. 2.
Aliud peccare, aliud habere peccatum.

Sententia. 3.

citer omnes sancti pronunciant se esse peccatores, quia in veritate habent quod plangent, etsi non reprehensione conscientiae, certè tamen mobilitate & mutabilitate praeuaricatricis naturae. Et Hieron. lib. 3. contra Pelagium. Quamuis sit hominis perfecta cōuersio, & post vitia atq; peccata virtutum plena confessio, nunquid possunt esse sine vitio, quomodo illi, qui statim de Christi fonte procedūt, & ratione de baptismatis fonte illi surgētes, statim in prima corporis Christi communione dicūt, Dimitte nobis debita nostra, nō humilitatis mēdacio, vt tu interpretaris, sed pauore fragilitatis, suam conscientiam formidantes. Hæc ille.

Sententia 4.

Omnes sancti in hac vita consentunt se esse peccatores, & hoc non idcirco solum q̄ fomitem habeant, quo sint proni ad peccādum, sed idcirco etiam quod fomitem habeant, ex quo peccauerunt quibusdam peccatis, quæ tam etsi transierint actu, tamen manent reatu. Et proinde nemo iustus in hac vita potest veraciter dicere se esse innocentem, dicente scriptura, Iustus accusator est sui in principio sermonis. Vnde Apost. Ioan. Si dixerimus, quia non peccauimus, mēdacem eum facimus, & verbum eius nō est in nobis, in prima canonica, Ioannis. 1. capite.

Peccata, inquit An. que transierint actu, manent reatu.

Et quia ex vitio fomitis omnis sanctus non solum in præterito tempore peccauit, sed & quotidie subrepētibus motibus peccat, minutis saltē peccatis, quibus trāsactis manent adhuc reatus, nisi pœnitentia deleantur. Ideo iustus in hac vita, etiam si nihil sit sibi conscius, non potest dicere, id est, definire, & asserere, & ficialiter iudicare se esse innocentem, id est, prorsus vixisse absq; peccato, & idcirco ignorans se plene iustificatum, formidare sibi debet, & agnoscere se peccasse, cum nemo possit diu esse quin peccet, & idcirco omni tempore reputare se esse peccatorem, ac dicere cum sanctis, Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Potest quidem iustus quispiam pia quadam in Iesum saluatorem fiducia, vt cunq; fidere omnia peccata posse sibi esse remissa, & ita posse contingere, quod post acceptam peccatorum remissionem, per aliquod breue tempus, ipse per Dei gratiam viueret sine peccato, deputans tempus illud, non suæ possibilitati, sed diuinæ gratiæ. Verum tempus illud, quo sic contingerit eum esse sine peccato ignorabit anima eius. Proinde & tunc etiam ipse, quia tempus illud ignorat, veraciter orat cum sanctis, Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me Domine. Etiam si habuero quispian iustum non respondebo, sed meum iudicem deprecabor. Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me, etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, Job nono. Vnde nec vas electionis Paulus audeat iudicare se non habere peccatum, Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Et ita non consequūtur ex huiuscemodi doctrina absurditates Lutheranorum, dicentium omnē hominē etiam iustū in hac vita peccare omni tempore, & omne opus iusti optimè factum esse peccatum, propter inuincibilē fomitem habitantem in ipso.

Error Lutheri.

Sententia 5.

Quamuis per orationē dominicā leuia seu minuta peccata, quæ dicuntur venialia, remittantur, nō ex hoc necessariō consequēs est, q̄ quisquis non fuerit vllius criminis reus, incipiat per orationem dominicā, omni carere veniali peccato, quod quidem manifestum fieri potest ex tribus. Primo, Nam raro fit, quin & inter orandum quis venialiter peccet mentis euagatione, vel distractione, dum tam non sollicitē, quā oportet vigilat, ne mentem suam auertat ab eo quem adorat. Nec inde consequens est, consultius fuisse non orare, nam prætermissa oratione, in grauiora fuisset præcipitatus. Secundo. Tametsi quis diuina adiutus gratia, sine quauis vana mentis euagatione, nonnunquam orauerit totus in Deum mente raptus, non oportet tamen, quod per orationem illam tollantur omnium venialium peccatorum culpæ aut debita. Omnium mortalium peccatorū culpæ simul

simul quidem remittuntur, secus autem est in venialibus. Sæpenumero latenter viuunt quædam venialiter peccandi voluntas, cuius reatum non delet orantis charitas, non enim contingit iustum in hac mortali vita ab omni affectione, quæ Dei amorem obnubilat, prorsus esse liberū. Manet hominis affectus, interdū ad quædam venialia peccata denuo cōmittenda ita inclinatus, vt si memoriæ occurrerēt, nō displicerēt, ita & seruator charitatis, quo delentur venialia peccata, non æqualiter tendit contra omnia. Proinde tametsi quædam venialia remittantur, nō idcirco oportet, q̄ remittantur omnia. Neq; oportet q̄ si charitas adueniēs deleat oīm peccatorū mortalium culpas, quod ergo & deleat omnium venialium peccatorū maculas.

Mortalia peccata simul omnia remittuntur, nō aut oportet omnia venialia simul remitti.

Tertio. Non oportet si peccati culpa remittatur, & pœnam remissam esse peccati, remissis peccatis, possunt remanere quædam eorundem peccatorū remissionem debita, pro quibus veraciter orat iustus, Dimitte nobis debita nostra.

His sententijs præmissis, respondeo ad argumenta. Ad testimoniū Ioannis, dicimus simul stare in veritate interdū iustū aliquē nō habere peccatum, & tamen eundē iustum non posse veraciter asserere, se non habere peccatum. Nam qui dicit se non habere vllum peccatum .i. debitum vllius peccati commissi quod luceat, is sifus super propria vitæ innocentia, præsumit se prorsus esse mūdum, sine macula & ruga, & idcirco se non indigere misericordia Dei ignoscentis. Et quia absque Dei reuelatione iudicans de sua iustitia præsumit definire, quod ad solius Dei tribunal spectat, dicente propheta, Delicta quis intelligit? Quis potest dicere, mundū est cor meū, purus sum à peccato? Proue. 2. idcirco hoc ipso peccat, & hoc ipso peccatū habet, & proinde seipsum seducit, & veritas in eo nō est. Deinde nō est iustus in terra, qui nō quotidie periclitetur propter inexterminabilem peccādū fomitem, & insidias diaboli, qui circuit in omni actione nostra, & cū edimus, cum bibimus, cum aliud quicquam facimus, ipse est in insidijs, contra quem assidua debet nobis esse vigilia, lucta, & pugna. Quo fit, vt pressi pondere mortalis corporis, & natura procliues ad vitia, quotidie vtcūq; defatigati, aut superfluo somno, aut cibo, aut potu, aut lingua, aut negligentia, aut cordis euagatione, aut inutili cogitatione, subrepētibus motibus peccemus, remissius & segnus q̄ oportet vigilantis. Cuius cōsideratione omnis iustus cōfiteatur se quotidie peccare, & in omni tempore accusator sui, reputans se non habere peccata, & indigere Dei misericordiā ignoscentis, possit esse sine peccato. Aliud enim est dicere se in hoc tēpore nō habere peccatū, aliud est eū in hoc tēpore non habere peccatū.

Responso ad argumenta.

Ad secūdum dicimus. Quemadmodum iustus omnis in hac vita quotidie peccat, ita & quotidie veraciter orat, quatenus debita illi Deus remittat, veraciterq; dicit cum propheta, Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine. Quia inter tot diaboli insidiantis, & carnis pericula constitutus quotidie in se reuersus, aut inuenire, aut præsumere potest aliquid quod accuset dum sentit se fuisse distractum, aut curis superfluis, aut inutili cogitatione, aut euagatione mentis. Quod etsi iustus quispiam toto corde humiliatus sit ad tempus paruum per dispensationem, & misericordiam Dei ignoscentis sine peccato, hoc ipsum ignorabit anima eius, & proinde non potest dicere se nō habere peccatum, nisi aut ex quadam mentiendi voluntate, aut ex temeraria super sua ipsius innocentia, credulitate, aut ex superna Dei reuelatione, Vnde veraciter etiam illo tempore orat, Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine. Veraciter quoque & illo tempore formidat se habere peccatum cuius indulgentia pendet in Dei misericordis voluntate, nec est plene securus omne peccatum sibi esse remissum, cum multa latent, quæ non patēt, & in Dei misericordis voluntate sunt tā ea quæ patent, quā ea quæ latent.

Omnis sanctus in hac vita quotidie pro remissione peccatorum orat.

Præter-

Præterea Deus mundanus peccatorem, non facit eum, inquit Hieronymus, innocentem. Proinde & iustus post dimissum peccatum in statum pristinum restitutus, os aperire non audeat, sed cum Apostolo dicat, Non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum ecclesiam Dei. Apostolus sciebat sibi esse remissum peccatum, & tamen dicebat se non esse dignum. Iustus itaque considerans se, etiam peccatis sibi remissis, iusta ratione agnoscit sese non dignum esse, non esse restitutum in pristinum statum innocentiae. Idcirco cum propheta potest veraciter orare, Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia sua iustitia ex solius Dei gratuita pendet voluntate, & ita non sibi, sed Deo deputare debet, si peccatum non habet. Insuper rectè quisque sibi etiam illa peccata remissa esse deputat, quæ solius Dei custodientis gratia non habet. Sic dicit Augustinus quarto libro confessionum, Gratia tua deputo, quæcunque mala, te adiuuante non feci. Omnia mihi dimissa esse fateor, quæ mea sponte feci mala, & quæ te duce non feci. Maius beneficium recepit Maria, in eo quod fuit ab originali peccato præseruata, quam recepit, si fuisset ab illo purificata. Sic non minus est donum Dei sua bonitate custodientis infirmum ne cadat, qui alioqui ex sese casurus erat, quam simile donum Dei hominem iam lapsum erigentis, quamuis sit magis gratuitum erga illū qui erigitur, cui, cū esset dignus pœna, impenditur in debita gratia qui & proinde tenetur magis esse Deo gratus, quamuis maiores gratias agere debeat is, qui est à peccato præseruatus, propterea quod beneficium in sese maius ac dignius acceperit, quemadmodum & status innocentiae dignior est, quam status penitentiae.

Ad tertium argumentum similiter patet solutio ex dictis. Nemo etiam potest iudicare se esse prorsus liberum & immunem à peccato, purum esse ac mundum à macula, reatuque peccati. Nam, ut inquit Augustinus, secundo libro retractionum, capite. 33. Nemo in hac vita ita seruat mandata iustitiae, ut non sit ei necessarium pro suis peccatis oratio dicere, Dimitte nobis debita nostra, quisquis sanctorum quotidie subrepentibus motibus peccat. Vnde & sacerdotes Leuitici generis necessitatem habebant quotidie pro suis delictis prius hostias offerre, deinde pro populi delictis, quemadmodum docet Apostolus ad Hebræos septimo, Iustus ergo quisque debet quotidie, non solū causa humilitatis dicere se esse peccatorem, sed etiam reputare sese veraciter habere peccata. Ceterum aliud est dicere, iustus potest ad tempus breue esse, & in illo tempore non peccare, Aliud est, iustus potest ad tempus breue esse, & in illo tempore non habere peccatum.

Prior sententia est verissima, & eam approbat Augustinus & Hieronymus. Altera autem sententia non est manifesta. Verum si quis pia ratione motus, eam de aliquo iusto credat, non multum errat, nec perniciosè fallit, modò tamen ex fiducia super propria innocentia se ipsum talem esse non reputet, nisi fuerit sibi reuelatum. Quamdiu hic viuimus semper inter insidias sumus diaboli, & inextinguibilis fomitis, propter quas oportet nos in hac vita non esse vnquam securos, otiosos, aut segnes, sed vigilare semper. Nihil aliud est vita iustorum quam assidua pugna, militia, lucta, vigilia. Quod si iusti paululum remiserint vigiliam, & distractæ mentis aciem, defatigati aliorum verterint, periclitantur. Et idcirco in omni tempore oportet instabilem cogitationum nostrarum cohortem rationis imperio, per fidem & charitatem subiugare. Sed de his latius dicturi sumus in libro tertio de seruitute & captiuitate liberi arbitrii. Hactenus de impotentia viuendi in hac vita prorsus sine peccato contra defensores liberi arbitrii, Pelagianos docetes, iustos in hac vita posse ex viribus liberi arbitrii prorsus viuere, & perseuerare sine peccato si velint.

Capitulum

¶ Capitulum sextum contra liberi arbitrii præsumptores, qui docent Deum expectare voluntates hominum, qui se faciant saluos.

IAM superest ostendere falsam esse eorundem Pelagianorum sententiam dicentium, Deum expectare voluntates hominum, qui præueniāt ipsum, quibus det gratiam. Falsam insuper esse eorum sententiam, qua dicunt quod nostrū est proponere, incipere, & velle, Dei autem perficere, & consummare. Ostendit aut August. falsitatem huius articuli in diuersis suis libris, & præcipuè in Epistola ad Vitalem Carthaginensem. Sed huiuscemodi, quia ex alijs libris posteriorib⁹ magis erunt manifesta, transeunter solum commemorantes qualem ipsi Pelagiani habuerint in huiuscemodi sententijs intelligentiam, ostendemus eius falsitatem.

Sciendum igitur est, quod huiuscemodi sententiæ possent sic interpretari, quod sanum & catholicum continerēt intellectum. Nam & tota scriptura est plena testimonijs, quibus significatur Deus expectare hominum voluntates, vt agant penitentiam, vt conuertantur, vt ad cor redeant, vt quærant, pulsent, inuocent, vt faciāt fructus bonos. Quod videtur significasse arboris fici parabola, de qua Dominus ait, Ecce iam tres anni sunt, ex quo veniens quæro fructum in ficulnea hac, & non inuenio, Succidite ergo illam, Luc. 13. Isaias, Propterea, inquit, expectat vos Deus, vt misereatur vestri. Nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. Expectaui vt faceret vvas & fecit labruscas, Expectatio increpatis agricolæ ostendit huius vineæ opera esse & eradicare spinas, ac vepres, & dare fructus bonos, quemadmodum ait Isaias, Auferte malum cogitationum vestrarū ab oculis meis, & iterum, Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad dominū & miserebitur eius, & ad Deum nostrū, quoniā multus est ad ignoscendum, Isai. 55. Et apud Malachiā, Reuertimini ad me, & ego reuertar ad vos. Couertimini, & videbitis, quid sit inter iustum & impiū, inter seruientem Deo, & non seruientem. Vnde & Paulus Apostolus, An diuitias bonitatis patientiæ eius, & longanimitatis contemnitis? Secundum duritiam tuam, & impunitatem cor tuum, thesaurizas tibi iram. Ad animam à Deo fornicantem, dicit Deus in Hieremia, Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere, & ego suscipiam te, Hiere. 5. Hac & id genus alia sunt scripturæ sacræ testimonia, ex quibus liberi arbitrii defensores in præiudiciū diuinæ gratiæ putāt demonstrari conuersionem humani cordis suspirantis ad Dominū Deum suum, esse priorē omnibus donis & beneficijs gratuitis coelitus impartendis. Atque ita Deum expectare hominum voluntates, quæ pijs suis desiderijs aut orationibus præueniāt, & præoccupent Deum bonum, qui paratus sit adiuuare omnes quotquot ad illum confugerint, & clamauerint, quia ipse est liberator & adiutor omnibus sperantibus in ipsum, omnibus desiderantibus & inuocantibus illum, dicente scriptura, Desiderium pauperum exaudiuit dominus, præparationē cordis eorum audiuit auris tua. Quicumq; inuocauerit nomē Domini, saluus erit. Atq; ita ex his omnib⁹ consequi videtur, quod vera sit sententia Pelagij docentis, Deū expectare voluntates hominum, quæ sese ad accipiendum desuper gratiā & remissionem peccatorum accommodēt ad cor redeundo, respiscendo, penitendo, desiderando, & orando. Ceterum scripturæ, quas venerabilis Augustinus attulit, probās omne opus bonum esse Dei donum, quas & supra in secunda parte secundi capituli huius tractatus citauimus, non videntur probare motum illum humanæ voluntatis præuenientis, & sese ad accipiendum gratiam accommodātis esse Dei donum, sed probant solummodo Dei donum esse illud, quod Deus humanæ voluntati sic se accommodanti largiatur. Nam cū oramus, Conuerte nos Deus salutaris noster, non petimus, vt De⁹ iam nos orare faciat cū oramus, sed petimus, vt nobis orantibus, &

Quomodo Deus expectet voluntates ad penitentiam.

G tibus, &

De gratia Mariae virginis impensa.

tibus, & iam vteuq; ad eum conuersis, & pro peccatorum remissione ingemiscen-
 tibus ipse largiatur conuersionem pleniorē, peccatorumq; remissionem. Mani-
 festum nempe est ex diuini spiritus sermone geminam esse conuersionem. Vnam
 quā Deus exigit à nobis, vt faciamus, hoc est, vt conuertamus in ipsum corda no-
 stra. Alteram, quam præstat nobis iam corda nostra ad ipsum conuertentibus. Sic
 enim loquitur per prophetam. Conuertimini ad me, & ego cōuertar ad vos. Vbi
 significat conuersionem cordis nostri ad Deum esse priorē cōuersione illa, quam
 Deus facit nobis, conuertens sese ad nos hancq; esse donum Dei præstātis tale be-
 neficium homini supplici oratione sese conuertenti. Sed non inde sequitur illam
 conuersionem hominis supplici oratiōe sese conuertentis, esse Dei donum. Neq;
 enim talem conuersionē petit is, qui iam orat dicēs, Conuerte nos Deus salutaris
 noster, cum iam talem habeat, sine qua orare nequaquam posset. Hęc & id ge-
 nus alia sunt, ex quibus minus capaces gratiā Dei non satis profundē intelligentes
 facile falli possunt, credētes initium fidei atq; salutis ex nobis esse, quemadmodū
 solet dici Deum adesse paratum dare gratiam omnibus quantum in se est facien-
 tibus. Hic ergo ne fallamur incauti præsupponentes ea quæ de gratia Dei præue-
 niente supra diximus diligenter oportet considerare gemina esse Dei dona. Alia
 esse quæ aguntur in nobis, sed non à nobis, vt interna suasio, & inspiratio Dei præ-
 uenientis omnem humanæ voluntatis motum, ad pariendum in nobis initium rectæ
 fidei, qua & nostram miseriam & Dei gratiam, rectē incipiamus agnoscere, vt va-
 leamus iam aliquid etiam agere, orare, ingemiscere, & medicum desiderare. Et
 quemadmodum absq; hac, ita & pro hac gratia, seu gratuito auxilio Dei, sic præ-
 uenientis, atq; liberum hominis arbitrium ad initia quædam rectæ fidei præhētis
 seu preparātis nemo orare potest, nemo dicere valet, Cōuerte nos Deus salutaris
 noster. Quomodo enim suę salutis gratiam imploraret, qui nondū neq; cognoscit
 miseriam spirituale, neq; salutem gratis dandam, aut quomodo inuocabit, in quem
 non credit. Alia sunt Dei dona, quæ aguntur in nobis, & etiam à nobis, veluti cum
 sic ad initium fidei tracti, incipimus credere, orare, & inuocare nomē Domini. Et
 tum possumus dicere, Cōuerte nos Deus salutaris noster. Deus autē cum exigit ab
 hominibus, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, ad eos loquebatur qui
 iam præuerti gratuito quodam auxilio habebant fidem, qua adiuti poterant pe-
 nitendo & respiscendo se accommodare ad obtinendum à Deo gratiā & remissio-
 nem peccatorum. Deinde qui nondum credunt, nondum habētes fidem, cœlitus
 iuuantur vt credant aut vt ad fidem accipiendam sese accommodent, quales fue-
 runt Iudæi, quibus interrogātibus. Quid faciemus viri fratres? Respondit Petrus,
 Pœnitementi & credite Euangelio, Actuum. 3. Deus adiuuat non solum homines;
 inquit, August. iam credentes, sed & adiuuat etiam eos qui nondū credunt, vt cre-
 dant. Ex his igitur patet conuersionem Dei, gratuito suo auxilio conuertentis ho-
 minem, inspirando initia fidei, esse priorem conuersione humanæ voluntatis, sese
 ad eum conuertentis: eandemq; hominis voluntatem, neq; posse orare, vt Deus
 cōuertat ipsam, neq; posse gratias agere Deo, nisi prius Deus ipse cōuertentis. Da-
 tur enim fides non petita vt illius petitionibus acquiratur cetera nondū obtēta:
 vtrumq; autē est Dei donū & fides ipsa & dilectio per quam fides incipit operari,
 neq; enim fides esset, nisi Deus vniciq; partiretur mensurā fidei, neq; item fides
 per dilectionem operaretur, nisi ipsa dilectio Dei diffunderetur in cordibus no-
 stris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Atq; ita fidei initium, vbi etiam est
 initium pię voluntatis, cum sit Dei donum sine quo nullum potest esse opus bo-
 num, consequens est ex Dei dono esse omne opus bonum. Deinde patet etiam
 ipsam gratiam gratificantem, qua videlicet voluntas auersa, & aduersus Deum,
 conuertitur

conuertitur in bonam voluntatem, esse priorem bonæ voluntatis motu. Tertiō
 patet quandam etiam conuersionem liberi arbitrii esse priorem quadā conuer-
 sione Dei mouentis liberum hominis arbitrium, sed omnem liberi arbitrii mo-
 tum etiam ad gratiam accipiendam preparatorium, præcedit gratuita motio Dei
 facientis liberū arbitriū ea, quæ ad salutem pertinent vtiliter & cogitare, & velle,
 aut desiderare. Quartō patet Deum expectare impiorum hominum volunta-
 tes, vt incipiant bonos fructus facere, vt pœniteant, & conuertāt sese ad Dominū
 Deum suum, non quasi homo sine gratia possit sic incipere, aut bene velle, sed ac-
 cipienda est hæc expectatio in Deo secundum bonitatem voluntatis suæ, non sta-
 tim damnantis hominem reum, & peccatorem, sed prorogantis temporalē hanc
 vitam, donec homo ipse præuentus diuina gratia, cōuertatur ad Dominū Deum
 suum. Atque ita Deus sua gratia non solum benefacit bonis & rectis corde, sed &
 dans impijs, & non rectis corde locum pœnitentię, differt sententiam, faciens eos
 bonos & rectos corde, quos vtiq; potuisset & subito mutare, atq; ex impijs bonos
 facere. Et hæc est resolutio orthodoxæ fidei, quam & elucidauit venerabilis Aug-
 multus in locis, & præsertim in Epist. ad Vitalem, sic loquens ad eundem, Ego hæ-
 reticum quidem Pelagium te esse non credo, sed ita te esse volo, vt nihil illius ad
 te transeat, vel in te relinquatur erroris, multa scripturarum testimonia, quæ com-
 memorare longū est, ostendunt Deum sua gratia auferre infidelibus cor lapideū,
 & præuenire in hominibus bonarum merita voluntatum, ita vt voluntas ista per
 antecedentem gratiam preparatur, non vt gratia merito voluntatis antecedente
 donetur, hoc gratiarum actio indicat, simul & oratio. Oratio pro infidelibus vt
 credant, gratiarum actio pro fidelibus quia credunt. Qui enim orandus est, vt fa-
 ciat, illi est gratiarū actio reddenda cum fecerit. Sic inquit Apostolus ad Ephes. 1.
 Propter hoc & ego, audita fide vestra in domino Iesu, & in omnes sanctos nō ces-
 so gratias agere pro vobis. Loquimur autē nunc de ipsis initijs, cum homines qui
 erant auersi, & aduersi conuertuntur ad Deum, & velle incipiunt, quod nolebāt,
 & habere fidem, quam non habebant, quod vt fiat in eis, oratur pro eis, quamuis
 non oretur ab ipsis. Ipsi enim quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt.
 Cum verō factum fuerit, quod oratur, & pro eis, & ab eis aguntur gratiæ ei qui fe-
 cit. De orationibus autē iam fidelium, quas & pro se, & pro alijs fidelibus faciunt,
 vt proficiant in eo, quod esse cœperunt, & de gratiarū actionibus, quia proficiūt,
 conflegendum esse tecum non puto. Contra Pelagianos nempe est ille confictus
 tibi, nobisq; cōmunis. Illi quippe omnia ad fidelem, piāmq; hominum vitā perti-
 nentia ita tribuūt libero voluntatis arbitrio, vt habenda ex nobis, & non à domi-
 no poscenda esse putēt. Tu autē si ea quæ de te audio vera sint initium fidei, vbi est
 etiam initium boni, hoc est, pię voluntatis, non vis donum esse Dei, sed ex nobis
 nos habere contendis, vt credere incipiamus, cetera autem religiose vitę bona,
 Deum per gratiam suam iam ex fide petentibus, quærētibus, pullantibus donare
 consentis. Nec attendis ideo pro infidelibus Deum rogari vt credant, quoniam
 Deus donat & fidem. Hæcenus August. sermo ad Vitalem, putantem initium sa-
 lutis ex nobis esse, atq; ita Deum expectare hominum voluntates, vt viribus suæ
 voluntatis absq; Dei gratia credere incipiant, & gratia Dei sequatur meritum hu-
 manæ voluntatis, credentis, pullantis, & orantis. Ex supra dictis igitur manife-
 stum est huius seculi hereticos indignas cōtumelias construere ecclesiasticis pa-
 tribus, & sacre Ecclesię doctoribus confingentes in eos falsitates & mendacia, ca-
 lumniantes eosdem, quod Dei gratiam non rectē intellexerint, propterea quod
 supradictis scripturis fuerint abusi, & ex eisdē intellexerint priorem esse hominis
 voluntatem, quam Dei gratiam, initiumq; salutis esse ex libero hominis arbitrio,
 G ij quod

Gemina homi-
 nis conuersio.

Duplicia sunt
 Dei dona.

De fide per di-
 lectionem ope-
 rante.

Nota hic longū
 sermonē Aug-
 loqueris ad Vi-
 talem erratē
 in eo quod dixit
 me, credere esse
 in solus liberi
 arbitrii viribus
 absq; gratia.

Hæcenus Au-
 gust. ad Vitale

Seculi huius hæ-
 retici mira mē-
 dacia constru-
 gunt in ecclesi-
 asticos patres.

quod sanè nemo vnquam, neq; veterū, neq; recentiorum docuit, quorū omnium super gratia Christi saluatoris cōcors semper fuit sentētia, per Adē videlicet peccatum genus humanum esse lapsum in damnatiōis laqueum, & ab illo neminem, nisi per Iesum saluatorem posse liberari, liberumq; arbitrium absq; Dei miserentis gratia nihil boni posse, aut scire, aut cogitare, aut facere, ad eximendum sese ab hac damnatiōe, quemadmodum & Iob propheta in persona Christi pro humano genere, iam olim hanc captiuitatem deplorans, inquit, Posuisti in neruo pedem meum, cur faciem tuam abscondis? quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihi metipsum grauis? Contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam & stipulam siccam persequeris, & cēt. Posuit Deus pedem humani generis, id est, liberum eius arbitrium in neruo captiuitatis, dum Adam peccauit, & tum simul interposito inimicitiarum pariete, abscondit Deus faciem suā ab illo, Adam nimirum fugiente, & abscondente sese à facie Domini Dei sui, scripsitque contra eum amaritudines suppliciorum in hac valle lachrymarum, scriptisq; retinet in mutabili suo decreto, relinquens hominem sibi metipsum grauem & contrarium in tenebris, donec illucescat ei dies Christus, pereatque nox peccati, de qua dicitur, Pereat nox in qua dictū est, conceptus est homo. Verū in hac ruina Adē, quamuis infirmata fuerint humanę naturę vires naturales, nequaquam tamē perierūt, quemadmodū patres in concilio Mileuitano tradiderunt, in illa vniuersalis prauaricationis humanę ruina, nec substantiam eiusdem humanę naturę periisse, nec arbitrium rationalis mentis desisse, nec voluntatem ereptam esse, sed perditam esse lumen, decusque virtutum, quibus ad æternam felicitatem peruenitur, nec idcirco iam omnes ex Adam natos, oportere renasci in Christo, ne in illa quis inueniatur damnatione, qua perijt Adam & posterij eius. Nam si posterij Adæ in illis virtutibus naturaliter agerent, in quibus Adam fuit ante peccatum, non essent natura filij irę, non essent tenebrę, nec sub potestate tenebrarum, nec indigerent morte & sanguine Christi saluatoris. Hęc igitur est de gratia & libero arbitrio Ecclesię catholice fides, quę à patribus ad nos vsq; descendit, non periisse videlicet hominis voluntatem, non mentis arbitrium, sed mentem ipsam in qua residet arbitrij facultas, factam esse Deo inimicam, reamq; æternę mortis, bibisse insuper omnium vitiorum venenum, dum magis credidit serpenti, mortis poculum suggerenti, quàm Deo mortem comminanti. Valeant igitur & conuertantur calumniatores patrum, iungant se doctrinis, quas nobis veneranda tradidit antiquitas. Legant & intelligant antequam damnent. Neque enim sunt, neq; fuerūt vnquam approbati sacrę theologię interpretes, qui dicerēt Deum idcirco expectare voluntates hominū peccatorum, vt homines, absq; gratia Dei miserentis, se ipsos saluos faciant & iustos. Doctrina de Christi miserētis gratia simul cum hominis voluntate libera, semper quidem fuit eadem apud ecclesiasticos patres, sed ex orientibus hæresibus contra Christi gratiam, temporibus Augustini magis distinctim ab eodem Augustino, & ab Hieronymo fuit explicata & declarata.

Ad id igitur vnde digressi sumus reuertentes dicimus, q̄ Deus expectat quidem te ad penitentiam & salutem, sed non sic vt Pelagiani dicunt, hoc est, non sic, vt tu te ipsum inferas viti, & sis membrum viuum, nō sic vt tu omnem gratiam Dei præueniens, temetipsum saluum facias, & habeas sanctę cogitationis, aut boni propositi initium, sed expectat te, vt tu Dei miserentis gratia compunctus, peccatum tuum agnoscas, temetipsum accuses, culpam in te, non in Deum reicias, & videns temetipsum deformē esse & ægrotum, ex virtute desuper accepta, credens in reformatorem salutis tuę, medicum Iesum ores & inuoces illū, quem sanè medicum liberum tuum arbitrium ex se neque cognoscere, neq; desyderare potest, sed diui-

sed diuinitus excitatur, vt salutarem recipiat cogitatum. Neq; enim dicimus naturalem liberi arbitrij vigorem sic esse in medio inter bonum & malum cōstitutum, vt equa facilitate possit ex se in vtrumlibet, sed dicimus ipsum ex se sufficere ad malum, ad bonum verò non sufficere, nisi excitatum & præuentum fuerit Dei miserentis auxilio, quo dissoluitur glacialis ille mentis vigor, cōtractus ex prauaricatione Adam. Vnde & venerabilis Prosper, falsam ostendit Cassiani monachi doctrinam ex libro Pastoris desumptam, qua ipse Cassianus conabatur ostendere inter boni angeli, & mali angeli contrarias suasiones, ita omnem hominem naturali iudicio, & proprię discretioni esse commissum, vt ei à Deo non plus præsidij, quàm à diabolo sit periculi. Adiacere, inquit Cassianus, homini in quamlibet partem arbitrij libertatem, etiam liber ille, qui dicitur Pastoris, apertè, inquit docet, In quo duo angeli vnicuiq; nostrum adherere dicuntur, id est, bonus & malus, in hominis verò opinione consistere, vt eligat quę sequatur. Et idcirco manet in homine, inquit, liberum semper arbitrium, quod gratiam Dei possit vel negligere, vel amare. Insuper dubitari, inquit nō potest, inesse omni animæ naturaliter virtutum semina, beneficio creatoris inserta. Hactenus Cassiani sententia, quam venerabilis Prosper falsam esse declarat. Si dubitari, inquit, non potest, inesse omni animæ naturaliter virtutum semina, beneficio creatoris inserta, solus Adam prauaricatus est, & in peccato eius nemo peccauit, in nullis iniquitatibus cōcepti sumus, & in nullis matres nostrę peperere delictis. Non fuimus natura filij irę, nec fuimus sub potestate tenebrarum, qui manētibus naturaliter virtutibus in nobis, filij potius nati sumus pacis & lucis. Neque enim potest initium verę virtutis habitare cum tenebris virtutū. Ita semina beneficio creatoris inserta, primi præteritis pręuaricatione euerfa sunt, nec haberi queunt, nisi eo restituente qui dederat. Remansit quidem naturę humanę rationalis animus, qui non virtus, sed virtutis est habitaculum, quod sanè habitaculum, quamuis vitijs sit occupatum, sitq; factum iam templum dæmoniorum, potest tamē rursus fieri templum spiritus sancti, per eum, qui mundi principē foras mittit. Deus igitur non, sicut sectatores Pelagianę doctrinę arbitrantur, expectat hominum voluntates qui præueniāt illius gratiā, super quo est & Ecclesię sententia inserta in libro de definitionibus ecclesiasticorum dogmatum, capite quadagesimo primo, Si quis (inquit concilium) vt à peccato purgemur, Deum expectare voluntatem nostram contendit, non autem vt etiam purgari velimus per sancti spiritus infusionem, & operationē in nobis fieri confitetur, resistit spiritui sancto dicenti per Salomonem, Preparatur voluntas à domino, Et Apostolo salubriter prædicanti, Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate. Vt ergo efficiamur salui, & rectè viuere valeamus, non solum est opus legis doctrina, aut Euangelij prædicatione, non sola excitatione, sed & insertione, regeneratione, noui spiritus immiissione, vt efficiamur palmites viui, qui eramus mortui. Quemadmodum ait Paulus Apostolus, Si complātati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. In quo verbo Apostolo ostendit nos simul cum Christo ad spiritualem vitam à peccatis resurrexisse, ad faciendum opera iustitię, ac spiritualis vitę, si per baptismum seu fidei spiritum complātati, & insiti fuerimus bonę oliuę, id est, ecclesię, cuius caput, seu radix Christus est, vt ex succo radicis eius, volūtas quoq; nostra viuat suscipiens, vnde proferat fructus bonos. Et de hac insertiōe loquitur Apostolus ad Romanos vnde decimo. Et saluator Ioan. 15. Et scriptura in varijs locis, docēs omnes iustos esse vnus corporis membra sibi cohærentia in Christo eodē spiritu omnes viuificante. Contra errores igitur eorum, qui defendētes liberum arbitrium, iniuriam faciunt diuinę gratię epilogū facimus dicentes, Deus nō expectat nostras

G iij volun-

De gratia & libero arbitrio orthodoxa fides.

Reprobat beatus Prosper errorē Cassiani.

Bona oliua est Ecclesia, cuius radix seu caput est Christus ad Rom. 15.

voluntates, vt præueniamus illius gratiam, sed & ipse præuenit omnes nostras voluntates, miseris nostri, vt illius gratiam assequamur. Deinde gratia Christi non solum est excitatio in nostras voluntates, vt bene viuamus, sed & Deus excitando nos vitam & virtutem inspirat, qua bene viuimus. Insuper gratia Christi non solum est ablatio insidiarum diaboli, sed & vinculorum solutio, quibus captiuus detinebat animas. Præterea gratia Christi est non solum doctrina eorum quæ sunt faciendæ, sed & lumen est ab ipso desuper infusum, in quo videamus viam, qua oportet nos ambulare, si velimus peruenire ad vitam æternam.

Præterea spiritus gratiæ Christi non solum facit contemptum huius mundi instruens nos ne presentibus occupemur. (Nam fuerunt & hæretici, & fuerunt pagani, atque gentiles, qui aut vanè, aut hæreticè, diuitias, voluptates, & honores mundi huius contempserunt) sed & charitatem infundit qua sola Deo placentes rectè viuimus. Fides, spes, charitas, tria hæc, iuxta Pauli doctrinam, sunt sancti spiritus charismata, id est, gratuita dona immissa nobis per spiritum sanctum, qui his virtutibus eleuat naturam humanam in finem longè excedentem omnem ipsius naturæ facultatem, iuxta Petri Apostoli doctrinam, faciens eam diuinæ naturæ consortem, sanctificans, assidue inhabitans nos ad adiuuandam imbecillitatem nostram.

¶ Tertius huius libri tractatus, in quo distinctim recitantur rationibusq; & argumentis confutantur errores eorum, qui circa gratiam & liberum arbitrium, errauerunt non rectè sentientes de originali peccato.

HAtenus recitauimus errores Pelagij collectos in propositione prima superioris in primo capite secundi tractatus recitatos, quibus ita conatus est defendere potestatem seu vim liberi arbitrij, vt iniuriam faciat gratiæ Christi redemptoris. Iam superest refellere errores ibidem collectos in propositione secunda, quibus rationalem creaturam ad imaginem & similitudinem Dei conditam ita commendauit, vt eam ex natiuitate nec malam esse, nec vlli peccato, aut damnationi obnoxiam esse putet. Quatenus autem, quæ de hoc dicturi sumus planiora fiant, præmittemus sententias quasdam generales, quibus hæreses de originali peccato, & de malis concomitantibus discernuntur ab orthodoxæ fidei articulis.

Prima sententia. Hæreticus docet infantes nasci in eo statu, in quo fuissent nati ex Adam etiam non peccante. Atque ita eos nec iustos nasci nec iniustos, sed innocentia plenos.

Christiana autem fides docet infantes accipere, sumere, seu trahere peccatum ex Adam, qui naturam bonam, & rectam à Deo acceptam, peccando fecit peccatricem. Atque ita infantes in suo initio, mox vt homines extiterint sine vilo temporis interuallo simul esse peccatores, iniustos, & non tales, quales fuissent nati si naturam propagandam non vitiaissent ipsorum parentes, hoc est, non innocentia plenos. Si Adam non peccasset, tum qualis à Deo factus est, talis ab eo propagaretur natura. Iam verò ipse post peccatum qualem se fecit peccando, talis & ab eo natura propagatur.

Secunda sententia. Hæreticus docet infantes non nasci obstrictos vllius damnationis vinculo, atq; ita eosdem esse baptizandos non vt à peccato liberentur, sed vt in regnū Dei admittantur. Christiana autem fides docet infantes nasci filios iræ, atq; ita eos baptizandos esse in remissionē peccatorū, & non solum ad intrandū regnū cælorū.

Tertia sententia. Hæreticus docet concupiscentiam carnis esse naturalem bonum insitum à conditore naturæ. Christiana autem fides docet concupiscentiam hanc secundum quam caro concupiscit aduersus spiritum, non esse à Deo patre, sed intrasse in vniuersum genus humanum per vnum hominem peccantem.

Hæreticus

Hæreticus docet mortem, famem, sitim, omnemque in hac vita humani generis miseriam esse conditiones naturæ humanæ sic primitus à Deo institutæ & non supplicia culpæ. Christianus autem docet omnem miseriam super humanum genus esse quidem à Deo, non vt creatore humanum genus instituente, sed vt iudice peccatum humani generis vindicante. Ex his iam ceu fundamentis iactis hæretici consequenter ad suos procedunt errores, contra gratiam pro defensione liberi arbitrij. Nempe dum statuunt infantes nasci innocentes, & sine peccato, consequenter concludunt eos postquam ad rationis vsum deuenerint posse seruari, & custodire hanc innocentiam per naturam à Deo conditam & institutam talem qualem ipsi habent, neque enim Deus bonus & iustus, inquiunt, potuit naturam condere impotentem ad permanendum in eo quod acceperat. Si enim rationalis natura sic esset condita, vt non possit talis permanere, qualis est condita iam non illius culpa deficeret ab eo statu, in quo condita erat. Hæc ergo in prædictis quatuor sententijs recitata sunt, quæ in hoc tractatu elucidare conabimur.

Contra errores in prima sententia collectos sit hæc vnica consideratio. Paruulus quisque nascitur in vtero obnoxius originalis vitij culpæ, quæ & Deus in illo odit ac detestatur, quæ & æqualis est in omnibus paruulis. Neq; enim alter nascitur altero iustior, vel iniustior, neq; proximorū parentū iniustitia potest augere paruuli iniquitatē, neq; eorum iustitia potest ab eo illam tollere, neq; vllam iustitiam addere. Priorē huius considerationis partem probamus eisdem argumentis quibus & eam ante nos probauerunt vniuersi patres ecclesiastici, duplici via.

Primū ex scripturis sacris manifestissimis. Deinde autoritate ecclesiæ prophetarum & Apostolorum ad hæc vsque tempora continuatæ, quæ semper hoc credit, docuit, & tenuit. Scripturas autem sacras præcipuas adducit venerabilis pater Augustinus. Primum ex tertio capite. Gene. vbi patet vniuersum genus humanum propter peccatum Adæ esse eiectum de paradiso in hanc vallem lachrymarum. Deinde ex epistola ad Romanos quinto, vbi Apostolus, Propterea quemadmodum per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Nam etiam vsque ad legem peccatum erat in mundo, hoc est, ante legem, & sub lege, præpositione, vsque, secundum Origenem & Augustinum accepta in clusiuè, quia nec ipsa lex potuit auferre peccatum.

Verūm non imputabatur peccatum, cum lex non esset, tamen mors regnauit ab Adam vsque ad Moysen, etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ. Mors, inquam, id est, mortalitas, corruptio, reatus, seu potestas mortis ab Adam vsq; ad Moysen, id est, à tempore Adæ, durans vsque in tempus sub lege Moyfi. Regnauit in eos, id est, dominatum habuit, non sinens venire ad vitam æternam, sed trahens in mortem non corporalem solum, sed & sempiternam, etiam eos, qui non peccauerunt in similitudinē præuaricationis Adæ, id est, etiam filios Adæ, qui non peccauerunt scienter sua propria voluntate, sicut Adam qui sane Adam est forma futuri scilicet Christi. Quia sicut ex illo sunt omnes carnaliter nati, ita ex Christo sunt omnes, qui spiritaliter sunt renati. Et sicut ille est omnibus principium delicti & mortis, ita & iste scilicet Christus omnibus, qui renascuntur, est principium gratiæ, & salutis. Sed non sicut delictum ita & donum, quia delictum Adæ, non est tam efficax ad damnandum, sicut est donū Christi ad saluandum, ac si dicat, Magis potens est donum Christi in bono, quam peccatum Adæ in malo. Nam magis potens est virtus Dei ad saluandum, quam peccatum hominis ad damnandum, & hoc est quod ait, Nā si vnus delicto multi sunt mortui, multo magis vnus Dei donū per gratiā Christi abūdaui in plures, id est, multos.

G iij Proim-

Quarta sententia.
Mors non est conditio naturæ sic primitus instituta.

Nullus paruulus innocens nascitur.

Concupiscentia uis à Deo patre

Gratia Christi
superior peccato
Adæ.

Proinde nõ sicut per vnũ peccatum sequutum est malum, ita per vnus donũ, est solum sublatũ hoc malum. Nam ille vnus Adam, vnum peccatũ misit in mundum, ipse verò vnus Christus, non solum illud vnum peccatum, sed cuncta simul abstulit, quæ addita inuenit proprijs cæterorum hominũ voluntatibus. Iudicium (inquit) ex vno delicto in condemnationem, gratia ex multis delictis in iustificationem. Sed quia superbi nature humane, liberiq; arbitrij defensores, huiusmodi scripturas Apostoli Pauli sic interpretantur, vt non relinquunt locũ ex hoc loco probandi originale peccatũ, operapræteritum est paululum in hac apostolica doctrina immorari. Pro cuius intelligentia, primũ debes considerare sententias antecedentes, ex quibus Apostolus ad hæc deuēnit. Vnde prius cum ostendisset nos fuisse impios, Deo inimicos, in ira & indignatione illius cõstitutos, nosque deinde iustificatos, recõciliatos, & neminẽ fuisse naturæ suæ relictum ex Adam natum, qui non fuerit Deo inimicus, & qui nõ habuerit opus gratuito iustificatore, continuo sequutus incipit declarare hanc doctrinã, tradens causam, quam obrem omnes fuerimus inimici, cur exules fuerimus vniuersi nos, cur indigentes fuerimus reconciliatione. Propterea sicut per vnum hominẽ, inquit, peccatũ in hunc mundum intrauit, & cæ. Ac si dicat, Quemadmodum per vnum hominẽ peccatũ intrauit in mundum, & per peccatũ mors, & sic in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt. (Iam sententiæ Apostoli adas, quod alibi expressit, & hic deest.) Ita per vnum hominẽ iustitia intrauit in mundum, & per iustitiã vita, & sic in omnes homines vita pertransiit, in quo omnes sunt viuificandi. Nam sicut in Adam omnes homines moriũtur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.

Vnde si diligenter consideres totã Apostoli Pauli doctrinã, in hoc loco planẽ videbis illum docuisse, Christum esse fontem, originem, & causam iustificationis ac spiritualis vitæ omnium, qui sunt viuificandi, sicuti & Adam causa fuit & origo peccati, mortis, ac condemnationis omnium, qui moriũtur. Ex huius quoque consideratione hic dicit Apostolus, Adam esse formam futuri Adæ Christi. Ex doctrina igitur apostolica firmissima fide tenendum est, & nullatenus dubitandum, peccatum Adæ fuisse vniuersale, hoc est propter Adam peccatẽ iram, indignationem diuinam, & mortem ac condemnationem defluxisse in totam illius progeniem, & in vniuersam generis humani massam. Secundò ex doctrina apostolica firmissimẽ tenendum est, quòd sicuti per vnum hominem peccatẽ, Deo inobedientem, facta est inter Deum & totã illius hominis generationẽ, seu in omnes ex illo propagatos inimicitia, quam comitatur moriendi necessitas, ita per vnum hominem Christum Deo prorsus obediẽtem, facta est inter Deum & totam Christi generationẽ, seu vniuersos ex illo renatos, reconciliatio & amicitia quã comitatur vita. Et ita quemadmodũ omnis generatio ex Adam est carnalis, ex qua generantur homines carnales, subiecti seruituti mortis & peccati, ita omnis generatio ex Christo est spiritualis, ex quo regeneratus quisq; sit spiritualis vitę, veste immortalis corporis tandẽ induendus. Vnde & post multa cõclusit Apostolus, Igitur sicut per vnus delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnus iustitiam in omnes, in iustificationẽ vitæ, sicut per vnus hominis inobedientiam, peccatores constituti sunt multi, id est, omnes scilicet filij ex illo propagati, ita per vnus obedientiam iusti constituentur multi, id est, omnes filij ex illo renati.

Tertiò ex apostolica doctrina firmissimẽ tenẽdum est, omnes homines, qui nascuntur, peccasse in Adam peccante, nõ quòd peccauerunt antequam essent nati, sed quòd natura, quam ab Adam accipiunt propagati, fuit in Adam peccante vitata, & sic omnes in Adam peccasse, non est ipsos aliquid vel in Adam, vel cum Adam esse operatos. Quid enim potuissent aut boni, aut mali agere, antequam fuissent ipsi.

Peccatum Adæ
quomodo fuerit
vniuersale.

Quomodo omnes
peccauerunt
in Adam.

sent ipsi. Quemadmodum dicit scriptura de Iacob & Esau, illum esse dilectum, hunc odio habitũ, antequam boni aliquid, aut mali egissent. Nec rursus omnes in Adam peccasse, est ipsos aliquid boni aut mali egisse, dum cõciperentur in vtero, sed est singulos nascendo ab Adam accipere naturã humanã destitutã originali innocẽtia, & infectã vitio quod facit illos esse damnationi obnoxios. Atque ita catholica fide debet quisq; credere, per ipsum Adã voluntariẽ mandatũ Domini præuaricantẽ, in omnes posteros eius peccatũ fuisse propagatũ, humanamq; naturam esse spoliatã dono originalis innocentie, & infectã vulnere cõmunis noxæ.

Quartò ex superioribus firmiter tenendum est, quòd paruulus filius nõ portat iniquitatẽ patris, sed suam, quã ex Adam peccante cõtraxit. Nam aliud peccatum Adæ, aliud filiorum: illud causa, istud effectus. Proinde cum damnatur paruulus pro peccato originali, non pro peccato quod est in aliena persona, sed pro peccato proprio, & quod in seipso est, damnatur. Quod autem Deus in scripturis dicit, se visitaturum peccata parentum in filios & nepotes vsque in tertiam & quartam generationem, sancti patres ex contextu scripturæ intellexerunt de tribulationibus & flagellis huius vitæ, nõ in futuro seculo, nisi in eis, qui fuerunt paternorum scelerum imitatores. Amplius autem pro intelligendis scripturis, & doctrinis ecclesiasticorum patrum, debes considerare hoc, quod dicimus vnumquemque nostrum peccasse in Adam, dupliciter posse accipi.

Vno modo, quòd per Adam peccantem vnusquisque nostrũ mox conceptus in vtero matris, peccatum habet ex Adam, trahens naturã humanã destitutã originali iustitia, & infectã fomitis vitiosi macula. Ab alienati sunt peccatores à ventre, inquit propheta, errauerunt ab vtero. Et iste est sensus planus, quem intendit Apostolus dicens, Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit.

Altero modo intelligitur, quòd quisque nostrum peccauit, dum Adam peccauit, quia nos omnes in Adam vnus homo fuimus, non quòd personaliter aliquid ageremus dum Adam esset, sed quòd Adam peccante, natura humana in nos tunc propaganda, fuit vitata, & ita omnes rei sumus illius peccati, quòd ipse commisit iusto Dei iudicio digni, qui nascamur destituti iustitia originali.

Hanc distinctionem non est inutile considerare, vt intelligamus Apostoli sententiam non multum esse variatã, siue relatio illa qua dicitur, in quo intelligatur esse relata ad peccatum, siue ad vnum hominem. Et ita sunt alia peccata, quæ perpetrata sunt propria vniuscuiusque voluntate. Aliud est vnum illud peccatum, in quo secundum aliquem sensum possunt dici omnes posteri Adæ peccasse, quando omnes vnus iste homo fuerunt, quia in lumbis fuerunt Adæ peccantis, suoque peccato vitiantis humanam naturam in posteros propagandam.

Quartò ex apostolica doctrina firmissima fide tenendum est, quòd sicut in Adam peccante omnes peccauius, ita & in Adam spiritualiter mortuo, & lapsõ in necessitatem corporaliter moriendi, omnes sumus mortui. Item in Adam descendente ab Hierusalem in Hierico, omnes itidem nos ab Hierusalem descendimus in Hierico, id est, lapsi sumus à tranquillitate securitatis, & pacis in manus latronum, id est, in potestatem dæmonum sumusque vulnerati. Item in Adam lapsõ in lutum, in Adam errante à via recta, ac declinante à iustitia, faciemque suam à Deo auertente. Omnes nos itidem lapsi sumus in lutum, omnes errauimus à via recta, & à Deo auersi declinauimus à iustitia. Deinde in Adam perdente veram animæ libertatẽ, paternamq; suam hereditatem, omnes perdidimus libertatem, redacti in seruitutem peccati. Postremum in Adam proiecto extra paradysum in vallem lachrymarũ, in seruitutem peccati, in carcerẽ, in laqueum, in potestatem diaboli, omnes itidem nos sumus extra paradysum, deiecti in vallem lachrymarũ

Paruulus non
portat iniqui-
tatem patris.

Nisi fuerit potestẽ
intelligi oẽm in
Adã peccasse.

In Adam errante,
declinante, omnes
etiam nos
fuites vnus diei
errauerunt, de-
clinauerunt, &
à Deo fugitiui
extra paradysũ
sunt deiecti.

in la-

in laqueum, in seruitutem diaboli. Secundum scripturas omnia hæc in Adam & fecerunt, & passi sunt etiam infantes vnus diei, qui nihil adhuc peccauerunt propria voluntate. Et sicut in Adam omnes facti sumus immundi & peccatores spiritualiter mortui, in vinctulo damnationis obstricti, omnes descendimus ab Hierusalem in Hierico, lapsi in lutum, errantes in via recta, & amissa animæ rationalis vera libertate, traditi in seruitutem peccati, & in laqueum diaboli. Ita & quotquot fuerimus iusti, omnes per Iesum sumus resuscitati ex Hierico, redempti in Hierusalem, educimur e carcere, & extra latronum manus liberamur, & a luto peccati erigimur, & vulnerati sanamur. Hæc autem nisi credendo intellexeris, verum scripturarum intellectum attingere non poteris, si quidem omnes scripturæ, & legis, & prophetarum, & psalmodiarum miseria deplorant, in quas lapsi sumus per Adæ præuersionem, & in finem tendunt, id est, Christum prædestinatum a Deo patre humani generis saluatorem, in quem omnium prophetarum vota pendebant. Vnde & verba huiusmodi perdere, declinare, recuperare, redimi, cijci, restitui, dicuntur relatiuè. Neque enim declinare quisquam dicitur a via recta, nisi vtcumque ante steterit in via recta. Nemo perdidit, nisi qui non habet quod aliquando suum fuit. Non potest quisquam redimere, ac recuperare quicquam, nisi quod suum est, & suum esse cessauit, nec restituit, nisi qui reddidit alteri, quod illius fuit. Paruuli itaque declinauerunt a via recta, quia tunc in lumbis erant Adæ, cum ipse Adam in bonis paradisi esset, plenaque frueretur libertate pro se & suis posteris accepta. Et quia peccando errauit, declinauit, ac perdidit in natura humana huiusmodi bona, idcirco tota sua generatio, seu filij sui omnes, in ipso peccante declinauerunt a via recta, perdidit regnum cælorum delictuarum paradisi. Sic dicitur libro primo de vocatione omnium gentium, capite. 3. Omnes homines in primo homine sine vitio cõditi sumus, & omnes etiam naturæ nostræ incolamitatem eiusdem hominis præuersione perdidimus. Sic & Augustinus in libro de ciuitate Dei interpretatur in Genesi, Malculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, peribit anima illa de populo, quia pactum meum irritum fecit, irritum, inquit, fecit pactum Dei, quando peccauit in Adam. Christus autem ex diuina prouidente misericordia prædestinatus est horum bonorum reparator, ideo per Christum dicuntur prædestinati ad hæc omnia bona reparari, restitui, etiam ipsi paruuli mox regenerati. Et hac ratione iustorum quisque qui nunquam in seipso voluntate sua propria perdidit, aut virtutem vllam, aut regnum cælorum, recta ratione orare potest cum propheta dicens. Dominus pars hereditatis meæ & calicis mei, tu es qui restitues hereditatem meam mihi, Psalm. 135.

Hac itidem ratione Dominus noster Christus dicitur omnium, qui saluantur non emptor solum, sed & redemptor. Differunt quidem emere & redimere. Nam qui emit prætio dato facit alienum esse suum. Qui autem redimit, id emit proprie quod suum fuit, & suum esse cessauit. Hominem iuste deductum in captiuitatem peccati & mortis Christus solus inter mortuos liber emit prætio soluto, quod nullus potuit soluere ex Adam propagatus homo.

¶ *Secunda pars, in qua recitantur octo difficultates ex Paulo de originali peccato.*

Amplius autè & hic considerandum, nonnullos solennes esse sacre theologiæ interpretes, tam vetustiores quam huius temporis, qui locum hunc Apostoli ita interpretatur, quod ex eodem cõcludi non potest paruum mox natum, vllum habere peccatum, aut nasci in ira, & indignatione diuina, exponentes Apostolum loqui, non de vilo vitio propagationis, sed de peccato imitationis. Apostolus, inquit, omnes homines, & multos seu plures homines eisdem nominat. Quod dicit, In quo

In quo omnes peccauerunt. Item. Per vnus delictum progressum est in omnes homines in condemnationem, idem inquit, est ei quod dicit. Per vnus delictum multi sunt mortui, & per vnus inobedientiam, peccatores constituti sunt multi, aperte, inquit, insinuauit Apostolus non omnes peccasse, non omnes mortuos esse, non omnes esse peccatores, sed multos videlicet eos solum, qui iam habentes atatem peccare possunt imitando primi parentis exemplum. Huiusmodi autè interpretatione, non in toto, sed in parte conatur Origenes defendere asserens, quod sicuti per inobedientiam vnus hominis peccatores constituti sunt multi, qui formam præbuit peccatoribus inobedientia, ita per vnus obedientiam iusti constituantur multi, vt imitates obedientiam Christi fiant salui. Addit occasione huius non esse vllum hominè iam potèntem discernere inter iustum, & iniustum, qui non aliquando, aut in opere, aut in verbo, aut in cogitatione, peccauerit, dicente scriptura. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Paruulus autem, inquit, apud quem adhuc lex esse non potest, est quidem conceptus in peccato, potest insuper aliquod opus in se peccatum facere, vt percutere parentem, irasci, aut simile, sed hoc opus non imputatur ad culpam, dicente Apostolo, Peccatum non imputatur, cum lex non est. Hæc autè interpretatio in hac parte esset vt cunq; tolerabilis, nisi ecclesiastici patres cœlitus edoceri tradidissent ecclesiam catholicam in hac sententia Apostoli semper intellexisse peccatum Adæ esse vniuersale, non imitatione solum, sed & propagatione in omnes posteros eius. Pelagiani verò longius aberrantes, innixi huiusmodi interpretationi dicunt, iam natum paruum etiam esse innocentem, & idcirco eundem venientem ad discretionis usum, liberi sui arbitrij viribus posse ita rectè viuere absq; omni peccato, vt etiam mereatur a Deo coronari. Similibus quoq; interpretationibus innixi sunt nonnulli huius temporis interpretes, qui aut carpunt aut silentio prætereunt interpretationem venerabilium patrum, Athanasij, Hilarij, Ambrosij, Hieronymi, Augustini, cæterorumq; ecclesiasticorum patrum, qui interpretantur Apostolum in hoc loco loqui de propagatione, seu radice, & origine peccati vniuersalis, propter quod vniuersa humani generis massa est damnationi obnoxia, indigens Christi redemptoris gratia. Et quia ab initio fuit propositi nostri pro defensione gratiæ, imò pro cõcordia gratiæ & liberi arbitrij, scripturas sacras in mediū adducere. Idcirco sunt aliquot circa hanc Apostoli doctrinam difficultates considerandæ, quibus solutis magis erit clarum, quod intendimus demonstrare.

Qua ratione dicit Paulus, per vnum hominem peccatum & mortem introiisse in mundum, cum alibi dicat scriptura, Inuidia aut suasionem diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Ille enim, inquit Saluator, homicida fuit ab initio, cuius suggestionem, causam & originem mortis inuasi vniuersam massam humani generis, cur igitur magis per hominè peccatum intrauit in mundum, quam per satanam, qui hominè ad peccandum induxit? Præterea alibi tradit scriptura. A muliere initium factum est peccati, & per illam morimur omnes. Vnde Apostolus, Adam non est seductus in præuersionem, sed mulier, Cur ergo peccamus magis in Adam peccate, quam in Eua, quæ & ipsum suum virum ad transgressionem instigauit? Si dixeris, Peccauimus in Adam primo peccante, quia eramus in lumbis eius quando peccauit, Cur ergo non similiter peccauimus in Adam secundo peccate, & in Adam peccate tertio, si quidem eramus in lumbis eius, quando secundo & tertio peccauit? Cur deniq; non peccamus in omnibus paritibus nostris, a quibus descendimus? Quod si fuerit admittendum, cõsequens erit, tot esse in nobis originalia peccata, quot fuerunt parentum nostrorum crimina. Præterea si peccauimus in Adam, quia eramus in lumbis eius, quando peccauit, Cur non etiam pœnitentiã fecimus in Adam pœnitente, & non etiam iustificati sumus in Adam, quando pœnituit & iustificatus est?

Quid intel-

Quid sit declinare, perdere, redimere, recuperare.

Quomodo Deus restituit paruum hereditatem, quam nunquam habuit.

Differunt emere et redimere.

Errant qui docent Apostolum non de propagatione, sed de sola imitatione peccati locuti esse,

ca. venia sunt hic

adverte ad hæc difficultates

Prima difficultas. Sapientia.

Ecclesiastici 25

Secunda difficultas. Quid intelligit Apostolus per mundum, an vniuersam humani generis naturam, an locum istum, in quo habitant homines?

Tertia difficultas. Quid Apostolus intelligit per peccatū, cum dicit peccatū per vnū hominē intrasse in mūdum, vtrū videlicet intelligat ipsam transgressionē, seu inobedentiā, qua Adam transgressus est legem, an tale peccatū, de quo in eadem epistola dicit postea, iam nō ego operor illud, sed quod est in me peccatū. Et iterū, Non regnet peccatū in vestro mortali corpore, vt obediatis cōcupiscentijs eius, & vtrum vox peccati in capite illo, ad Roma. s. æquiuoce seu diuersimode accipiatur. Deinde quid per carnem, & quid per spiritum, cum dicit. Scio quia nō habitat in me, hoc est, in carne mea bonū. Item, Caro concupiscit aduersus spiritum.

Quarta difficultas. Qualem mortē velit significare Apostolus dicēs, per peccatū intrasse mortē, an videlicet necessitatē istā moriēdi corporali morte, quā videmus omnib⁹ cōmunē, an tyrannū mortis, an potius mortē animæ spiritualē, de qua dicit ppheta, Anima quę peccauerit ipsa morietur. Viuo ego dicit Dominus, nolo mortē peccatoris.

Quinta difficultas. Hęc est super eo quod dubium videtur, an particula qua dicitur, In quo omnes peccauerūt, aliquid referat, an ad nihil præcedentiū referatur, nec ad hominē videlicet, nec ad mortem, sed neutraliter accipiatur, indicans rationē, vt significet, in quātum, aut quatenus, id est quoniā, seu quantū, ac si diceretur. Mors in omnes homines pertransijt in eo quod peccauerunt. Quemadmodum si dicerē, Omnes homines digni sunt morte, in quo rebelles sunt imperatori, aut si capiatur relatiuē. Vtrū ergo referatur ad hominē, vt sensus sit, in quo scilicet vno homine omnes peccauerunt, an potius referatur ad peccatū, indicans causam propter quā omnes peccauerūt, vt sensus sit. Propter quod in peccatū Adæ omnes peccauerūt, quod rursus ambiguam potest habere sententiam. Vnam, qua absolutē omnes nemine excepto intelligantur peccasse propter peccatum Adæ. Alteram qua nō absolutē omnes homines, sed omnes qui peccauerunt intelligantur peccasse propter peccatum Adæ. Quemadmodum si dicerē, hoc est signum, in quo omnes fugerūt, id est, signum propter quod fugerunt omnes, qui in fugam sunt versi, hoc est, nullus fuit fugiens, qui non occasiōē & causam suā fugā, ac si huiusmodi signo acceperit, vt sicut ibi non absolutē omnes intelliguntur fugisse, sed significantur omnes qui fugerint propter hoc signum fugisse, an ita hic non significantur omnes absolutē peccasse propter Adam, sed solum significantur omnes qui peccauerūt, peccasse propter peccatum Adæ, cum peccauerint illius imitantes exemplum.

Sexta difficultas. Qua ratione dicit Apostolus ad Roma. s. Sicut per vnus delictum in omnes homines in condemnationē, sic & per vnus iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ, cum tamen nō omnes homines iustificētur in Christo, sed quidā, qui scilicet Christum ipsum imitātur, ex quo videtur consequēs nō omnes cōdemnari, & spiritualiter mori in Adam, sed eos solum, qui vestigia Adæ imitantur.

Septim. difficultas. Qua ratione Apostolus insinuat quosdam esse homines, qui non peccauerunt, dicens, Mors regnauit ab Adam vsque ad Moysen, etiam in eos, qui non peccauerunt, cum prius dixerit absolutē omnes peccasse, & egere gloria Dei.

Octaua difficultas. Qua ratione dicit, Peccatum nō imputatur, cum lex nō est, si paruuli, qui nondum sunt capaces legis, peccauerunt in Adam ita quod ipsis imputetur originale peccatum. Hęc sunt difficultates circa intellectum apostolicæ doctrinæ, quas non est inutile discutere, duabus præsertim ex causis. Primum propter diuersas interpretantiam sententias datas super hoc processu Apostoli, quem nonnulli sic interpretantur, vt ex hac Apostoli doctrina ad illorum mentem interpretata, non relinquatur locus probandi vllum esse in paruulis originale peccatum. Deinde quod veteres codices, quemadmodum testati sunt Origenes, Ambrosius, & Augustinus

Augustinus hoc loco inter sese discrepant, vt latius infrā declarabitur.

Pro solutione igitur harum difficultatum sciendum est quod vniuersi, & ad vnum omnes sacræ theologiæ interpretes, inixi irrefragabilibus scripturæ testimonijs conueniunt, docentes primos nostros parentes, propter inobedientiam suam deiectos esse à deliciarum paradiso, cum tota sua posteritate, & ita detrusos in hanc vallem lachrymarum, factos esse corruptibiles, & miseros etiam paruulos. Verūm subintroierunt hæretici, docentes nullum posse esse peccatū naturale, & idcirco paruulos propter alienum peccatum nō posse esse ex natiuitate obnoxios culpæ, tametsi propter ipsius peccatum perdidissent in suis parentibus deliciarum paradysum, deiecti in hanc vallem lachrymarum & miseriæ. Sed his per omnem locum contra Pelagianos diuus obuiat Augustinus hereticorum malleus, planè declarans, nullum esse peccatum naturale, id est, secundum naturam, quæ talis est, qualis ab initio fuit à Deo condita, vtique tamen est peccatum, secundum naturam, quæ talis est, qualis nunc nascitur homo, dicente Paulo Apostolo, Fuimus & nos natura filij iræ, quemadmodum & cæteri. Et quod Apostolus dicit, Ego autem carnalis sum, vñ nūc datus sub peccato, & acquisitus sub peccato, Hoc propheta ante hoc lōgē deplorās, ait, Ecce in iniquitate cōceptus sum. Iudæi olim ex genitali membro, quo fit successio humani generis, carnalisq; propago, iussi sunt amputare particulam, vt docerentur ex consortio natiuitatis carnalis, quandam habere impuritatem.

¶ Tertia pars, in qua respondetur ad duas priores difficultates.

Primā igitur difficultatem soluimus dicentes, Adam peccado vnico suo peccato, totam stirpem suam, posteritatemque in se tanquam radice vitiasse, & ita per Adam peccantem peccatū in omnes homines transiisse, non solū quæ præuaricatio Adæ sit omnibus peccantibus imitationis exemplū, seu origo peccandi, sed quod ipse sit propago peccati. i. origo vnde propagatur peccatum in totam suam progeniem. Peccatū autē & mors, quia nō sunt sic à diabolo, quemadmodum sunt à parente primo, neq; enim à diabolo homines propagantur vitiati, tametsi homines peccantes illum fuerint imitati. Idcirco Apostolus non dicit peccatum per diabolum, sed per vnum hominem intrasse in mundum. Sicut non imitatio operum Christi facit homines peccatores esse iustificatos, sed per spiritum regenerans gratia. Paruuli siquidem nondum possunt Christum imitari. In adultis verò opera pia, quibus ipsi imitantur Christum, sequuntur iustificatum, & non præcedunt iustificandum, dicente Apostolo, Iustificati gratis per gratiam sine operibus, ita non solum imitatio Adæ facit homines, aut esse peccatores, aut habere peccatum, aut esse damnationi obnoxios, sed per carnem homo naturam generans, vitiatam iam olim in Adam. De his latius in dissolutione difficultatis tertiæ & quintę. Quærentibus autē. Cur ergo per Adam magis, quàm per Euam Apostolus commemorat peccatum intrasse in hunc mundum. Respondeo. Apostolus, vt inquit Origenes, seruauit naturæ ordinem. Non enim ex muliere vir, sed mulier ex viro, & ita vir origo est omnium hominum etiam vxoris suæ, quæ carnem habet ex ipso. Omnes homines, qui in hoc mundo sunt nati, & quotidie nascuntur in lumbis erant Adæ, cum adhuc esset in paradiso, & ita cum ipso, & in ipso expulsi sunt è paradiso cum inde expulsus est ipse. Mors itaque quæ illi ex voluntaria præuaricatione venerat consequenter in eos pertransijt, qui in lumbis illius erāt. Hactenus Origenes. Apostolus, inquit Augustinus, cum principē posuit, & fontem à quo propago generis humani sumpsit exordium, & per cuius præuaricationem natura humana in posteros propaganda, expulsa est de paradiso, acceptam deserens originalis innocentie rectitudinem,

H humana

Peccatum ali-
quod quomodo
potest esse natu-
rale.

Cur peccatū nō
per diabolum in-
trauit in mun-
dū sic ut per vo-
nū hominē.

humana natura non fuit fomitis vitio infecta, neq; destituta originalis innocentiae dono priusquam Adam totius humani generis principium legem Dei esset prauaricat. Proinde & Christus ex sola muliere de Adam propagata, absq; virili semine natus intrauit in hunc mundum non vlllo peccato vitiatus. Vnde Eva sola si fuisset legē Dei praua ricata, Adam perseuerate sub originali innocentia, non peruasisset genus humanum originalis culpa. Non ita fuimus in Eva, sicuti fuimus in Adā. In Adam nep̄e fuim⁹, sicut in principio actiuo. In Eva autem sicuti in naturali & passiuo principio. Mulier sola comedēs cibum vetitū, non sensit illicitum, donec & vir ipse comedisset. Dedit mulier, inquit scriptura, viro suo, qui comedit, & aperti sunt oculi amborum, cognoscentesq; se esse nudos, id est, veste celestis gratiae destitutos, erubescerebant. Adā ab initio conditus est rectus ad Dei imaginem & similitudinem, habens quidem oculos illuminatos Deo, apertos iustitiae, clausos autem peccato, non sentiens in carne sua vllum peccati motū contra legem mentis. At verò ipse sic in honore constitutus, & idoneus absq; vlllo impedimento obedire Deo, accepta virtute continendi sub se omnia, dum abusus tanto munere mētis oculos deflexit in vxorē suā suae delicias, negligēs Deū suum conditorē, iuste ab illo deseritur, sibiq; talis relinquitur, qualē ipse semetipsum fecit, quo fit vt iam animus perdita innocentiae stola factus sit in vitia procliuus, in semetipsum terrenasq; delicias, assimilatus iumentis insipientibus: & qui prius malū in carne sua cōtra legē mentis non sentiebat, quia nullū erat, mox desertus gratia cōpit oculos habere apertos, sentiens peccatū contra spiritū stimulas. Certō constat primos parētes vidisse quidem oculis corporis, pariter & mētis pulchrā vīsu arborem, gratamq; oculis, & deinde accepto fructu oculos eorum fuisse apertos, & vidisse sese esse nudos. Si ante peccatū nudi erant, & viderunt arbore, quomodo post peccatum aperti sunt oculi, quibus se nudos esse viderunt? Huius intelligentiam si velimus ex scripturis agnoscere, cōuenit ex euangelica doctrina considerare scripturam non de corporum oculis fuisse loquutā, sed de oculis mentis. Et ex his insuper quoddam cæcum in nobis esse, etiā vidētibus nobis, & econtrario videns quoddam inesse etiam cæcis nobis. Saluator ad pharisæos, In iudicium, inquit, ego in hunc mundum veni, vt qui non vident videant, & qui vidēt cæci fiant. Pharisæis super responsione hac indignantibus, & contra obijciendo dicentibus, Nunquid & nos cæci sumus? Respondit Iesus. Si essetis cæci, peccatū non haberetis, nunc verò quia dicitis, videmus, peccatum vestrum manet. Ex hac saluatoris doctrina patet geminam esse mentis cæcitatē, quandam videlicet bonam, quandam malam. Geminum insuper visum internum, quendam videlicet bonum, & quendam prauum. Bene cæcus est, qui non solum non consentit concupiscentiæ, sed & neq; vllam videt, aut sentit in carne sua cōcupiscentiam, qualis erat laudabilis illa cæcitas sub innocentiae statu. Quæ sanè cæcitas bona, in hac peregrinatione nobis non restituitur iā vānundatis sub peccato habitante in carne nostra vsque ad mortem. Iustificati cæcantur quidem, vt non sint sapientes ad peccandum: & bene cæci sunt, dum student oculis habere clausos seu auersos, ne videant vanitatem, vt non consentiant peccato. Malè autem cæcus sum, si ignorans viam salutis, id est, Christum verum animarum medicum, & lumen illuminans cæcitates mentium, non videam animæ meæ tenebras, & cæcitatē. Periculosissimus est morbus, quem cum non sentit ægrotus, non est de medico, aut remedio sollicitus. Item bene videns seu bene oculus sum si oculis erectis in Deum, viam salutis videns, quæ sursum sunt quero, & quæ sursum sunt sapio. Malè autem oculatus sum & male videns, si in his quæ reuera sunt mihi bona, sim cæcus & ignorans animæ meæ tenebras, medicum illuminan-

Gemina cæcitas
& geminus visus.

tem non quarā. Et per hæc patet solutio ad obiectiones cæteras. Nam si peccauimus in Adā primò peccante, non idcirco oportet, quòd peccauimus in Adā secundò peccante. Nec rursus oportet si peccauimus in Adā primò peccante, quòd idcirco peccauimus & in parentibus nostris primo peccantibus, existentibus in lumbis eorum, quando primo peccauerunt. Neq; enim idcirco solum peccauimus in Adā, quia eramus in lumbis eius, quādo peccauit, sed idcirco, quia eramus in lumbis eius, quādo peccando naturam humanam vitiauit, deserta originali iustitia, quādo terra eius maledictioni facta est subiecta, suscepto vitiorū seminario, quo prona est spinas & tribulos germinare nobis inuitis, dicente Domino ad Adā, Quia audisti vocem vxoris tuæ, maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi. Ex maledictione quam incurrit Adā terra prona est germinare spinas & tribulos, non ea solū terra, quæ extra nos est, sed & terra nostri corporis, nostræ carnis, totus noster homo intus & foris factus est mortalis, & ad rectè viuendum cæcus, infirmus, & languidus, proferēs desyderia praua, cogitationes vanas. Verūm ne huiuscemodi vitiorū procliuitas innascitur, poterit benedictio Dei, & gratia sanctificans præuenire infantem in ipso temporis momēto, quo cōcipitur in matris vterō. Et nihilominus stabit sententiæ apostolicæ veritas, Omnes homines peccasse in Adā, quia omnis homo sibi relictus, & quantum est ex conditione naturæ iam vitiatę debita, concipitur sub peccato, & potestate diaboli in vtero. Nec est in potestate vllius hominis facere, vt non sub peccato cōcipiatur homo. Verūm quæ impossibilia sunt apud homines, apud Deum sunt possibilis. Et qui sanctificat infantem in vtero potens est & præuenire, ne in vtero concipiatur sub peccato. Proinde virgo Maria, cuius conceptionis diem celebrat ecclesia, cui & angelus testimonium dedit, quòd esset gratia plena, inter mulieres benedicta, piè creditur præseruata esse ab omni malo, & nunquam fuisse sub maledictione, & in ipso creationis momento fuisse sanctificata, non solum sicut Hieremias & Baptista Ioannes, in quibus post sanctificationem remansit peccandi fomes, sed nouo quodam sanctificationis modo, quam decebat matrē Dei, secundum quam & prorsus exclusus creditur fomes, vt accedente rationis vsu nō sentiret vllum desyderium ad illicitum contra legem mentis. Nec sic credens facit iniuriam saluatoris gratiæ, quia sicut per gratiam saluatoris, absq; meritis & ministerio hominis sanctificatur baptismo flaminis Ioannes in vtero, ita piè creditur, plus gratiæ esse collatum Mariæ, vt per eiusdem saluatoris gratiam sanctificaretur in ipso suæ creationis momento, vt ipsa quæ contereret serpentis caput Deo peculiariter præseruāte, non poneretur vnquam sub eiusdem serpentis potestate. Cui & venerabilis pater Augu. tale dedit testimonium præ cæteris etiam sanctificatis in vtero peculiare, Cum de peccatis, inquit, agitur nullam prorsus de Maria habere volo quæstionem, & cætera. Ex his igitur habes, qua ratione dicat Paulus peccatum intrasse in hunc mundum per vnum hominem, & non per inuidiam diaboli. Et cur magis per primum hominem primo peccantem, quam per alios nostros parentes, qui etiam peccauerunt sicut Adā.

Maria præseruata ab originali peccato.

Ad secundam dubitationem respōdet Augustinus in Enchiridio, Mundū, inquit, appellauit Apostolus vniuersum genus humanū, intendens per vnum hominem peccantem totam naturam humanam esse peccato obnoxiam, sic accipit beatus Ioannes, mundum dicens, Omne quod est in mundo, aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ, quæ non est à Deo patre, Mundum illic apellans non cælū & terrā, sed hominē qui diligit mundū. Totus mundus in maligno est positus, id est totū humanū genus. Ego elegi vos de mūdo, id est segregavi vos de damnabili massa humani generis. Deus erat in Christo,

quid in scripturis per mundum intelligendum.

mundum reconcilians sibi, mundum, id est, humanum genus. Vnde cōtinuò subdit non reputans illis delicta ipsorum. Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Omnis homo prius mūdo nascitur, sed vt Deo nascatur, de mundo eligitur, & de illo princeps huius mundi eijcitur, sicut ipse testatur. Nunc iudicium est mundi, Nunc princeps huius mundi eijcietur foras.

¶ *Pars huius capituli quarta, in qua soluitur difficultas tertia.*

Pro dissolutione tertiæ difficultatis, sciendum est, quòd sicut Christus, qui vnus est secundum substantiam in scripturis sacris, nominibus virtutum designatur. Dicitur enim gratia, charitas, pax, iustitia, virtus, veritas, & vita. Ita & diabolus nominibus suarum iniquitatum, & operationū designatur. Ipse enim dicitur impietas, iniquitas, peccatum, mors, & perditio. Et hoc diligenter annotauit Origenes super epistolam, ad Romanos. Nec est inutile hoc considerare. Nani sunt qui dicunt Apostolum per peccatum intellexisse satanam. Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit. Peccatum, inquiunt, id est, satanas. Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum, id est, satanas. Et ita ipse satanas intelligitur inquiunt esse peccatum, quod regnare dicitur, & mors, de qua dicitur, Nouissimè autem destruetur mors inimica. Dicitur autem diabolus peccatum, mors, & perditio, quia ipse auctor est mortis, perditionis atque peccati. Verum patres magis probati, innixi interpretationibus ecclesiasticorum patrum & ecclesiæ, peccati nomine intelligunt legem carnis, repugnantem legi mētis, per quam humana natura destituta est originali iustitia, damnationis rea, nisi fuerit reatus illius per gratiam Christi dissolutus. Ad hanc igitur tertiam difficultatem respondemus Apostolum per peccatū intelligere originale culpā, per mortem verò prenam seu supplicium illius culpæ. Verum hic consideranda est Augustini distinctio, cuius ignorantia facit plerūq; à vera sententia doctrinæ Apostolicæ aberrare. Peccatum actuale, inquit Augustinus, transiens actu, manet reatu. Originale verò peccatum manens actu, transit reatu. Fomes vitiorum incentiuus manet in homine iustificato, quamuis reatus eius sit regeneratione solutus: & hæc est Apostoli Pauli doctrina ad Romanos, appellantis fomitem esse peccatum, quod per vnum hominem intrauit in genus humanum, propter quod vniuersi vinculo sunt damnationis obnoxij, idemque peccatum semper manere in homine, sed non obesse his qui sunt in Christo Iesu regenerati, non ambulantes secundum illius peccati desideria. Secundum Augustinum igitur libro sexto contra Iulianum, Apostolus peccatum nominat affectionalem concupiscendi contra legem mentis qualitatem, quæ inuasit genus humanum propter inobedientiam Adæ, quæ sanè vitiosa qualitas culpā habet sibi coniunctam in homine nondum iustificato, in homine autem iustificato, idcirco ipsa dicitur esse peccatum, quia & effectus est peccati, & causa peccati. Effectus quidem, quia peccato Adæ facta est, causa verò peccati, quia liberi arbitrij vsu voluntatem trahit ad consensum illicitum, & concipit paritque peccatum. Intelligit ergo Apostolus per vnum hominem peccantem, in vniuersum genus humanum propagatum esse quoddam vitiorum seminarium, quod appellatur peccatum habitans in carne. Præterea in libro de baptismo paruulorum, voluit Apostolus, inquit, commemorare illud peccatum, quod in hunc mundum non imitatione, sed propagatione intrauit. Ipsi autem improbi Pelagiani dicunt vnum hominem in cæteros homines non propaginem traiecitisse peccati, sed dumtaxat exemplum præbuisse peccandi, & illius exemplo cæteros peccasse, dicente propheta Osea, Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum. Sed hoc refellit tota Christianorū fides, quæ illustrauit Augustinus in pluribus locis contra Iulianum

cate-

cæterosq; Pelagij sectatores. Multi peccant, inquit, qui non cogitant de peccato, quod primus homo commisit, nec illud sibi ad peccandū proponūt exemplum. Quamobrem pertransijt in omnes homines nō idcirco, quia primi hominis præcessit exemplum, sed quia in omnes homines peccatum est propagatū, sicut enim non imitatio operum Christi iustificat homines, sed per Christum regenerans gratia spiritus sancti, faciens vt homines sint veri Christi imitatores, nemo enim potest verè imitari opera Christi, nisi qui fuerit viuus vita spirituali. Paruuli etiā qui nondum possunt imitari, possunt per Christum Dei gratia iustificari. Ita non sola imitatio Adæ facit homines peccatores, aut habere peccatum, sed per carnem homo generans naturam vitiatam, facit hominem genitum habere peccatum, etiā infantem, qui nondum peccantis Adæ vestigia potest imitari. Pro solutione igitur difficultatis tertiæ, & ad hanc materiam planius intelligendam, non est inutile cōsiderare, quòd peccati nomine in scripturis sacris non culpa solum, sed & multe res aliæ significantur, aut antecedentes, aut comitantes culpam. Primum Christus ab Apostolo Paul. peccatū appellatur, eū qui nō nouerat peccatū, Deus pater fecit esse peccatum. i. Christum fecit pro nobis peccatum. i. tale fecit eum, qui portaret in corpore suo peccatum, hoc est supplicia peccatis nostris debita, tradens eum hostiā pro peccato nostro. Vnde oblationes, quas populus offert ad obtinendū remissionē peccatorum, dicuntur peccata, de quibus scriptura, Peccata populi mei comedēt sacerdotes. Et quia Christus factus est hostia, non secundum diuinitatem, sed secundum naturā humanā, Idcirco & caro Christi pro peccatis nostris oblata, peccatū dicitur apud Paulum Roma. 8. qui inquit, Deus misit filium suum in similitudinē carnis peccati, & de peccato dānauit peccatū. Quid est de peccato dānauit peccatū? quod est peccatum de quo dānauit, & quod est peccatum, quod ipse damnauit? Deus, inquit, mittens filium in similitudinē carnis peccati in carne, de peccato dānauit peccatū in carne, vt iustificatio legis impleteretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus: sermo certè intellectu difficilis, nisi quid appellatione peccati significetur, intellexeris. Accipe ergo Deum patrem misisse filium sub specie carnis peccatricis, atque ita eum de peccato, id est, de proprio filio, quē pro nobis peccatum, id est, hostiam pro peccatis nostris fecit damnasse, occidisse, & mortificasse peccatum nostrum in cruce per carnem. Ita & Christus, cui non poterat inesse peccatum, legitur ad Romanos. 5. mortuus esse peccato. Non quia ex seruitute peccati, factus est seruus Dei, sicut homo moritur peccato, dum à seruitute peccati liberatur, vt non amplius peccato, sed Deo seruiat, sed quia mortuus in carne sua mortali, quæ per oia in supplicijs erat carni peccatrici similis. Deinde & tyrannus peccati. i. diabolus, vt supradiximus in scripturis sacris appellatur nonnunquā peccatū, secundum quam significationē, sicut iam diximus, sunt qui interpretantur Apost. dicentes, Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrasse, quia per Adam peccantem, inquiūt, incepit in humanum genus habitare tyrannus peccati, factusq; est nobis intraneus hostis, & inimicus domesticus, assiduè stimulus, & suggerens ad ea, quæ sunt huius mundi. Et sic venerabilis pater Ambrosius dicit peccatum ab Apostolo acceptum, dicente, Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Peccatum vobis non dominabitur. Non enim estis sub lege, sed sub gratia. Item, Sicut regnauit peccatum in mortem, ita gratia iustitiæ regnet in vitam æternam. Sic & Origenes super caput quintum ad Romanos in fine dicit, posse fieri, vt Apostolus per peccatum voluerit intelligi diabolus. Nam & peccatū, quod regnare dicitur ipse putādus est, & ipse credēdus est esse mors, de qua dicitur. Nouissimè inimica destruetur mors. Diabolus autem, qui sic appellatur

H ij peccatum

Diabolus peccatum appellatur

Quid significetur nomine peccati.

Christus appellatur peccatum

Quomodo Christus mortuus est peccato.

Diabolus peccatum & mors.

peccatum, dicitur regnare in nobis, quando habet in nobis dominatum, ita ut obediamus desiderijs, suggestionibus, instinctibus eius. Contra quod Apostolus monuit, Non regnet peccatum in mortali vestro corpore, ut obedientis concupiscentijs eius. Gratia autem Christi liberat nos in vita hac à tali peccato, non ut non sit in nobis, sed ut non dominetur nobis. Per primum hominem factum est ut necessariò peccatum habitet in nobis, tã fomes quam diabolus: per Christum autem factum est, ut nò regnet in nobis. Neq; enim possumus hunc tyrannũ peccati, assidue contra nos pugnantem vincere, nisi ipse Christus sit nobis factus, non solum liberator, sed & turris fortitudinis, reclinatio capitis nostri, habitatio mentis nostræ, & ita liberari ab huiusmodi peccato in hac vita, quemadmodũ interpretantur sancti, est liberari non ab inhabitatione peccati, sed à seruitute peccati, à dominio & regno peccati, dicente Apostolo, Peccatum vobis non dominabitur. Non enim estis sub lege, sed sub gratia. Sub lege, inquam, timore pœnæ coacti, sed sub gratia liberi, & spontanei serui. Liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ, ut vltra non seruiatis peccato insidiantis, sed Deo iustificanti. Liberari autem à peccato, ita ut etiã nò habitet in nobis, non possumus, nisi gratia Dei liberati, à corpore mortis huius trãseamus per mortẽ, in resurrectionis gloriã. Tertio accipitur peccatum in scripturis pro vitio quod per Adam peccantẽ intrauit in vniuersum genus humanum. Secundum fidem indubitam & catholicam Adam iste verus naturam polluit humanam in posteros suos propagandam, eamq; ita vitiauit ut cunctos etiam immerentes crimini suo faciat obnoxios, tãtãq; suis peccati illius ut ipso vno delinquente etiam ceteri omnes nullo admisso crimine, ortum dumtaxat ex ipso habentes damnentur, eiciantur à paradiso in corruptionem, ac in sempiternum quoddam exilium. Siue igitur pro fomitis vitio, siue pro diabolo ab Apostolo ad Romanos .5. dicatur acceptum esse peccatum, non est pernitiõsa in sententijs fidei diuersitas, modò firma fide statuatur, omnem hominem ex Adam, non solum esse traditum sub potestate diaboli, sed & obnoxium esse originali peccato, nam & diabolo suggerente opus fieri contra præceptũ, fomes intrinsecus est homini factus, & per illum diabolus intrauit in genus humanum, aditumq; & potestatem habet in corda hominum. Et hinc iam accipiendum est fundamentum, & initium articulorum Christiane fidei, super quo fundata est ratio passionis & mortis Christi. Nec enim oportuisset Christum pro genere humano à potestate diaboli redimendo mori, si non ipsum genus humanum propter peccatum fuisset iusto Dei iudicio derelictum, ac traditum sub potestate diaboli, neque omnis homo indiguisset sanguine Christi ad diluendum peccatum, si quisquã liber fuisset à peccato. Vnusquisque igitur sicut eget redemptore Christo, ita & obnoxius est peccato, etiam vnus diei infans. De incarnatione autẽ filij Dei, quæ forsitan etiam ad beatificandum totum hominẽ extitisset, tamen si mansisset natura humana sub innocentia statu, alia est ratio, quam de passione & morte, ceterisq; miserijs, quas voluntariò ferre voluit Christus, propter peccatum nostrum tam personale, seu actuale, quam naturale, seu originale, quod habet etiam vnus diei infans. Si verò quis dicat, originale peccatum non debere simpliciter appellari peccatum, sed cum additamento, originale peccatum, sicut pictus homo non verus est homo, sed est homo pictus, fomité quoq; propterea solũ appellari peccati voce, quia peccato Adæ factus est, sicut scriptura aliqua appellatur manus hominis, quia facta manu illius. Verũm quisquis sic dixerit, longè aberrat à scripturæ sacræ sensu, & ab ecclesiæ fide, quæ docet solũ Christũ fuisse à peccato liberum, & omnem Adẽ filium indigere remissione peccati. Peccatum igitur originale est verum peccatum, vera iniustitia, seu absentia iustitiæ debitæ inesse.

SECTIO-

¶ Secundum huius partis membrum de interpretationibus quorundam nominũ, ad intelligendum hanc materiam de originali peccato.

AD magis penetrandum intellectum scripturarum, sciendum est, quod originale peccatum reperitur varia sortiri nomina in sacris literis. Nunc lex carnis, nunc lex membrorum, nunc concupiscentia, nunc malum habitans in carne. Istud enim peccatum in hac vita soluitur quidem regeneratione baptismi, non ut non sit, sed ut in culpam non imputeretur. Idcirco homo quã diu hic viuit, carnalis manet, quemadmodũ dicit Paulus vas electionis iam sub gratia constitutus. Ego, inquit, carnalis sum, vanundatus sub peccato. Iam erat iustificatus, & tamen non ait, Fui carnalis, sed sum, inquit, carnalis. Atque ita ex his etiam considerandum est, quod gemina in sacris literis legitur carnalitas. Quædam est secundum corpus mortis huius, vbi caro concupiscit aduersus spiritum, qualis est in hominibus omnibus etiam iustis, donec surgat corpus spirituale in nouissimo die. Sic dicebat Apostolus se adhuc esse carnalem, id est, habentem corruptibilem carnem, pronam in vitia, & vanundatum sub peccato, id est, nondum redemptum à corpore mortis huius. Quædam verò est carnalitas secundum spiritum, seu animam, qualis est eorum, qui mente secundum carnem ambulant. De quibus Apostolus, Carnalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Et ad Corinthios, Nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? Ab huiusmodi autem carnalitate iam absolutus Apostolus dicebat, Si quod odi malum hoc facio, iam non ego facio illud, sed quod habitat in me peccatum. Et quemadmodum aliud est peccare seu peccatum regnare, aut dominari in nobis: Aliud habere peccatum. Ita & aliud est, non habere peccatum: aliud non seruire peccato. Semper peccatum inest nobis, inquit Augustinus, sed non semper seruimus peccato, non semper regnat in nobis. Inest tibi peccatum, non modò cum sentis motum illius, sed etiam dum caro nulla est tentatione commota. Regnat, cũ consenseris. Aliud sensus peccati, aliud consensus. Quamuis sit in liberi arbitrij potestate consentire, & non consentire peccato, non est tamen in potestate voluntatis sentire peccatum, & non sentire. Proinde iussit Apostolus non ut non habitet peccatum in vobis, non ut non sentiat peccatum in vestro mortali corpore, sed ut non regnet in vestro corpore. Peccatum sic acceptum vocat Augustinus originale vitium, quod est procliuitas, seu pronitas concupiscendi contra vel præter rationis iudicium, seu cõsiliũ & ita peccatũ hoc nihil aliud est quã fomes, id est, incitabulum peccandi, quod est seminariũ quoddã vitiorum propter peccatum primi parëtis naturæ humanæ aduenticiũ, manens etiã in homine, quæ caro nò sit vlla tentatione cõmota, dicente Augustino, Inest homini malum quoddam præter motũ & actũ: sicut timiditas inest homini etiã, quando actũ nò timet. Sic originale peccatum, inquit, est secundũ quod paruuli, etsi nò sint actũ concupiscẽtes, sunt tamen proni concupiscere. Propter hoc igitur peccatũ, terra nostra ab Adam seminaliter decisa maledictioni est subiecta, pro-na germinare spinas & tribulos, secundum quod & omnes homines nascuntur filij iræ, rei & obnoxij sempiterno exilio. Per gratiã autẽ Christi, reatus quidẽ fomitis soluitur, sed manet fomes ipse, ut suppliciu seu vindicta pro peccato illius hominis, à quo omnes habet propaginẽ. Qui lanẽ fomes in scripturis sacris vocatus est languor, lex membrorum, peccatum, seu malum habitans in carne. Nò quod vitium ipsum, aut culpa & peccatum, aut opus eius sit vel in membris, vel in sola carne, sed quod sit in anima, quæ per carnem concupiscit, sicut rationalis anima per oculos videt, per aures corporis audit. Opus autẽ mala voluntate perpetratum per membra, sicut cum accomodamus membra nostra, ut sint arma ini-

Omnis culpa
imputanda est
voluntati.

quita-

Fomes peccati
peccatum appel-
latur.

quitatis peccato, est quidem in membris, ut in manu, pede, lingua, alioue corporeo organo, & culpam habet à voluntate imperante. Veluti cum quispiam manum suam mouet ad interficiendū hominem, sed culpa huius motus alia non est à culpa voluntatis imperantis. Peccatum igitur istud originale, nec est in semine, nec in sanguine, nec in carne, nisi caro intelligatur accipi vel pro anima prona carnaliter concupiscere, vel pro homine ab Adā habente corruptibilem, & passibilem carnem. Sciendum enim est, carnem in scripturis non vno accipi modo, plerumq; enim accipitur pro homine, quemadmodū ait Apostolus, Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum, secundū quam significationē in omnibus fermē locis accipitur in sacris literis, sicut August. profundissimus scripturarum indagator interpretans illud Apostoli, Manifesta sunt opera carnis. Nomine carnis totū hominem dixit esse significatum. Nam & Apostolus inter opera carnis ibidem connumerat inimicitias, hereses, sectas, inuidias, quorum certē origo est superbia, quæ sine carne regnans in diabolo, potest subintrare in hominē non stimulantē carne. Appellat igitur opera carnis, opera hominis ab Adam carnaliter propagati. Quemadmodum & in prima epistola ad Corinthios. i. nomine carnis totum hominē significauit, dicens, Cū sint inter vos zelus, contentio, & schisma, nōne carnales estis, & secundū hominem ambulatis? Vbi posterior clausula intelligitur esse prioris interpretatio. Item ad Romanos, Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Secundum carnem viuere, inquit Augustinus, est secundum hominē viuere: viuere autem secundum hominem, est viuere secundum seipsum, id est, secundum amorem sui. Proinde & alibi conclusit, Omne peccatum esse, vel amorem sui, vel ex amore sui: Amorem sui appellans, quo quis semetipsum spectans, sibi aut placet, aut fidet, & in se delectatur, & viuere desyderat pro sua libidine, cupiens, aut sui iuris esse, aut ad manum habere creaturas visibiles, quibus fruatur. Pronitas autē seu affectionalis qualitas, secundum quam animus à Deo conditore suo fugax, sic pronus est sibi viuere secundum corporales sensus, vocatur ab Apostolo peccatum, quod per vnum hominem intrauit in mundum, quod sacre theologiæ interpretes, præsertim August. appellant originale vitium ab Adam vnā cum natura humana propagatum, contra quem sui amorem dixit Saluator, Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & cæt.

Obiectio. Hic iam si dixeris, Creatura rationalis hoc ipso quod rationalis est capax, ad Dei imaginem & similitudinem condita, naturaliter est apta spectare semetipsum, & considerare suam ipsius dignitatem supra creaturas cæteras, ita etiam ab initio à Deo creata, ut naturali quodam amore sit ad semetipsum affecta, pronaq; semet ipsam amare, & cupere sui commodum. Vnde & hac ratione venerabilis pater Anselmus tradit cuilibet rationali creaturæ ab initio impressam esse, tam affectionem commodi, quam affectionem iustitiæ. Videtur igitur huiusmodi pronitas amandi semetipsum in creatura rationali fuisse sub innocentia statu à conditore naturæ, atq; ita videbitur peccatum originale non esse subortum per vnum hominē peccantem. Sed ad hæc respondemus, q̄ homo sub innocentia statu naturaliter erat ad semetipsum affectus, sed nō contra legem mentis, nō erat pronus concupiscere aliquid contra spiritum, hoc est, non ita erat ad semetipsum homo inclinatus, ut aptus esset in illo suboriri vllus motus incitans voluntatem ad agendum aliquid contra placitum seu consilium interioris hominis, nam secundum catholicam & apostolicam doctrinam, malum hoc sic operās in nobis stimulos ad illicita, est peccatum, quod per vnum hominem intrauit in mundū. Erat quidem homo sub innocentia statu affectus ad diligendū semetipsum, sed secundum

cundum inclinationem rationalis spiritus paratus semetipsum diligere, ut Dei creaturam, paratus omnia agere & desyderare sub Deo, ab illo pendere & subsistere, illi viuere ac immorari. Rationalis creatura Dei bonitate in ea est condita libertate rationis, qua sufficiens erat plenum habere super omnes suos motus do minium, ita ut nullum sentiret malum. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. De Adam ante lapsum dicit scriptura Sapientia. 10. Eduxit illum de limo terræ, & dedit illi virtutem continendi omnia: & ita nec in hominē, nec in angelo potuit suboriri vllus motus, vlla passio, vllūque desyderium contra rationis consilium, contra legem mentis. Ex his poteris considerare, quod peccatum originale seu fomes, quem ex Adam peccante propagati contraximus, non est peccandi possibilis, secundum quam videlicet rationalis anima potest peccare & deficere à Deo conditore suo. Nam & illa potestas, qua bene & male uti potest anima rationalis, est inseparabilis à libero arbitrio, sibi suæq; naturæ relicta. Nam habuit & Adam ante lapsum, & ipsi quoq; angeli mali, antequam peccarent, potestatem peccandi, quos tamen manifestum est non habuisse vllum peccandi fomitem. Omnis creatura rationalis hoc ipso quod rationalis est, liberiq; arbitrij per sui naturam mutabilis, & potest peccare etiam neque habens vllum cum vitiosa carne consortium, & neq; habens ab altero aliquo peccandi fomitem, & neque tracta ab alterius cuiusquam suasionē.

Ex suprascriptis est manifestum, bifariam accipi hoc quod dicitur secundum carnem viuere. Vno modo est desyderijs earum rerum, quas anima per carnem sentit, satisfacere; eisque indulgere aut consentire. Debitores quidem sumus carni, non vt viuamus secundum carnem, id est, secundum carnalis voluptatis desyderia, veruntamen ita sumus debitores carni, ut necessaria ei victus & vestitus provideamus, quatenus illa uti ad salutis nostræ obsequium valeamus. Alio modo secundum carnem viuere generaliter accipitur, ut sit idem ei quod est secundum hominem viuere, quemadmodum ex superioribus est manifestum.

Ex quibus rursus est manifestum, non oportere omne peccatū in homine originem habere ex carnis fomite, aut suggestionē fatanæ, sed posse quoddā esse peccatum commissum libera voluntate, non habens ortum ex vllō motu carnalis desyderij, quod fuerit subortum, præter vel contra liberum rationis iudicium. Quemadmodum enim diabolus peccauit sua fretus libertate voluntatis, nō sentiens in se vllum stimulum contra legem spiritus, neque etiam tractus alterius suasionē. Ita & homo nunc peccare potest libero suo arbitrio, non tractus carnalis fomitis stimulo, non persuasus alterius consilio. Primus autem homo quāuis peccauit diaboli suasionē, ad peccandum tamen non fuit instimulatus, aut tractus vllō carnis desyderio, quod sentiret in se pugnare contra spiritum mentis suæ. Non peccauit sicut homo nunc tentatus peccat, à suæ carnis concupiscentia abstractus & illectus. Adam obsequutus est mulieri, gustans cibum ventum, non illectus vlla carnis suæ concupiscentia, sed spontanea ad vxorem suā beneuolentia. Eua quoque suggestioni obtemperabat serpentis, non abstracta carnis stimulo, sed errore, seducta serpentis mendacio. Ante mendacium sic erat, inquit Augustinus, constituta voluntas amborum, sic erat fabricatum liberum arbitrium, ut si nollent consentire serpenti, discederet serpens in sua falsitate confusus & remaneret homo in Deo creatore firmatus. Quisquis ergo dixerit quorūlibet peccatorum carnem esse causam, vehementer aberrat, neque totam hominis naturam diligenter considerat. Nam licet corpus quod corrumpitur aggrauet, deorsumq; trahat animā, & ita rationalem voluntatem, ipsa tamē anima etiā nō pressa mortali corpore potest ex indita sibi libertate peccare atq; deficere,

deficere, quemadmodum in Adam non erat corruptibilis caro quæ fecit animã esse peccatricem, sed anima abutens indita sibi libertate peccando fecit esse corruptibilem carnem, & totum hominem vitiatum. Deinde ad planius intelligendum sententias Apostoli Pauli Dei gratiam commendantis & adhortantis liberum hominis arbitrium, non erit hic inutile consyderare, quod spiritus in scripturis dupliciter reperitur acceptus, aut pro spiritu videlicet humano & creato, aut pro spiritu sancto & in creato. Ex cuius consyderatione poterit esse manifestum verbum Apostoli dicentis, Spiritu ambulate & desyderia carnis nõ perficietis. Caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnẽ, bifariã posse interpretari secundũ quod spiritus aut pro spiritu humano, aut pro spiritu sancto accipi potest. Habet nempe homo spiritum pertinentẽ ad naturam suam, de quo Apost. Nemo scit quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est, habet & homo in natura spiritum sanctum supra naturam, veruntamen quia spiritus sanctus dicitur concupiscere, ob id quia facit spiritum hominis concupiscere, idcirco interpretationes ambæ in eandem finalem incurrunt sententiã. Vnde & consyderantibus verbum istud Apostoli cum antecedentibus & sequentibus, videtur Apostolus loquutus non de spiritu hominis, sed de spiritu sancto, quo libertatem assequimur ad vitam æternam, & de carne accepta vel pro toto homine, vel pro anima, quæ non secundum Dei spiritum, sed secundum carnalem viuit sensum. Nam inter carnis opera annumerat hæresim, inuidiam, sectas quæ non carnis, sed hominis sunt opera. Deinde spiritus opera commemorans dicit, Fructus autem spiritus sunt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, & cæt. Manifestum est autem hæc non à nostro solius spiritu proficisci, sed à Dei spiritu fieri in nobis. Insuper ibidem cum dicit Apostolus, Vos in libertatem vocati estis fratres, per charitatem spiritus seruite inuicem, manifestũ est Apostolũ intellexisse sanctum Dei spiritum, per quem charitas diffusa est in cordibus nostris. Vnde cũ dixisset, Spiritus concupiscit aduersus carnem, paucis interpositis adiecit, Si spiritu ducimini, nõ estis sub lege, apertẽ insinuans sese intelligere sanctum Dei spiritum, & ita caro concupiscit aduersus spiritum, id est, homo secundum carnem propagatus, concupiscit aduersus spiritum sanctum, & sanctus Dei spiritus aduersus hominem secundum seipsum viuentem. Et hanc interpretationem imitatus est venerabilis pater Augustinus. Spiritus Dei, inquit, est qui pugnat in te aduersus te. Hic enim spiritus Dei tuus est aduersari⁹, de quo Saluator, Esto consentiens aduersario tuo dum es cum eo in via. Et vt noscas ad spiritũ sanctum hoc officium pertinere, alio loco dicit idem Apostolus, Si secundum carnem vixeritis, moriemini, Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis, & continuò exponens, de quo spiritu sit hoc accipiendũ, Quotquot, inquit, spiritu Dei aguntur hi sunt filij Dei. Verũ præclarissimi interpretes, Ambrosius & Hieron. huiusmodi locum de spiritu humano interpretantur, nec hoc dicentes derogant in aliquo spiritui gratiæ, loquuntur nempe de spiritu hominis iam liberati, deducti, & tracti diuino spiritu: & huic congruit sententiã sequens, qua dicitur, vt non quæcunq; vultis illa faciatis, vbi apertẽ insinuatur hominem aliquid facere quod non vult facere, dum motus carnales sentit, quibus hominis spiritus nõ consentiens aduersatur, tractus Dei spiritu. Arbitratur Hieronymus nõ repugnare apostolico sensui, si quis dixerit eandem animam esse quæ nunc caro, nunc spiritus appellatur. Anima ipsa, inquit Hieronymus, consistens inter terram & ignem, id est, inter carnem & spiritum, quando se tradit carni, caro dicitur, quando spiritui, spiritus appellatur. Et ibidem, Anima, inquit, rationalis in quodam meditullio est posita, si iungatur carni, id est, appetitui secundum carnales

Anima rationalis
hic nunc caro,
nunc spiritus ap-
pellatur.

nales sensus, crassa carnalisq; efficitur, & idcirco caro appellatur, eadem verò anima si copuletur spiritui sancto, perpetuis gaudes & futuris, spiritus dicitur. Qui adhæret Deo, inquit Apostolus, vnus spiritus est cum eo. Sed diligentius coherentiam sententiarum Apostoli consyderantes, planẽ videbimus quædã esse carnis opera, quæ facimus non volentes. Quod odi malum, inquit, hoc facio. Caro concupiscit aduersus spiritum, vt non quæcunq; vultis, illa faciatis: & huiusmodi carnis opera non separant à regno Dei iam regeneratos, dicete eodẽ Apostolo. Nihil ergo damnationis est his qui sunt in Christo Iesu, qui non secundũ carnem ambulant. Quædam verò sunt opera carnis, quæ & nos volumus facere, de quibus & dicit, Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt luxuria, impudicitia, & cæt. Qui talia agunt, regnum Dei non possidebũt: sic & quædam sunt opera spiritus, quæ nõ voluntate nostra facimus nos, sed coelitus immittuntur, veluti instinctus, affectiones, & cogitationes vtilis iam primũ inspiratæ. Quædam verò sunt opera spiritus, quæ nos facimus spiritu duce & adiuuante, vt voluntariẽ nos faciamus. Opera carnis, & spiritus primi generis, possunt esse simul tempore in anima, faciuntq; rixã & iurgiũ in ipsa, præsertim iã constituta sub Dei gratia, de quibus & præcipue loquutus est Apostolus cum dixit, Caro concupiscit aduersus spiritũ, & spiritus aduersus carnem. Vnde & mox antẽ pramiserat, Spiritu ambulate, & desyderia carnis non perficietis, id est, non consentietis, non obedietis illis: non dixit, & desyderia carnis non habebitis, quia etiam hi qui spiritu ambulant, desyderia carnis habent & sentiunt. Rursus nec dixit, & desyderia carnis ne feceritis, quia per carnem etiam facimus, quæ facere non volumus. Quemadmodum docet Paulus Apostolus, Si quod odi, hoc facio, iam non ego facio illud, sed quod habitat in me peccatum. Aliud ergo est facere aut habere aut sentire desyderia carnis, aliud perficere illa aut consentire, aut obedire illis. Opera carnis & spiritus secundi generis non possunt esse simul in homine, quia nemo potest duobus dominis seruire. Nemo potest simul secundum carnem & secundũ spiritum viuere. Hæc autem diligenter consyderantibus, facile patet vtramque expositionem sensui conuenire Apostolico. Nam idcirco spiritus sanctus dicitur concupiscere in anima, quia facit ipsam concupiscere: & ita spiritus sancti opera, in homine sunt opera rationalis animæ, & hoc apertẽ, inquit Augustinus, significauit Apostolus dicens, Spiritus concupiscit aduersus carnem. Noli, inquit, putare illic spiritum hominis tantum esse dictum: ac si dicat spiritus hominis non solus, sed secundum Dei spiritum iam factus spiritualis, concupiscit contra carnem: nam hominis spiritus secundum carnalem voluntatem, concupiscit aduersus semetipsam concupiscentem secundum spiritualem voluntatem. Lis hæc solius animæ est, quæ secum ipsa rixatur, sibimetipsi aduersatur, cum proprio litigat arbitrio, & aduersus semetipsam concupiscit, secundum duas quas in se habet leges, seu affectionales qualitates, quarum vnã habet à se ex carnali propagine, alteram habet à spiritu Dei intus loquentis & operantis. Proinde hoc ipsum quod scriptura dicit carnis affectus, carnis desyderia, carnis opera, arbitrandum est dici ad eum sensum, quo dicimus ea esse desyderia seu opera animæ desyderantis & operantis, aut secundum carnales sensus, aut secundum eas quas habet ex carnali propagatione affectiones. Vnde & peccata propriẽ sunt ipsius animæ, vt efficientis principij operantis, aut negligentis in se vel in corpore actum aut motum. Proinde & ipsi imputatur animæ, secundũ quod ipsi datũ est arbitriũ, & iudiciũ, scientia, atq; facultas, qua discernere valeat inter licitũ ac illicitũ, & reprobare malũ, & eligere bonũ Deo inspiratẽ, corpore autẽ seu carne sic vtitur anima, sicut faber malleo vel incude. Caro etenim ex qua componitur homo

Quædã carnis
opera que faci-
mus nõ volentes,
quædã que vo-
lentes, quædam
spiritus opera
que nõ facimus
nos, quædã que
ipsi facimus.

Quomodo caro
concupiscit ad-
uersus spiritum
dicitur Augu.

homo neque dictatrix est peccati, neque inuentrix malitiae, nec cogitationes format nec disponit agenda, sed est officina spiritus, qui in ea & per eam quaecumque peragit atque consummat. Ceterum in philosophis & gentilibus relictis suae naturae viribus, spiritus rationalis, futuri rationem habens, concupiscit quidem aduersus carnem, id est, aduersus semetipsam, quae secundum carnales sensus praesens appetit commodum, dicente Aristotele, Pars sensitua appetit praesentem voluptatem. Ratio autem propter futurum retrahere iubet. Ratio enim semper ad optima deprecatur. Proinde quemadmodum oportet puerum, inquit, sub paedagogo viuere, ita oportet concupiscibile obedire rationi. At verò rationalis anima secundum talem spiritus concupiscentiam, membra carnis ab opere prohibens, non liberatur à seruitute peccati, non proficit ad assequendum vitam aeternam. Idcirco de sola huiusmodi naturalis synderesis concupiscentia non loquitur doctrina Apostolica.

¶ Pars quinta, in qua soluntur quaestiones quarta & quinta.

Solutio quarta
difficultatis.

AD quartam difficultatem dicimus Apostolum illam mortem significasse, de qua locutus est Deus ad ipsum Adam adhuc innocentem, Quocumque die comederis ex illo, morte morieris, hoc est mortalitati & corruptioni subijceris, sempiternae insuper mortis & miseriae reus eris. Quemadmodum Apostolus per peccatum intelligit fomitem, cuius culpam destruit iustitia per Christum nobis communicata, ut tandem exhibeamur in conspectu Dei sine macula & ruga. Ita & mortis nomine intelligit mortalitatem, & sempiternae mortis nexum, quem tollit vita per Christum nobis reparata, ut tandem sublata omni corruptione & miseria, mortale hoc corpus induat immortalitatem: nam secundum doctrinam Apostolicam, ex aequo haec respondent, Sicut per Adam peccatum, ita per Christum iustitia. Sicut per Adam mors, ita per Christum vita. Sicut in vno homine peccante omnes peccauerunt, ita quotquot iusti, aut sunt, aut fuerunt iustificati sunt per vnus hominis iustitiam. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Sicut regnauit peccatum in mortem, ita iustitia per gratiam regnet in vitam aeternam per Iesum Christum. Ibi aliud peccatum, aliud mors, aliud iustitia, aliud vita. Deus ab initio constituerat nos tales, qui viuere Deo & iustitia, prorsus expertes mortis atque peccati. Adam autem peccatis fecit nos mortuos Deo, iustitia, necessitati; mortis prorsus subiectos. Christus verò reparator facit nos rursus viuere Deo, & mortuos esse peccato, ac morti, non ut ista mors corporalis, id est, corporaliter moriendi necessitas, & peccatum in hac vita non insint nobis, sed ut non regnent in nobis, ut viuentes in hoc mortali corpore non obediamus concupiscentiae peccati habitantis in nobis, donec liberemur à corpore mortis huius, donec mortale corpus hoc induat immortalitatem. Qui mortui sumus peccato, inquit Apostolus, quomodo adhuc viuemus in illo? Deus ipse fecit nos bonos, immortales, quales ipsi non fecimus nos. Rursus nos fecim⁹ nos malos, & multis miserijs subiectos, quales ipse non fecit nos, ut obstruatur omne os loquentium contra Deum iniqua. Volentibus igitur considerare, quā mortem intulerit Adam peccando, conuenit considerare, quam vitam reparauit Christus humanae naturae nascendo, moriendo, & resurgendo. Quemadmodum canit ecclesia, Qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit. Videbitur forsitan hic nonnulla in scripturis intelligendis difficultas, dum iusti in eisdem scripturis leguntur per gratiam Christi à peccato, & à morte in hac vita liberari, & tamen videmus per eandem Christi gratiam ab eis in hac vita peccatum, & mortem non prorsus aboleri. Sed nodum huius difficultatis iam dissoluimus in lib. de captiuitate, & redemptione generis humani, neque est

Quam mortem
intulit Adam,
& quam vitam
Christus repa-
rauit.

neque est difficile soluere, si consideremus, quod per baptismum & fidem Christianam non promittatur nobis in hoc seculo talis vita, talis iustitia, talisque libertas, qualem habuit Adam ante peccatum in paradiso, sed talis post hanc vitam, qualem ipse habiturus erat translatus ex posse non mori, ad non posse mori in superna ciuitate. Proinde cum dixisset Apostolus, sicut in Adam omnes moriuntur, non continuo vsus verbo praesentis temporis, adiecit, Ita & in Christo omnes viuificabuntur, sed vsus futuro tempore, Ita in Christo, inquit, omnes viuificabuntur, aperte insinuans per gratiam Christi mortem illam sequutā ex Adā peccante, non prorsus in hac vita, sed in futuro abolendam. Deinde quauis per gratiam Christi non reparetur nobis in hac vita, neque talis iustitia, talisque vita, qualem habuit Adam in paradiso, neque talis corporalis vitae immortalitas, talisque perfectio iustitiae, qualem ipse Adam, si stetit, fuisset in hac vita habiturus, utique tamen reparatur nobis per eandem Christi gratiam, etiam in hoc seculo vita quadam spiritualis & iustitia, per quam veniamus ad immortalitatem eandem & iustitiam eandem, quā & ipse habiturus erat, si stetit. Qui audit verbum meum, inquit, Christus in iudicium non veniet, sed transiet à morte in vitam. Apostolus igitur, cum dixit, Per peccatum mors intrauit in hunc mundum, nomine mortis geminam designauit mortem, & corporis videlicet & animae, ac si dicat, Per peccatum intrauit mors in totum hominem, & in animam & in corpus, dum per Adam peccantem, ipsum corpus subiectum est necessitati moriendi, & ipsa anima destituta est vita, quae illi Deus est, abeunte iustitia originali. Quemadmodum ergo peccatum Adae regnauit in omnes ab eo propagatos ducens in vtranque mortem, id est, in vtriusque vitae destitutionem, Ita & iustitia Christi per fidei gratiam regnauit in omnes ab eo renatos, ducens in vtriusque mortis destructionem, & reparans vtranque vitam. Sic docet Apostolus, Nihil ergo damnationis, inquit, est his, qui scilicet sunt in carne corruptibili, peccatrice, ac mortali, si sint in Christo Iesu regenerati, & non secundum carnem ambulant. Hic verò si dixeris nomine mortis ab Apostolo, non designari spiritualem animae mortem, cum dicit eam per peccatum intrasse in hunc mundum. Nam dicit idem Apostolus propter peccatum corpus esse mortuum, id est, mortalitati subiectum, non dicit animam esse propter peccatum mortuam. Deinde huiusmodi mors spiritualis reuera idem est quod peccatum. Aliud nihil est peccatum, quam priuatio spiritualis vitae in anima. Videtur igitur Apostolus per mortem, quae poena est peccati, solum intelligere corporalem mortem, quod & plane videtur insinuasse cum dicit, Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Ad hoc dicimus, quod nomine mortis non precise, seu adaequate mors corporalis, neque sola mors animae spiritualis significatur, sed & generaliter supplicium reatusque cuiuslibet supplicij propter Adae peccatum inflati, aut contracti siue in corpore, siue in anima. Peccatum ergo culpa intelligitur, mors, poena, & ultio peccati. Et idcirco nomine mortis significatur, tam mors secunda post hanc vitam, quam corruptio corporis, morsque spiritualis animae in hac vita. Neque enim intrauit mors ista absque peccato, quia non erat iustum absque culpa transire ad supplicium. Verum ibi attendendum, quod sicut aliud est peccare, aliud habere peccatum, Ita & aliud est spiritualiter mori, aliter spiritualiter mortuum esse. Rursus aliud non habere gratiam, aliud priuatum esse gratia, aliud peccare, aliud perdere gratiam, aut priuari gratia. Est igitur reuera peccatum Adae, causa meritoria corporalis mortis, seu dissolutionis, sed non solum est illius dissolutionis causa. Illa nepe dissolutio corporis & animae, omnique mortalitas, & afflictio in hac vita, solum vmbra quaedam & particula est mortis, seu supplicij consuetudinis ex Adae peccato. In die quo peccauit Adā, continuo secuta est mors in Adā,

Per peccatum intrauit gemina mors.

*Ipsa die quo
peccauit A-
dam morie-
batur.*

secundum verbū Dei dicentis, Quocunq; die comederis ex eo, morte morieris, cepitq; Adā ab illo die mori. Quēadmodū ait mulier illa Thecui. 2. Reg. 14. Quotidie morimur, & tanquam aquæ dilabimur in terrā quæ non reuertitur. In die igitur quo peccauit, cœpit mori Adam, & nunq̄ desisset mori, transiturus tandē ex hac umbra mortis ad sempiternā mortē, nisi subuenisset illi gratia saluatoris. Vnde nos quotidie morimur corruptioni corporis propinquates, sed in hac mortali vita manducantes panem viuum, qui de celo descendit, ex quo si quis fide, spe, & charitate manducauerit nō morietur in æternū, accipimus quandā immortalitatis alimoniam, & vegetati de ligno vitæ, quod est Christus Iesus, sic viuificamur illius spiritu, vt per mortem hanc temporalem transituri simus in vitam immortalē liberandi per eundem Iesum Christū, qui corpus nostrum iā mortale, & passibile conglorificabit, vt efficiatur incorruptibile, & immortale. Vnde & Apostolus cūm dicit. Si secundū carnem vixeritis, moriemini, nō mortem istam communem bonis & malis, quæ pars est supplicij originalis vitij, sed mortē quandam significauit, & in hac vita, & in futura vita spiritualem. De qua & alibi dicitur, Anima quę peccauerit, ipsa morietur. Morietur, inquam, morte secunda, quę nunq̄ finietur, similiter cūm dicit, Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuētis, non hanc temporalem vitam, sed spiritualem in hac vita, & sempiternā post hanc vitam significauit. Insuper in apostolicis scripturis diligenter sunt hæc consideranda, viuere Deo & mori Deo, viuere peccato & mori peccato, viuere sibi & mori sibi. De quibus satis antē disseruimus. Viuere Deo est secundū Dei voluntatem viuere. Mori Deo est non secundum Dei voluntatem viuere. Viuere peccato, est viuere secundū desyderia peccati in nobis habitantis. Mori autem peccato, est non obedire desyderijs peccati, sed mortificare illa, extinguere & reprimere. Viuere sibi, est secundū sua ipsius desyderia viuere. Mori sibi, est nolle viuere secundū sua ipsius desyderia. Pro omnibus mortuus est Christus, inquit Apostolus, vt qui viuunt, iam non sibi uiuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est. Et iterum, Existimate vos mortuos quidem esse peccato, viuētes autem Deo in Christo Iesu. Christus, inquit Petrus, peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui, iustitiæ uiuamus. Verū & hoc aduertendū in sacris literis, quod dicimus mori peccato, aut mortuum esse peccatis, bifariā accipitur. Vno modo, vt noīa illa peccato & peccatis, intelligantur ablatiui esse casus, & qui sic mortui sunt peccatis, adhuc viuunt peccato, id est, secundum peccati desyderia agunt, qui sic in peccatis mortui sunt, quēadmodū accipitur ab Apostolo dicente. Deus cūm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo. Secundō illa nomina intelliguntur esse datiuī casus, & sic mori, aut mortuum esse peccato, est nō seruire seu non obedire peccato in carne habitanti, qui mortuus est peccato, inquit Apostolus, iustificatus est à peccato. Pro solutione difficultatis quintæ, sciendum est q̄ Apostolus si diceret per vnū hominem peccatū intrauit in genus humanum, & per peccatū mors, & ita in omnes hoīes mors pertransiit, per quē oēs peccatū habent, seu à quo in oēs peccatū est propagatū, manifesta videretur esse Apostoli sententia. Nunc autē quia dicit in quo oēs peccauerūt, sententia manet ambigua, propter particulā, in quo, quæ potest variè accipi, vt ex supradictis patet. Et idcirco diuersæ sunt super parte hac datæ, interpretantiū sententiæ, quibus dā dicentibus Apostolum non voluisse significare oēs hoīes peccasse, quia mox, inquit Apostolus subiungit. Mors regnauit ab Adā vsq; ad Moysen, etiam in eos qui nō peccauerūt in similitudinē prauaricationis Adæ. Verū prætermisissis varijs interpretantiū sententijs, quas suprà in difficultate quinta recitauimus, poterit sensum Apostolicū ex coherentibus eiusdē sententijs perspicere quisquis con-

*Solutio quin-
te difficulta-
tis.*

syderauerit ea, quæ præmisit Apostolus in tertio & quarto capitulis. In illis nempe ostenditur omnes homines esse sub peccato, tā Iudæos, quā Græcos, omnēque declinasse vsq; ad vnum, omnesq; homines esse mendaces, id est, vanos, inutiles, & peccauisse, & idcirco indigere iustificatione, quæ est per gratiam Dei, non ex operibus vllis, sed ex fide per redemptionem, quæ est in Christo Iesu. Deinde hie iam præmisissis idem Apostolus in hoc quinto capite infert duas conclusiones. Vnam quod nos sic iustificati ex fide pacem habemus apud Deū, qui eramus inimici & impij, & idcirco charitatē Dei erga nos maximē commendari in hoc q̄ cum essemus adhuc inimici, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius. Alteram, propterea sicut per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mūdum, & per peccatū mors, & sic in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Sic & per vnum hominem iustitia intrauit in hunc mūdum, & per iustitiam vita, & sic in omnes homines vita pertransiit, in quo omnes sunt iustificati, si fuerint ex illo renati. Quēadmodū alibi dicit, Sicut in Adam omnes moriūtur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Proinde & in hac sententia Apostoli subintelligenda est, inquit Origenes, adimpletio, vt postq̄ dixerit, propterea, sicut per vnum hominem intrauerunt peccatum & mors, in quo omnes peccauerunt, suppleatur, ita & per vnum hominem intrauerunt iustitia & vita, in quo omnes iustificati sunt. Vbi Apostolus plane docet causam & rationem cur inimici fuerimus, & cur morte filij Dei indiguerimus omnes, quia videlicet, per Adam peccatū intrauit peccatum in omnes. Plane vides Apostolum in hoc capite voluisse ostendere Dei iram & inimicitiam propter Adæ peccatum defluxisse in vniuersam generis humani massam, & vnum quēq; ex Adā nasci Deo inimicum, qualem ipsum ab exordio non condidit Deus, & ex Christo fieri recōciliationem in omnes, & super omnes qui credunt in illum, super omnes & in omnes, qui baptizati sunt in illo. In omnes qui insiti sunt illi, quasi renati, & in illo tanq̄ in capite et in radice firmati. Ad hoc ergo vergit Apostoli intentio, vt ostendat non solū mortem, sed & peccatum ipsum inuadere hominē ex Adam propagatum, & ita neminem ex Adā natum esse, qui non fuerit propter peccatum illud dānationis vinculo obstrictus, & neminem ex huiusmodi vinculo liberari, nisi qui fuerit per gratiā Christi regeneratus. Adā ipse naturam humanā in se tanq̄ in radice vitiauit, & quos de se genuit, omnes genuit peccato obnoxios, & idcirco mortales, Deo inimicos. Vt sicut ex homine homines, ita ex peccatore peccatores, ex mortuo morituri, ex damnato damnati. Et ita peccatum concupiscentiæ, tam actualis, q̄ originalis, quīs ante legē datā, quæ dicit, Nō concupisces, nō putaretur apud hoīes esse peccatū, tamē etiam ante legem illā erat in mundo. Vsq; ad legē, inquit, peccatum erat in mundo, quīs apud homines non imputaretur peccatū, cūm nō esset vlla lex, nec intus, nec foris, quæ indicaret non esse concupiscendū. Ante legē, quæ prohibebat concupiscentiā, non putabatur cōcupiscere esse peccatū, & idcirco poterat quispiā putare peccatū, non per vnum hominē, sed per legem intrasse. Proinde Apostolus volens præscindere huiusmodi erroris occasionem, docet etiam vsq; ad legem peccatū illud concupiscentiæ, tam originalis q̄ actualis fuisse in mundo, quīs à multis ignorabatur esse malum à Deo puniendū. Et quod peccatum erat in ipso mundo, id est in humano genere anteq̄ lex data erat, ostendit per effectū peccati, qui est mortalitas. Mors, inquit, regnauit ab Adā, vsq; ad Moysen, etiā in eos, qui nō peccauerunt ad similitudinē prauaricationis Adæ, id est, etiā in eos qui nō similiter vt Adā prauaricati sunt legem propria voluntate.

Sed iā ex his videamus explanationē eius quod dicit Apostolus, In quo oēs peccauerūt. Nec enī erit labor inutilis, si verbū hoc interpretātes, nō sensui nostro,

*Qua ratione di-
cat Apostolus
vsque ad legē
peccatum erat
in mundo.*

*In quo omnes
peccauerunt.*

non huius, aut illius interpretationi, sed testimonio ecclesiae & sanctorum patrum inuitamur. Sciendum est igitur, quod August. lib. quar. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 4. recitatis diuersis sententijs, super relatione illius quod dicitur, In quo omnes peccauerunt, approbat relationem ad vnum hominem esse referendam, non ad peccatum, quia in graeco, inquit, vnde translata est epistola Pauli, Peccatum foeminino genere positum est, & ita relatio non ad peccatum, sed ad hominem refertur, vt in illo primo homine peccasse omnes intelligantur, quia in illo fuerunt omnes, quando ille peccauit. Vnde peccatum nascendo trahitur, quod nisi renascendo non soluitur. Nam & sic sanctus Hilarius intellexit quod scriptum est. In quo omnes peccauerunt, ait enim, in quo, id est, in Adam peccauerunt omnes, ad dens, Manifestum est, inquit, in Adā omnes peccasse, quasi in massa, Ipse enim per peccatum corruptus, omnes quos genuit, nati sunt sub peccato. Verum hic cupio lectorem esse praemonitum, quod beatus Ambr. super epistolam ad Rom. candē ponit interpretationem sub eisdem verbis, quā Aug. in libro supradicto tribuit beato Hilario. Ex quo forsitan suspicari quis posset commentaria super epistolā ad Romanos, quae tribuuntur Ambrosio, esse Hilarij, nō Ambrosij. Sed hoc nihil ad praesens. Sufficit nunc considerare omnes ecclesiasticos patres in hoc fidei articulo de gratia Dei & damnatione humani generis vnum, & idem sensisse. Quē admodū Christus est vnus, in quo omnes iustificantur, non ob id quod sola imitatio eius facit iustos, sed propterea quod omnes, qui iustificantur, tanq̄ rami quidā insiti ac implantati, tanq̄ membra in vno Christi corpore eodē spiritu omnia viuificante ex ipso Christo, tanq̄ ex radice & capite, succum & humorem habent spiritualem, quō fructus referat bonorum operum tempore opportuno, dicente Paulo Apostolo, Christus reconciliauit nos Deo, in vno corpore per mortē crucis, interficiens inimicitias in semetipso, per quem accessum habemus in vno spiritu ad patrem. Ita & Adam non propterea dicitur vnus, in quo omnes peccauerunt, quod sola imitatio eius facit peccatores, sed ob id quod ex Adam trahitur, traducitur, & propagatur natura humana vitiosa, ad malum prona, obnoxia peccato & sempiterno exilio, qualē Deus ab initio non condidit. Possumus autē hāc sententiā ex rationibus conijcere. Primū, imitatio Christi, est imitatio vestigiorū Christi, quae est in conuersatione spiritualis vitae. Nemo autē potest imitari vestigia illius, nisi fuerit viuus spirituali vita, Nemo viuus est spirituali vita, nisi qui fuerit membrū viuū in corpore Christi quod est ecclesia. Nemo est membrū viuū in corpore Christi, nisi qui vegetatur spiritu Christi, Nemo vegetatur spiritu Christi, nisi qui fuerit insitus, & implātatus bonae oliuae, cuius radix est Christus, qui est vera vitis salutifera. Hac enī ratione dicit ipsa vitis Christus, Sicut palmes nō potest facere fructū, nisi manserit in vite, ita nec vos nisi in me manseritis. Omnis plātatio quam non plantauit pater meus caelestis, eradicabitur. Ipse enim Christus est lignum vitae omnibus credentibus & sperantibus in illum. Omnes iusti sunt, velut palmites vnus vitis, & velut rami vnus arboris, & tanq̄ ligna transplantata secus decursus aquarum, & velut membra vnus corporis, eodē Dei spiritu viuificante. Atq; ita paruuli cum baptizantur, inferuntur viti, vt sint deinceps palmites viuī, in bonam oliuam insiti, & Christo capiti suo iuncti, tanq̄ membra vnus corporis Christi. Cum igitur homines peccatores, & impij iustificātur, qui haec nū extiterunt membra in corpore diaboli, nunq̄ prius Christo Domino insiti, de quibus Apostolus. Iustificati gratis per gratiā ipsius, cosequens est, per Christum iustitiam non idcirco intrasse in genus humanū, quod homines Christi vestigia imitantur. Opera enim bona, quibus Christi vestigia imitantes recta via progredimur in terram promissionis, nō sunt illa quae praecedūt iustificandū, quē admodum

dum impij sentiunt Pelagiani, sed sunt quae conitantur iam iustificatum, praesertim cum multi iustificentur, & in regnum Dei assumantur, qui non possunt vti libera voluntate, non habentes vllum suae voluntatis arbitrium, quo gratiam Dei, vel accipiant, vel negligant, qui neq; Christi, neq; diaboli vestigia possunt imitari, veluti insipientes, paruuli, stolidi, conscripti Christo per baptismum illius.

Sequitur pars huius capituli sexta, in qua soluitur difficultas quaestionis sextae de loquutionibus scripturae vniuersalibus, significantibus iustitiam Christi esse vniuersalem omnibus hominibus, sicut peccatum commune est omnibus.

Difficultas sexta haec erat, Qua ratione locutio vniuersalis Apostoli Pauli ad Rom. 5. dicentis, In quo omnes peccauerunt, possit recte interpretari de vniuersis & singulis hominibus, & de peccato propagationis, & non de peccato imitationis, cum tamen loquutio vniuersalis, quae in eodē capite nonnullis interpositis sequitur, per vnus hominis iustitiam in omnes homines in iustificatio nem, non possit interpretari, neq; de peccato propagationis, neq; de vniuersis & singulis hominibus, sed de his solum, qui Christo per baptismum conspeliuntur ad imitandum vestigia illius.

Pro huius difficultatis dissolutione volentibus nobis planius intelligere gratiā Christi saluatoris, conuenit habere intelligentiam scripturarū habentium loquutiones vniuersaliter expressas, quales sunt, Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Item in psalmis, Omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt, Non est qui faciat bonum, non est vsq; ad vnum. Quam & scripturam Apostolus ad Rom. 3. commemorat ad probandum omnem hominē indigere gratia saluatoris. Omnes enim, inquit, peccauerunt & egent gloria Dei. Et iterum. Caulati, inquit, sumus, id est, per caulam ostendimus, omnes homines esse sub peccato, tam Iudaeos, q̄ Graecos. Non est iustus quisquā, nō est intelligens, non est qui faciat bonum, nō est vsq; ad vnū. Omnes ergo indigent peccatorū remissione. Iustificantur autē omnes gratis per iustitiam illius. Hic si absolutē velis intelligere, Dauid propheta fuisse locutum de tēpore aliquo, in quo nullus reperiebatur iustus, nullus qui faceret bonum, mox insurgit, & obuiat tibi argumentum. Quomodo stare poterit, quod omni tempore fuit in hac vita ecclesia quēdā iustorū. Vnde & Helias propheta, arbitrans se solum esse Dei cultorē, legitur reprehensus, Reliqui mihi, inquit Deus, septē millia virorū, qui non curauerunt genua sua ante Baal. Si ergo pro tēpore, quo Dauid loquebatur, nō erat iustus in hac vita vllus, qua ratione ipse Deus dicit in eodem psalmo quādam esse plebem suam. Nōne cognoscent, inquit, omnes qui operantur iniquitatem, qui deuorāt plebem meam, sicut escam panis. Rursus qua ratione dicitur in eodē psalmo, Dominus autē in generatione iusta est. Hanc igitur quaestionē faciliē solues, si ex compendio de regulis interpretandi scripturas, considerare velis modū vniuersaliter loquendi in scripturis sacris, dum in cōmunitate aliqua vel ciuitate, duo reperiuntur hominū genera, de vtroq; dicitur, quod omnes fecerūt, vbi facile intelligitur omnes inquam illius generis, quemadmodū legimus de Hieremia, Tunc oēs insurrexerunt in prophetā volentes occidere eū. Deinde sequitur, Omnis autē populus nō permisit. In prima locutione intelligūtur oēs illius generis, scilicet mali & irascētes Hieremiae. In secunda locutione significātur oēs secūdi generis. Ita & hic intelliges, quod plane videbis si cōsideres ea, quae praemisit Dominus, De celo, inquit, prospexit super filios hoīm, si est intelligens aut requirēs Deū. Manifestū autē est omnes si manēt filij hoīm, quales sunt ex Adā nati, esse peccatores, habere peccatū, & peccasse tū in Adam, tū propria etiā voluntate, si tempus habue

runt liberæ voluntatis, & ita oēs hoies indigere gratia saluatoris. Non est qui faciat bonum vsq; ad vnū Christum, qui solus bonus est, sine quo bonum aliquod incipere, vel implere, imbecillitas humana non præualet. Quapropter iure negatum est vllum facere bonum, nisi vsq; ad ipsum fuerit eius miseratione peruentum. Scriptura ergo cum dicit, Non est iustus quisquā, non est requirens Deū, de omnibus hoibus ante gratiā, veritatē habet, & ita non de omnibus pro tēpore præsentis, sed de filiis hominum dictū intelligas, hoc est, de his, qui manent hominū filij, quales fuerunt ex Adam nati, qui nondum sunt & oblitī, & egressi domum patris sui. Manet filius hominum quisq; & carnaliter viuens, nisi efficiatur per gratiam Dei filius Dei, efficiaturq; membrum corporis illius. Neq; quia dicit, Nō est qui faciat bonum, totam plebem, inquit Ambrosius, significat, sed hāc partem plebis, quæ manet generatio hominum, veluti qui natus ex hominibus non regeneratur natiuitate secunda ex secundo Adam Christo. Deinde quanuis omnes filij hominum nondum regenerati sint sub peccato, Apostolus tamē dicens, Causati sumus omnes sub peccato. Propheta insuper dicens, Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studijs suis, sepulchrum patens est guttur eorum, & reliqua, non de omnibus hominibus nondū iustificatis loquebantur, sed de his, qui iam vtuntur rationis arbitrio. Nam tametī quædam illius psalmi particulæ conueniant paruulis, qui sunt in Adam facti inutiles, & sub peccato errātes etiam in Adam à via recta, cætera tamen partes non ita aptari possunt paruulis, nisi & vis quædā fiat scripturæ, & dicamus eosdē paruulos etiam in Adam factos esse abominabiles in studijs suis, & linguis suis dolose egisse. Quemadmodū & ipse Origenes in eodē capitulo docet, q̄ omnes nos in Adam stetimus in via recta, & in eodem Adā peccante à via recta declinauimus. Verūm propheta dicit eos de quibus loquebatur dolose egisse in linguis suis, & abominabiles factos in studijs suis. Quo certē verbo non solum originali peccato, sed & actualibus peccatis eos peccasse significat, & ideo ipse Origenes explanans sensum Apostoli dicētis, Causati sumus omnes sub peccato esse, tam Iudæos, q̄ Græcos. Intelligit hoc Apostolus, inquit, de illis, quos constat vel naturali, vel scripta lege edoceri ne peccent, veluti sunt qui iam capaces sunt legis, potentes discernere inter prohibitum, & non prohibitum. Non videtur mihi, inquit, quendam sapientem cōtra rationē definiisse, q̄ in omni mortaliū genere cum ad id ætatis ventū fuerit, vbi ratio incipit discernere inter prauum & iustū, primō omnīū suscitatur malitia, quæ nō depellitur, nisi Deus intus doceat facere iustificationes Domini. Si omnes sub peccato sunt, ergo nō erit elationis causa vni aut alteri aduersus alterū, cū vterq; non ex sua iustitia, sed ex Dei misericordia veniat ad salutem, vt nō gloriatur omnis caro coram illo. Hæc Origenes. Attende obsecro singula Origenis verba, & vide si non locus iste scripture sic interpretatus, summo opere conducit ad intellectū doctrinæ apostolicæ ad Romanos planē docentis, neminem ex sua iustitia fieri saluum, Et neminem esse ex Adam natum, qui non indigeat gratia Christi saluatoris. Vterq; igitur, tam Origenes, q̄ Ambr. quanuis sub vniuersalibus locutionibus, quibus dicit Aposto. Causati sumus omnes sub peccato esse, item, Non est qui bonū faciat, vsq; ad vnum, doceant non omnes cōprehensos, quia non paruulos, non Dei plebē, non tamen voluerunt negare paruulos mox natos, non esse sub peccato, neq; intendebant dicere aliquē esse adultum iustū, qui non indigerit gratia saluatoris, sed dare volentes intellectū scripturæ, quæ interpretanda occorrebat, loquebantur de peccato, quod quisq; facit propria voluntate, quia scriptura propheta interpretanda, impertinēs erat de peccato paruulorū, loquens de his solum, qui iam possunt, & peccare propria voluntate, & doceri in fide Christi, & credere propria volūtate. Ve-

nera-

nerabilis autē pater August. consyderatione habita ad mētem Apostoli Pauli cap. quinto eiusdem Epist. ad Romanos, volentis probare gratiā Christi saluatoris esse vniuersalē, dicit etiā iustos, qui iam sunt facti de plebe domini, & de ouibus eius, peccasse, tum ex semetipsis, tum in Adam factos inutiles, in sese habentes pessimū quoddam omnium vitiorum seminarium, quod virtualiter continet iniquitates plurimas, in quibus ppheta sese conceptum esse dicit. Ecce, inquit, ego in iniquitatibus cōceptus sum. Ad illum intellectum omnes homines etiam paruuli mox concepti declinauerūt in Adam, in quo omnes erāt recti in lumbis eius conditi, & absq; vitio. Proinde & si pueri permitterentur viuere vt vellēt, in omne genus vitiorum præcipientes irent. Hanc itidem sententiam approbans & ipse Origenes, ibidem ad Romanos tertio capite, & discutiens qua ratione propheta & Apostolus dicant. Omnes declinauerunt, cum tamen declinasse nemo dicitur, nisi quā aliquando stetit in via recta, doctissimē resoluit. Constat, inq̄, naturā rationalem primū conditam esse à Deo rectam, & in via recta munere Dei collatā, sed quia ab hac ad sinistrā peccati iter detorsit, meritō dicitur nunc declinasse. Primus homo Adam de via recta ad prauas, tortuosasq; semitas fraude serpētis peruersus declinauit. Consequenter igitur omnes, qui ex ipsius successione in hūc mundū venerūt, declinauerūt, & simul cum ipso inutiles facti sunt. & ita omnis homo mendax, vniuersa vanitas omnis homo viuens, homo vanitati similis fact⁹ est. Verūm hic cupio lectorem studiosum doctrinæ Origenis esse admonitum, ne fallatur ex erroribus quibusdā intermixtis doctrinæ ipsius, quibus planē significatur animas hominum ab initio simul cōditas esse ante ingressum in hæc corpora, in alia quadam vita peccasse, meritoq; illius voluntarij peccati ipsas mitti in corpus vitiatū per Adē peccatum, easq; omnes tandem iterū recurrere ad Deum, à quo defecerunt. Super quo poteris videre August. i. retractationum cap. 7. De quib⁹ sanē erroribus in sequentibus libris dicturi sumus latius. Sciendū est autē quod Hiero. edisserens scripturas habentes sententias vniuersales ad Ephes. i. Omnia subiecit sub pedib⁹ eius, & ipsum dedit caput super omnia Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnib⁹ adimpletur. Omnes quæ sua sunt querūt, omnes me dereliquerunt, omnes facti sunt inutiles, omnes declinauerūt, oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus suis. Erit Deus omnia in omnib⁹. Hæc & similes oratiōes discutiēs Hieron. Primum dicit de prima propositione, quod etiā ea, quæ non sunt ei voluntate subiecta, naturæ conditione deseruiāt, verbi causa Iudæi, gentiles, & dæmones, In hunc sensum id quod sequitur, inquit, coaptatur, ipsum dedit caput super omnia Ecclesiæ, quemadmodum in nomine Iesu omne genu flectitur cœlestiū, terrestrium, & infernorū. flectitur inquā aut spontē aut inuitē. Quomodo accipienda sit loquutio illa vniuersalis oportet illum scilicet Christū regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedib⁹ eius, non magnopere, inquit Hieron. querit interpretem. Nam manifestum est ea quæ inimica sunt Christo cum fuerint superata, fieri subiecta illi, & in victoris trāsire potestātē. Quod autē dicit, Cum subiecta fuerint illi scilicet Christo omnia, videtur obscurū. Quomodo enim angeli, throni, dominationes, potestates, & virtutes cœlestes, quæ nunq̄ fuerunt contrariæ Deo, pedibus Christi subijciuntur? Potest, inquit, responderi, quod absque peccato nullus sit, & sydera ipsa non sint munda coram Deo, omnisque creatura paucae creatoris aduentum. Vnde & crux saluatoris, non ea solum quæ in terra, sed & ea quæ in cœlis erant, purgasse perhibetur. Alij verò, inquit, interpretantur, vt vniuersalis locutio, non ad vniuersos, non ad singulos intelligatur esse relata, sed aut ad ea tantum, de quibus fuerat disputatum, aut ex multitudine maior pars designatur. Quemadmodum dicimus,

I iij Omnes

Quæ ratio dicit Propheta, Non est iustus quisquam. Filii hominum qui dicantur.

Ambr. in commentarijs epistolæ ad Rom.

De loquutionibus in sacra scriptura vniuersalibus.

Omnes quæ sua sunt quærunt. Omnes declinauerunt simul, & inutiles facti sunt, quia maxima pars hominum sic facit, idcirco omnes dicuntur sic facere, videlicet quæ sua sunt quærere, declinasse, & inutiles esse facti. Quod si placeat habere vim, & efficaciam huiuscemodi sententiæ in gloriam & laudem necessitatis gratiæ Christi, quæ Apostolus & propheta sic generaliter loquētes intendebant cōmendare, intelligantur omnes homines, subintellecta clauſula, nondum constituti sub gratia redemptoris. Omnes enim homines antequam sub gratia Christi miserentis constituantur, sunt inutiles, quæ sua sunt quærūt, neque bonū opus vllū facere possunt, sed pro tempore & loco dolose agūt in linguis, aut oris, aut cordis sui. Sic nō iustificabitur, inquit Hieron. in conspectu Dei omnis viuēs toto vitæ suę tempore, quia nullus viuēs est iustus antequam est sub Dei gratia constitutus. Insuper & iam sub gratia hac constitutus, & si habeat velle bonū, tamen iuxta Pauli Apostoli doctrinam in carne hac vitata, nō inuenit perficere, id est, sic perseuerare in bona voluntate, vt maneat immunis ab omni peccato. Deinde in scripturis sunt locutiones vniuersales, in quibus ex multitudine pars minor appellatur, & tunc vniuersalitatis nota refertur ad ea tantum, de quibus fuerat supputatū. Quemadmodum dicimus, in hac domum omnes intrant per hanc ianuā, id est, omnes qui hanc domum intrant, per hanc ianuam intrant. Item, Vnus magister iste docuit omnes in hac ciuitate, id est, omnes qui in hac ciuitate edocti sunt, hos docuit vn⁹ iste magister. Ita dicit scriptura, Erit Deus omnia in omnibus, In omnibus, in quā, in quibus erit Deus⁹, ipse erit omnia. Item sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur, hoc est, omnes viuificandi, viuificabuntur per Christū. Et sicut nemo moritur nisi per Adā, ita nemo viuificabitur, nisi per Christum. Ex his igitur dissoluitur difficultas quæstionis sextæ. Nam sermo vniuersalis, nō semper ad vniuersitatem, sed ad ea tantum, de quibus fuerat disputatum, est referendus. Hoc si consyderes planè videbis, cur in priori parte illius sententiæ intelligantur absolute singuli. In posteriori aut parte nō singuli, sed solum predestinati, quia absolute omnes homines facti sunt mortales, sed nō omnes facti mortales, sunt rursus per Christum viuificandi. Veruntamen neq; prior pars, neq; posterior potest de peccato imitationis interpretari propter paruulos, qui neq; Adā, neq; Christū adhuc possunt imitari, insuper & propter adultos, qui gratis iustificantur, & nondū Christi vestigia sunt imitati. Verū & hic annotandū est, q̄ Hier. cum iuxta primam interpretationem docet etiā sydera ipsa non esse munda corā Deo, crucem quoq; Christi etiam purgasse, quæ in cælis sunt, vtpote thronos & dominationes intelligit, nō q̄ angeli beati, aut fuerint vnq̄ obnoxij peccatō, aut indigerint Christi sanguine, & remissionē peccatorū, sed q̄ Christ⁹, qui sua cruce meruit exaltari super oēs angelos sua claritate, longè excedat gloriā angelorū, à cui⁹ collatiōe etiā angeli ipsi, veluti impecti sua luce videntur deficere, qui & ab ipso Christo ceu capite quodammodo super omnes beatas creaturas cōstitutus, etiā secundum humanā naturam, illuminantur atq; à multarū rerū nescientia purgātur longè eminentius, q̄ angeli inferiores à superioribus. Sunt & alij quidā modi interpretandi locutiones scripturæ vniuersales, iuxta doctrinam August. de quibus alibi latius. Nunc ergo velut conclusionem statuētes, dicimus omnem hominem peccasse in Adam, & esse sub peccato natum propter Adam, & idcirco neminem ex sua iustitia aut suis viribus, sed ex Dei misericordia venire ad salutē, & idcirco neminē debere gloriari in sua sapiētia aut fortitudine, sed vnū quemq; qui laudabiliter vult gloriari, posse gloriari in hoc, q̄ ex fide desup data iustificatus sciat, & agnoscat nō suam, sed Dei esse iustitiam, suam verò & nō Dei esse iniustitiā, propter quam damnatur, quemadmodum etiam olim ait Hierem. propheta cap. 9.

Non glo.

Non gloriatur sapiens in sapiētia sua, nec fortis in fortitudine sua, nec diues in diuitijs suis, sed in hoc gloriatur scire & nosce me, quia ego sum dominus, qui facio misericordiam, & iustitiam, & iudicium super terram. ac si dicat, Quisquis laudabiliter voluerit gloriari, gloriatur in me, vt in saluatore, gloriatur in hoc, quod sciat & agnoscat me super terram, id est, super homines terrestres ex Adam natos, facere aut misericordiam, gratis iustificando eos, aut iustitiā, pro meritis operum vniciq; premium tribuendo.

¶ Pars huius capituli septima, in qua soluitur nodus difficultatis quæstionis septimæ & octauæ, quomodo videlicet stare potest, omnes peccasse in Adam, cum dicat Apostolus, mortem regnasse etiam in eos, qui non peccauerunt, & peccatum non imputari, cum lex non est.

PRO dissolutione difficultatis septimæ sciendum est, q̄ venerabilis Origenes & Ambrosius interpretantes Pauli doctrinam ad Roman. 5. partem cōtextus exponūt de propagatione cōtaginis peccati in omnes homines, partem verò de imitatione, facientes diuersitatem inter significatiōes verborum, quæ sunt intrare seu pertransire & regnare. Arbitratur nō idē significari, si dixerimus mortē per peccatum Adæ in omnes transisse, & si dicamus per peccatum Adæ mortem in omnes regnare. Transit mors in omnes, non aut regnauit, inquit, in omnes, sed in eos solum, qui peccauerunt in similitudinē præuaricationis Adæ. Dissident aut duo interpretes hi à translationē vulgarī, qua vtitur Ecclesia Romana. vbi nos dicimus, Mors regnauit ab Adam vsq; ad Moysen, etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudinē præuaricationis Adæ. Ipsi dicūt, Sed mors regnauit ab Adam vsq; ad Moysen in eos, qui peccauerunt in similitudinē præuaricationis Adæ.

Ambrosius itaq; incipiens ab eo loco, quo dicitur, propterea quemadmodum per vnum hominem peccatum in hūc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerūt, declarat per has sententias Apostolum voluisse docere peccatum Adæ fuisse vniuersale, & ita in Adam omnes peccasse, tanq̄ in massa. In quo, id est, in Adam, inquit Ambrosius omnes peccauerunt. Manifestum est omnes peccasse in Adam tanquam in massa, ipse per peccatum corruptus, quos genuit, omnes sub peccato nati sunt, ex eo igitur cuncti peccatores, quia ex isto sumus omnes. Hactenus ille. Sequentes verò particulas, quibus dicitur, mortem regnasse ab Adam vsq; ad Moysen, in eos qui peccauerunt, in similitudinē præuaricationis Adæ. Item, multos esse mortuos per vnus delictum, & iudiciū ex vno esse in condemnationē multorum, & per vnus delictum progressum esse in omnes homines ad condēnationem, & per vnus hominis inobediētiā, multos cōstitutos esse peccatores. Hæc dico interpretās. Ipse Ambros. dicit Apostolū, nō de omnib⁹ hominib⁹ fuisse loquūtū, sed de vna dumtaxat parte hominū, qui videlicet peccauerunt in similitudinē præuaricationis Adæ, id est, qui similiter vt Adā, id est, qui contempto Deo, aut propria volūtate, Dei legem sunt præuaricati, de quibus præmiserat, Mors regnauit ab Adam vsq; ad Moysen, in eos qui peccauerunt in similitudinē præuaricationis Adæ. Sic enim habet Ambrosianus simul & Origenis codex, prætermisissis particulis, nō, & etiā. Proinde sententiā illā, qua dicitur, Qui peccauerūt in similitudinē præuaricationis Adæ, voluit esse subintellectā in posterioribus Apostoli sententijs, quib⁹ significatur per vn⁹ Adæ delictū, vel omnes, vel multos esse mortuos, & venisse in damnationē, cōstitutosq; esse peccatores. Mors, inquit Ambros. regnauit ab Adā vsq; ad Moysen, nō in oēs, sed in eos q̄ similiter, vt Adā sunt legē Dei præuaricati. Et per vnus delictū multi sunt mortui, nō oēs, inq̄, sed multi, imitantes videlicet præuaricationem vnus delinquentis. Iudicium quoq; ex vno in condēnationem

non omnium,

Codicum uariis
tas ad Rom. 5.In similitudinē
præuaricationis
Adæ.Quomodo cruce
Christi etiam
ea que in cælis
sunt purganturNon gloriatur
sapiens in sapi-
entia.

non omnium, sed multorum. Igitur sicut per vnus delictum progressum est in omnes homines ad condemnationem, sic & per vnus iustitiam in omnes homines in iustificationem vitę. Hoc est, vt inquit Ambrosius, Sicut per vnus delictum omnes condemnationem meruerunt, supple similiter peccates, Ita & in iustitia vnus omnes iustificabuntur credetes. Deinde refellens aliorum explanationem, Si qui autem, inquit condemnationem hanc generalem esse putant simili modo & iustificationem generalem accipient, sed non est verum, quia non omnes credunt. Intelligitur ergo, inquit, per vnus delictum condemnationem meruerunt omnes homines, supple similiter peccantes. Ita & per vnus inobedientiam peccatores constituti sunt non omnes, sed plurimi, qui videlicet imitati sunt vestigia Adę. Nam qui ante legem, natura duce hoc seruauit, quod lex iussit, honoras Deum authorem, non potest dici, quod super animam eius regnauit mors, id est, tyrannus mortis habuerit dominium. Hactenus Ambrosij interpretatio in hunc locum. Ex hac posteriori parte Apostolica doctrinę sic interpretata non potest probari mortem, seu tyrannum mortis regnasse, seu dominium habuisse super paruulos, nec eos mortuos fuisse per Adę peccatum, nec eos esse peccatores, aut condemnatos propter vni⁹ Adę delictum, tametsi ex priori parte doceat planę omnes in Adę peccasse tanq̃ in massa. Sic & Origenes explanat diuersitatę faciēs inter trāsire, & regnare. Transijt mors, inquit, in omnes contagione peccati inficiens omnes, sed nō regnauit in omnes, sed in eos solum, qui peccauerunt in similitudinem pręuicationis Adę, Mortem appellans tyrannum mortis, seu mortem peccati. Sic & omnes sequentes particulas exponit, de his qui peccauerunt in similitudinem pręuicationis Adę, Pręfati ergo interpretes partem huius textus Apostoli ad contagionem peccati referunt, partem autē ad imitationem. Verum huic interpretationi obuiat Aug. qui contra Pelagianos differens, nō partem solum, sed totam huius textus serię refert, non ad imitationem solum, sed ad propagationem. Sed ne quispiā ex huiusmodi diuersitate turbetur in fide Christiana sciendū est, quod diuersę ecclesiasticorum patrum interpretantiū expositiones non contrarias faciunt in fide catholica sententijs. Vnde pro intellectu Origenis ac Ambrosianę interpretationis hic est sciendum, quā hęc sua ipsorum interpretatio secundum istas posteriores particulas est impertinens ad probandum mortem, seu tyrannidē mortis habere dominium super paruulos, eosq; propter Adę peccatum ituros in damnationem, ipsi tamen Origenes & Amb. non prętermiserunt ea, quibus planę ostendunt se de originali peccato idē cum Augustino, imō tota Ecclesia catholica sentire, interpretantes, & docentes secundū particulam superiorem, qua dicitur. Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundū intrauit, paruulos propter Adę peccatum sub peccato esse, & eos peccasse in Adę tanq̃ in massa, quemadmodum ex superioris allegatis manifestū est. In Adę, inquit Ambrosius, omnes peccasse quasi in massa, ex eo cūcti sumus peccatores. Ipse enim beneficiū immortalitatis perdidit, dum pręuicauit indignus factus edere de ligno vitę, & ita factus est mortalis, & omnes posterius eius. Octaua difficultas occasiōe gratię & liberi arbitrij orta erat, qua ratione dicat Apost. peccatum non imputari, cum lex non est, si paruulis, apud quos lex esse nō potest, imputetur originale peccatum. Pro dissolutiōe huius difficultatis conuenit scire, quod aliud est dicere, Peccatum non erat, cum lex non esset, aliud est dicere, Peccatum nō imputabatur, aut nō reputabatur. Peccatum nempe illud, de quo supra dixim⁹, quod manet in homine etiā iustificato, semper quidē est in paruulis, sed nō reputatur ab eis peccatum, & ita peccatum illud concupiscētię erat quidem in mundo anteq̃ lex data esset, quę dicit, Non concupisces, sed nō reputabatur ipsa concupiscētia peccatum. Nam concupiscētiā, inquit Apost. nesciebā, nisi lex

August. obuiat
interpretationi
Ambrosij cuius
catholica fidei.

21. 17. 18. 19.

Solutio difficultatis octauę.

nisi lex diceret, Non concupisces. Et ita dicit Apost. vsq; ad legem peccatum erat in mundo, sed non reputabatur cum lex non esset, Ac si dicat. Antequam est lex, quę indicet homini peccatum, est quidem peccatum in homine, sed non reputatur. Et ad hanc sententiam vergunt sententię Apostolica, quibus dicitur. Peccatum non cognoui, nisi per legem. Sine lege peccatum mortuum erat, id est, peccatum ignorabatur, & non reputabatur esse peccatum. Cum venisset mandatū, peccatum reuixit, hoc est, cepit apparere peccatum, lege mentis indicante peccatum, in eo quod repugnauit cōtra legem carnis. Per legem cognitio peccati. Quando nulla est lex siue rationis internę, siue scripturę, quę arguens indicet siue demonstret homini malum esse concupiscētiā, ipsa concupiscētia nō reputatur peccatum. Deinde pro intellectu Apostolica doctrinę considerandum est codices quosdam habere hic verbum, reputare vel deputare, quosdam verō vt vulgares, verbum imputare, & in vtraq; significatione etiam variant codices, quibusdā secundum translationem vulgarem, explicantibus sententiam per verbum pręteriti temporis. Peccatum non imputabatur, seu non reputabatur, cum lex nō esset, quibusdā dicentibus sententiam Pauli secundum literam originalem gręcā explicandū esse per verbum presentis temporis. In quorū codicibus sic legitur. Peccatum non imputatur, cum non est lex. Facile autem ex hac varietate poterit suboriri sententiā diuersitas. Aliud est enim, peccatum nō imputari apud Deum, aliud peccatum non reputari ab illo, qui habet peccatum. Veruntamen & hic facile erit considerare sententiarum concordiam, si intelligatur peccatum non imputari ab eo, qui facit peccatum, cum lex illi cognita non est.

Peccatum non
imputabatur
cū lex nō esset.

Proinde quantum ad veritatem attinet non refert, qualitercumq; in textu habeatur, conueniunt in hoc expositores, quando lex non est, quę arguens interiorē hominem indicet atq; demonstret, & vitium illud fomitis in carne nostra habitās, & alium quemuis voluntatis motum contra legem Dei esse peccatum, non reputatur peccatum, quemadmodum alibi dicit. Concupiscētiā nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Vnde Origenes dicit vnum esse sensum, quę dicit Apostolus. Peccatum non imputatur, cum lex non est. Et quem postea dicit. Sine lege peccatum mortuum erat, id est, peccatum illud habitans in carne ante legem nō cognoscebatur esse peccatum. Cum autē venisset mandatū, peccatum reuixit. Loquitur autē Apostolus secundū hanc interpretationem tam de lege positua, q̃ de lege naturę. Nempe cum nulla est lex, siue rationis, vt in paruulis, siue literę, vt in populo, qua arguatur peccatum, mortuum est peccatum, hoc est ignoratur, & non apparet. Per legem enim cognitio peccati. Per gratiā autē euasio peccati. Lex est sola peccati demonstratrix. Gratia autē est à peccato liberatrix. Lex inq̃ non ea, quę iustificat animam, de qua & dicebat propheta, Lex domini immaculata conuertens animas. Hęc enim lex, inquit Bernardus, est Christi⁹ seu increata charitas, de qua iam olim prenūciauerat propheta. Scribam in visceribus eorū legem meam. Sed lex, de qua dicit Apostolus, Lex subintrauit, vt abūdaret delictum. Hactenus pro intellectu doctrinę Apostolica ad Romanos. Ex qua patet, sententiā Apost. de ceteris, Peccatum nō imputabatur cum lex nō esset, nō obuiare sententię, qua dicimus, Paruulis qui nondū possunt esse capaces vllius legis imputari originale peccatum.

Differēt lex
& gratia.

¶ Pars huius capituli octaua, in qua demonstratur omnes prophetas, omnesq; ecclesiasticos patres iam inde à temporibus Apostolorum, ad hęc vsque tempora concorditer sensisse de originali peccato.

EX his ergo supradictis manifestum fecimus Apostolū Paulum dicentē, Per vnum hominem peccatum in hūc mundum intrasse, &c. fuisse loquutū nō de actuali peccato solum, sed & de originali, quod trāsiiuit in vniuersum genus humanum,

De originali
peccato.

Humanum, de quo & postea dicit ibidem Apostolus, Nō regnet peccatū in mortali corpore vestro, vt obediatis cōcupiscentijs eius. Item, Qui mortui sumus peccato, supple, in baptismo, quomodo adhuc viuemus in illo? Item, Existimate vos mortuos esse peccato, viuentes autem Deo. Et proinde Ecclesia catholica vbiq; diffusa, semper intellexit in huiuscemodi verbo Apostolico, paruulos cōtrahere originale peccatum, eosq; nasci Deo inimicos, & idcirco indigere gratia redemptionis, quamuis nihil adhuc peccauerint propria voluntate. Quam sententiam probat & August. multiplicibus scripturis, lib. 1. contra Iulianum cap. 2.

Primum per illud Apostoli ad Ephesios. 2. Eramus & nos natura filij iræ, sicut & cæteri, Natura, inquam, id est, naturaliter in ira Dei nati. Naturale vitium est sine quo nunc natura non nascitur, quæ tamen non est sic instituta ab initio, sed condita est bona, & voluntate primi hominis facta est mala, lapsa sub Dei iram, quæ venit super vniuersos Adæ filios, propter ipsius Adæ peccatum. Ab hac ira nemo liberatur, nisi per Christum, dicente Apostolo Ioanne. Qui non credit in filium Dei, non habet vitam æternam, sed ira Dei manet super illum. Non dixit, Ira Dei venit super illum, sed manet super illū, aperte insinuās iram Dei esse super omnem hominem, qui nō credit in Christū, etiam si nihil peccauerit propria voluntate. Deinde dicit propheta, Ecce in iniquitatibus cōceptus sum, & in peccatis cōcepit me mater mea. Vnde concluderunt, Origenes, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, cæteri q; ecclesiastici patres, homines omnes nasci sub peccato, filiosq; iræ. Propter hanc iram sub qua mox natus constituitur, sancti deplorabant dies natiuitatis suæ. Pereat dies, inquit Iob, in qua natus sum, id est, pereat dies peccati, dies culpæ, dies miserię. Et Hieremias, Maledicta dies, in qua natus sum. Maledictus enim dies iste, hoc est culpa & peccatum diei illius. Præterea dicit Paulus Apostolus. Vnus pro omnib; mortuus est Christus. Est ergo Christus pro paruulis mortuus, habent igitur paruuli contagium peccatorum. Sed quia vulpes subintroierunt in Dei Ecclesiam, qui varijs & peregrinis interpretationibus demoluntur vineas, scripturas sacras adulterantes, & antiquas hæreses renouantes, qui & supradicta scripturæ testimonia aliorum ita interpretantur, vt ex eis profus fundari non possit vllum esse in paruulis originale peccatū, audiamus Augustinū super hac re ita differentem. Peccatū, inquit, inesse paruulis ab Adam propagatis his, qui non peccauerunt propria voluntate, testatur omnium ecclesiasticorum patrum concursus sententia videlicet Irenęi, Cypriani, Reticij, Olympij, Hilarij, Basilij, Chrysostomi, Innocētij papæ, Gregorij Nazanzeni, Ambrosij, Hieronymi. Sanctus, inquit Irenęus dicit antiquam serpētis plagam cruce & fide Christi sanari, & nos peccato Adæ tanquam vinculo quodam fuisse obligatos. Cyprianus dicit perire paruulū, nisi fuerit baptizatus, & quod paruulis nō propria, sed aliena peccata remittātur. Sanctus Reticus dicit ingenita nobis esse peccata. Sanctus Olympius dicit de protoplasto in germine sparsum vt peccatū cum homine nasceretur. Sanctus Hilarius dicit ex peccato, & sub peccato esse omnē carnem præter Christum. Intellexitq; Apostolum. In quo omnes peccauerūt. In quo id est, in Adam. Manifestum, inquit, est in Adam omnes peccasse, quasi in massa. Basilus Magnus dicit nos ex Adā ægritudine contraxisse peccati. Ioannes Chrysostomus dicit Adam sic peccasse illud graue peccatum, vt omne genus humanū in commune damnaret. Dicit insuper ante peccatum bestias omnino fuisse subiectas homini, & quod nulla bestiarum paruulos lederet, nisi & ipsos illi? peccati vinculos natiuitas carnalis obstringeret. Sanctus Gregorius Nazanzenus dicit venerandam esse in baptismo natiuitatem, per quam terrenæ natiuitatis vinculis liberamur. Sanctus Ambrosius dicit, quod nos cōtagio maculamur antequam nascimur,

scimur, & quod ipse ortus in vitio est, & quod paruuli cum baptizantur à malitia reformantur. Et quod in Adam omnes peccauimus tāquam in massa. In coq; naturam humanam ita esse vitiatam, vt illo vulnere omnes claudi simus. Sanctus Innocētius dicit, per lauacrū regenerationis omne vitium, quod per Adam accidit purgari. Sanctus Hieronymus super Ionam prophetā dicit, quod etiam paruuli peccato offendentes Adam tenentur obnoxij. Item tot sancti episcopi, inquit August. ex diuersis orbis terrarum partibus scripserunt vno ore in paruulis esse originale peccatum ex Adam traductum, faciēs paruulum vinculo dānationis reum. Multa super hac re, quæ non sunt ab Augustino citata, tradiderunt supradicti patres. Irenęus libro secundo aduersus Valentinum, Magister noster Christus omnes venit per semetipsum saluare, omnesque inquam, qui per eum renascuntur in Deum, & infantes, & paruulos, & iuuenes, & seniores, ideo per omnes venit ætates. Infantibus factus est infans, infantes sanctificans. Vide & reliqua quæ sequuntur ibidem. Item & Cyprianus de infantibus baptizandis, sic argumentatur. Si grauissimis peccatoribus, & multum antè peccantibus cum crediderint & baptizati fuerint remissio datur peccatorū, quanto magis prohiberi à gratia baptismi non debet infans, qui recens natus nil peccauit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima natiuitate contraxit, qui ad accipiendum remissionem peccatorum, hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur non propria, sed aliena peccata. Hactenus Cypriani doctrina, quam diuus citat Hieronymus in calce libri tertij contra Pelagianos. Quod natum est ex carne (inquit Saluator) caro est. De sic nato Apostolus dicit, Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt. Quod natum est de spiritu, spiritus est. De sic nato dicit Saluator, vbi suprā, Nisi quis fuerit renatus spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Insuper Origenes tractans verbum Apostoli ad Romanos, Vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruat corpus peccati, planè docet paruulos indigere regenerationis sacramento ad tollendum originale peccatum, eosq; ab exordio nascentis ecclesiæ solitos baptizari ad destruendum corpus peccati, id est, corpus vinculo præuaricationis Adæ subiectum, secundum quam intelligentiam dicit propheta, Ecce in iniquitate conceptus sum, & in peccato concepit me mater mea. Vbi nos dicimus plurali numero, Ecce in iniquitatibus conceptus sum, Hebraica litera, teste Hieronymo, singulariter dicit, Ecce in iniquitate conceptus sum, & in peccato concepit me mater mea. Vbi Dauid non suæ matris, sed proprium consuebat peccatū, subindicans se à suæ conceptionis exordio fuisse obnoxij peccato & iniquitati propter carnem propagatam ex præuaricatore Adam, qui non cognouit Euam, nisi post peccatum vitiatam naturam. Et ita nemo est ex Adam propagatus, qui non est peccato vitiatæ naturæ humanæ subiectus. Proinde in lege pro nato paruulo iubetur offerri hostia par turturum, aut duo pulli columbarū, ex quibus vnus pro peccato, alter in holocaustum: pro peccato, inquam, paruuli. Nam & nuper editus paruulus peccatū habet, pro quo hostia iubetur offerri, à quo mūdus negatur puer etiam si vnus solius diei fuerit vita eius super terram. De quo & Dauid dixisse credēdus est quod suprā memorauimus. In peccato cōcepit me mater mea. Secundum historiam enim nullū matris eius declaratur peccatum. Pro hoc & ecclesia traditionem ab Apostolis accepit qua consuetum est baptismum dari paruulis. Sciebant enim Apostoli, quibus diuinorum mysteriorum secreta erant cōmissa in omnibus ab Adam propagatis esse sordes peccati, quæ per aquam & spiritum abluī deberent. Ob quas profectò sordes corpus humanum appellatur corpus peccati, non eo quod alibi peccauerit anima, vt arbitrantur, qui anima-

K rum

Ecclesia catholica ex dicto Apostoli ad Ro. 5 semper intellexit paruulos habere peccatum.

Vulpes in gradientes Ecclesiam, deprauas scripturas.

Omnium ecclesiasticorum patrum testimonia de peccato originali, & baptismi paruulorum.

Irenęi antiquissimi doctoris testimonium de peccato & baptismi infantum.

In veteri lege remedium contra originale peccatum.

Vide quantum auctoritatē Origenis tribuat ecclesia consuetudini.

rum transmigrationem in varia corpora confinxerunt, sed eò quòd natura humana ab Adam in posteros propaganda, sit vitata in ipso Adam, dicente scriptura, Humiliasti in puluere animam meam. Hactenus Origenes tractans id ad Romanos. 6. Vetus homo noster crucifixus est, vt destruat corpus peccati. Manifestum est igitur in ipsis Christiana fidei initijs, semper ab ecclesia esse creditum, paruulos habere originale peccatum. Videant ergo Christiane fidei turbatores, qua temeritate presumunt docere, librisq; publicatis euulgare, Christianam antiquitatem non consueuisse baptizare paruulos. Ex his igitur est manifestum, omnem hominem carnaliter propagatum, esse carnem peccati. Christus autem, qui non est per decisionem feminis ab Adam carnaliter propagatus, sed à Deo patre spiritus sancti operatione homo factus, non potest dici caro peccati, sed in similitudinem peccatricis carnis peccati venisse docetur, sumens ex Adam carnem passibilem mortalitati & miseriae subiectam. Et idcirco aliter Christus, aliter nos sumus filij Adæ. Aliter Christus, aliter nos fuimus in Adam. Christus fuit in Adâ, inquit Augustinus, secundum corpulentam substantiam duntaxat. Nos autem fuimus in Adam, etiam secundum rationem feminalem. Caro Christi quamuis fuerit miseriae atque supplicio subiecta, & id quidem pro peccatis nostris, non fuit tamen subiecta vlli vitio seu peccato. Secundum corpulentam substantiam dico Christum fuisse in Adam, non quia materia corporis Christi fuerit in Adam secundum suam substantiam, sed quia purissimus sanguis, ex quo in virginis utero, Deus non concurrente virili semine, formauit filio suo carnem, factus fuerat sanguis virginis, ex principio effectiuo originaliter propagato ex Adam. Verum quia sanguis ille virgineus, ex quo factum est corpus Christi in suae matris utero, non fuit semen à viro decisum, virtutem habens formatiuam humani corporis, ex quo fieret Christus, idcirco non dicitur Christus fuisse in Adam secundum rationem feminalem. Res autem & sententiae, huiusmodi loquutionibus signanter sunt in sacris literis explicatae, quibus significatur virginem concepisit & peperisse filium, non ex virili semine, sed spiritus sancti operatione, testante scriptura, Maria inuenta est in utero habens de spiritu sancto, priusquam ipsa & Ioseph conuenirent. Et iterum, Quod in ea natum est, id est, à spiritu sancto operante factum est. Et ita quamuis iste modus loquendi, de fuisse in Adam secundum corporalem substantiam, aut secundum rationem feminalem, non reperiatur in sacris literis visitatus, confert tamen nonnihil ad planius intelligendum scripturas factas, & ad concipiendum Christum, esse filium Adæ, non sicut sunt ceteri homines contrahentes carnem peccatricem ab Adam. Confert insuper ad concipiendum geminam esse iustitiam, Vnam originale seu naturalem: Alteram personalem. Duplex quoque esse genus peccati, Peccatum videlicet solius personae: & peccatum naturae. Iustitiam autem & iniustitiam naturae dicimus, quae cum natura humana propagatur in posteros, non cooperante propria voluntate illius, qui iustus est vel iniustus. Quemadmodum enim originalis iustitia gratiae donum erat, non personae solius Adæ, sed naturae Adam datum, & idcirco eum propagatione eiusdem naturae humanae in posteros transmittitur. Ita secundum scripturam catholicam non solum mors ab Adam in posteros transit, sed & peccatum ab Adam in totam illius posteritatem descendit. Adam si non peccasset, natura humana ab ipso propaganda, in posteros transisset recta & integra, cum originalis iustitiae gratia. Iam verò in Adam peccante natura humana est spoliata seu priuata beneficio originalis iustitiae, quo fit, vt natura humana resultans ex anima rationali & carne per feminis propagationem, descendente ab Adam nascatur similiter destituta dono originalis iustitiae, quo

Quomodo Christi
fuit in Adâ

Duplex iustitia
Duplex peccati
genus.

ceu freno ac gubernaculo, ipsa rationalis anima plenum habuisset in carnem, in membra, in vires suas dominium, potens his omnibus vti pro suae rationis arbitrio. Ceterum sacrae theologiae interpretes, quia saepe vtuntur huiusmodi locutionibus, quibus & nos crebro iam vsi, & in posterum vsuri sumus, dicentes omnes nos fuisse in Adam, naturamq; humanam in Adam primitus vitatam, vna cum semine propagari in posteros, & originale peccatum vna cum semine, aut cum natura humana traduci in omnes filios ex Adam propagandos. Ne paralogizeris autem ex huiusmodi sermonibus, & arbitreris in semine deciso, humanam esse naturam aut culpam, & ita consequenter cum eodem semine traduci rationale hominis animam, operepretium est considerare, quod dicentes naturam humanam, aut latere in semine, aut traduci cum semine, non intelligamus quod virtus formatiua naturae humanae aut rationalis animae lateat in semine hominis, perinde atque virtus formatiua irrationalis naturae in semine latet bruti animalis. Siquidem rationalem animam ad solius Dei imaginem, & similitudinem conditam, non ab Adâ, sed à solo Deo accipimus, sed intelligamus, quod ibi lateat virtus materiae dispositiua, & humani corporis formatiua, ad accipiendum desuper rationalem animam, quam solus Deus creando infundit, & vnit carni per causas naturales preparatae atque dispositae in differentijs partium & membrorum. & ad illum sensum interpretanda sunt sententiae, quibus dicimus naturam humanam vitatam in Adam, propagari in posteros, eamque non actu, sed virtute latere in semine. Quo fit, vt natura humana virtute lateat in semine quodam modo, ita sicut arbor latet in semine, & quodam modo non ita. Quemadmodum autem in semine non est natura humana actu sed virtute: ita nec in eo est actu originalis culpa, sed virtute humanae naturae producendae ex semine, in quo est virtus productiua humani corporis ad generationem hominis, qui nasciturus est, destitutus originali iustitia. Quemadmodum in semine non est lepra, sed virtus generatiua, terminata ad hominem vitio leprae inficiendum. Rursus in semine non est actu visus, sed est ibi virtus generatiua hominis visum habentis: ita in semine neque est rationalis anima, neque natura humana, neque culpa. Neque rursus est ibi dispositio ad culpam, qualis est dispositio ad lepram, sed est illic virtus generatiua humani corporis, ex quo cum desuper aduenit anima, fit homo carnalis, mortuus, & vitio concupiscentiae infectus. Neque est similis ratio de lepra & originali culpa: nam corporalis lepra consequitur vitiosam dispositionem in semine: originalis autem culpa non est sic ex vlla corruptione in semine. Iob autem dicens, Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine: vocat semen immundum, non quod in eo, velut in subiecto sit culpabilis immundities, seu carentia iustitiae originalis debita semini, sed quod in eo ceu in causa instrumentali ab Adam descissa est originalis & culpabilis immundicia. Quod autem est in aliquo, vt in causa siue principali, siue instrumentali, non est in eo vt in subiecto, sed ab illo fit ac producitur in alio, perinde atque omnes vires animales sensus, & instrumenta sunt in semine, latentque in eo, quod tamen nequaquam est subiectum harum virium ac sensuum.

Vtrum in semine
sit peccatum
originale.

Originale peccatum
quomodo
in semine.

¶ Pars huius capituli nona, in qua soluntur argumenta quaedam contra originale peccatum, & super intellectu illius adijciuntur sententiae quaedam.

SED contra haec forsitan obijcies. Artifex is neque sapiens est, neque rationalis, qui reponit thesaurum pretiosum in fœdo vase, vbi inquinatur & maculatur, praesertim qui ad manum potest vas mundum habere. Non videtur igitur Deus rationabiliter operari, ponens animam quae nihil commeruit in corpore vbi inquinatur.

Non videtur iuste operari, qui ponit in carcere illum, qui neque commeruit

Argumentum 1.

Argumentum 2.

quicquam nec peccauit vsquam. Videtur igitur Deus non iuste in generationibus hominum agere, ponens rationales animas in exilium huius vallis lachrymarum in corpora vitiosa, multis miseris & calamitatibus subiecta.

Argumentum. 3. Quod incipit in natura cum natura inest à generante seu conditore natura. Videtur ergo tribuendum esse conditori naturæ, si sub peccato, & sub diaboli potestate nascatur quispiam, qui non sua sponte se subiecerit illi, neque fecit quicquam mali.

Argumentum. 4. Adam & Eua priusquam peccarent, habuerunt peccati fomitem, habentes peccandi possibilitatem, qua poterant peccare, & deicere à Deo suo conditore. Quod & videtur tali argumento, Non est verisimile, quod Eua sub innocentia statu potuerit liberè non audire serpentem exterius suggerentem. Neque videtur quod ita potuerit semper auertere visum, quin vel aspiceret, vel audiret obiectum, quin & caro motu quodam alterationis moueretur ex ipsius obiecti presentia. Obiecta enim sensibilia sensibus consentanea eisdem sensibus naturaliter oblectant. Vnde & in libro Genesis dicitur, Videns mulier quod lignum esset pulchrum visui, & ad ascendendum suauis, tulit de fructu illius, deditque viro suo.

Argumentum. 5. Homini ante peccatum sub innocentia statu, Deus mortem tanquam quid formidandum atque timendum pro terrore obiecit: poterat ergo homo ante peccatum timere mortem, & trepidare: Aliquid igitur mortis presentis homo antequam peccauit.

Argumentum. 6. Originale vitium si sit pronitas illa, qua caro remurmurat seu recalcitrat contra spiritum, Consequens videtur in Christo fuisse originale vitium. Nam & in illo spiritus promptus fuit, caro autem infirma. Vnde & ipse Christus iam mortem crucis subiturus, incipiens pauere, tedere, & necessus esse, significauit se habere voluntatem quandam sensualem, repugnantem rationali voluntati: nam cum orasset atque dixisset, Pater si possibile est, transfer à me calicem istum, ostendens se hoc secundum voluntatem quandam sensualem petere, continuo adiecit, Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis: ac si diceret rationali voluntate desidero fieri, non sicut ego cupio secundum meam sensualem voluntatem, sed sicut tu vis. Vnde Christus horrens mortem, & cupiens viuere, videtur fuisse contrarius voluntati rationali, qua vult mori ad humanum genus redimendum. Si ergo nonnullum sit vitium cum caro concupiscit aduersus spiritum, Consequens videbitur in Christo fuisse vitium & peccatum.

Ad primum dicimus, quod genus Adæ, secundum statutam à principio diuinitus legem, non poterit aliter conseruari, quam si rationales animæ creandæ ponantur in corporibus ab Adam propagandis, ut fiat homines geniti, qui reuera sint filij Adæ. Cum igitur Adâ in se naturam humanam destituerit originali sua iustitia, vitiaueritque eam vitio fomitis, quasi in naturam verso, Deo permittente, & vindicante peccatum iusto suo iudicio, Consequens est Deum, qui infundit rationale animam in carne ab Adam propagata, non esse causam originalis culpæ, sed ipsam potius voluntatem primi parentis, qui transgrediens Dei sui conditoris pactum debeat iustum subire illius iudicium. Ab initio creauerat hominem absque villo vitio, non ergo Deus irrationabiliter agit, neque iniuste, si genus ab Adam propagandum velit permanere, & sinere potius generari homines sic infectos, quam si velit omnino perire genus Adæ, præsertim cum gratiæ remedium præstiterit, quo valeat homo sanari & liberari. Potuisset quidem Deus post peccatum commissum, aut prorsus de medio tollere Adam, aut non sinere vllas fieri ab illo generationes, & creare nouum hominem ex limo terræ, à quo nascerentur innocentes. Potuisset insuper Deus per suam potentiam ita præseruare Adam, ut neque peccaret, neque mortalis fieret, ne & homines de se miseros, & peccato subiectos præcrearet, sed vbi mansisset decretum iustitiæ sue dicentis, Quacunque die comederis, morte morieris.

Librum

Librum itaque voluit illi dimittere arbitrium, quo ad quodcumque vellet extenderet manum siue ad bonum, siue ad malum, ut ipse sibi esset aut vitæ, aut mortis causa. Proinde tu quisquis es, qui tale quid Deo opponendum arbitraris, erige rationis tuæ oculos, & confydera, quod lris Dei figmentum, puluis, & cinis, sed & rationalis. Atque ita cum tremore cogita Deum esse bonum, sapientem, iustum, qui per opera suæ maiestatis facta circa genus humanum, in superando diabolum, & soluendo peccatum, voluit declarare ac manifestam facere, non modò suam potentiam, sed & suam sapientiam, suam misericordiam, suamque iustitiam.

Ad secundum argumentum dicimus, quod modus iste quo nascitur omnis homo obnoxius peccato, & relegatus exilio sub potestate principis tenebrarum, non ita debet intelligi tanquam Deus naturam humanam instituens hæc fecerit aut fieri iusserit, sed tantum quod permiserit primum hominem peccare iustam exercens vltionem in eiusdem transgressionem, deserens ipsum sua libera voluntate peccantem, Deo autem hominem deserente, author peccati ilico peccantem inuadit. Verum non continens Deus in ira misericordias suas misit Saluatorem.

Ex eisdem patet & solutio ad tertium argumentum. Catholica nempe fidei contrarium est dicere, Neminem esse sub diaboli potestate, nisi eum qui illius dominio se subiecerit sua sponte. Nam super paruulos baptizandos, dicit ecclesia, Exi ab eo immunde spiritus. Quamuis peccatum intravit in me, sine mea voluntate, non intravit tamen in me sine præuia voluntaria hominis transgressionem. Deinde quis peccatum intraverit in me, factusque sum peccati seruus absque voluntatis arbitrio, non seruo tamen peccato sine consensu voluntatis libero.

Ad quartum argumentum dicimus, quod fomes peccandi, quem ex Adam contraximus, non est peccandi possibilitas, sed est ad concupiscendum contra legem mentis pronitas quædam atque procliuitas, ex qua etiam ratione inuita exoriuntur illecebræ, & praua desideria. Ad confirmationem dicimus, quod in Adam & Eua sub innocentia statu nullus oriebatur motus in carne, aut in membris contra legem mentis, aut imperium rationis, fuissent naturales causæ agentes naturaliter in sensus & carnem, sed nihil fuisset sensibus obiectum, quod aut turbasset, aut offendifset ipsorum vel appetitum, vel intellectum. Quemadmodum in beatis nulla est apprehensio, nulla affectio, nulla operis exequutio, nullus tractus contra iussum diuini spiritus, loquuntur quando volunt, & illuminant, & illuminantur, & desistunt quando volunt, nihil vident, quod videre nolunt. Ita Adam & Eua sub innocentia statu nullum sensissent intus stimulum contra rationis spiritum, nullam pugnam, nullam intus rebellionem, præseruati ab omni incommodo ex Dei potentia, angelorum custodia, ex clarissima industria, loci conuenientia, ex originali iustitia, ex virtute continendi sub se omnia, tam vires & membra, & sensus, quam irrationabilia vniuersa. Verum in hoc differunt beatorum status ab innocentia statu, quod beati videntes iam Deum sicuti est, sunt summo, integro, puro & stabili bono prorsus beatificati. Homines verò sub innocentia statu nondum erant beatificati clara visione summi boni. Proinde & sua voluntate libera poterant in malum labi.

Ad quintum argumentum responderet Ambrosius in libro de paradiso, cap. 5. In primo homine rationis vtique plenissimo, naturalis quædam opinio debuit esse vitanda: mortis. Quemadmodum natura insitum est animantibus, ut etiam naturaliter fugiant ea, quæ nondum sibi nocere experta sunt: Ita & Adæ, priusquam aliquid mali, aut supplicij mortis sentiebat, naturalis opinio fugienda: mortis iam inerat, sed non erat in eo mortis timor.

Ad sextum argumentum dicimus, negantes sequelam, Christus enim ea que

R iij suppli

Fomes non est peccandi possibilitas.

Ante peccatum erat in Adam opinio mortis, sed non timor mortis.

supplicia sunt peccatorum, pro nobis assumpsit sua sponte, sed nullum sensit illicitum concupiscentiæ motum. Vnde de natura humana in Christo aliquid mali habuit de natura vitata per Adam. Fuit enim voluntariè pro nobis subiecta passioni ac morti, sed de natura instituta, habuit sensualem appetitum ita sibi subiectum, vt nihil appeteret, nihil fugeret, ad nihil traheretur, nisi secundum Dei beneplacitum, & secundum rectum sub Deo rationis consilium, sustinens quidem voluntariè passiones ex nostra culpa: sed tales, quæ non trahebant illum ad culpam. Secus autem accidit in hominibus iustis, in his enim sunt motus & passiones, non ex culpa solum, sed & tales, quæ sunt etiam viæ quædam & inclinationes ad culpam, dum in eis caro concupiscit aliter, quam spiritus vult carnem concupiscere. In Christo autem sensualis appetitus, & ratio dissentiebant quidem in re volita. Ille nempe sensualis appetitus horrebat quidem mortem, appetens viuere. Hæc autem rationalis, inquam, voluntas, secundum Dei beneplacitum, & charitatis instinctum voluit illam, sed tamen non dissentiebant in modo volendi. Voluit enim ratio in Christo sensualem suum appetitum sic esse inclinatum ad mortis horrorem, & ad naturalis vitæ desyderium. Nullus erat motus in Christo vel præter, vel contra rationis imperium, cœpit tedere, contristari, & mestus esse quando voluit. De his si placeat resolutionem habes latiore in lib. de captiuitate & redemptione humani generis.

Ex supradictis possumus aliquot colligere sententias.

Sententia. 1. In concordiam quandam concurrunt magistrorum sententiæ, quæ inter se se pugnant videntur. Quibusdam, vt beato Anselmo, & illius sectatoribus dicitur originale peccatum esse carentiam originalis iustitiæ debitæ inesse. Quibusdam verò, veluti August. dicentibus, originale peccatū esse vitium, quo pronus est animus carnaliter concupiscere. Scire nempe debes, quod actuale peccatum non modò complectitur auersionem humani cordis à Deo, sed & conuersionem in creaturam: vnde & Deus apud Hieremiam de quibusdā dicit, Me dereliquerunt, inquit, fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Ita & originale peccatum, quod non in actuali voluntate, sed in habituali, seu affectionali potius dispositione consistit, duo complectitur. Vnum originalis iustitiæ carentiam, qua sanè iustitia dum priuata est hominis anima, manet affectionaliter à Deo suo conditore auersa. Alterum, curuitatē quandam seu inclinationem carnaliter concupiscendi, secundum quam animus hominis in libidinem pronus, habitualiter cōuertitur est in temporale & commutabile bonum. Recta igitur ratione dicitur peccatum originale, ipsa affectionalis concupiscentia propter habitualement conuersionem, rectè etiam dicitur iustitiæ carentia propter habitualement auersionem.

Sententia. 2. Secundum doctrinam Pauli Apost. originale peccatū remittitur homini cū regeneratur, nō q̄ in homine desinat esse, aut carētia originalis iustitiæ aut vitii concupiscentiæ, sed quod tam ipsum vitium, q̄ ipsa priuatio iustitiæ originalis, manens in homine iam regenerato, nō imputatur in culpam. Dimittitur, inquit Augustinus, peccatum in baptismo, non vt non sit, sed vt in peccatum non imputetur, lib. i. de nupt. & concu. Rursus in primo retractationū, Concupiscentiæ reatus in baptismo soluitur, sed infirmitas manet. Et alibi, Vitium seu sōmes concupiscendi ante baptismum, p̄cna est & culpa. Post baptismum autem p̄cna est, nō culpa. Et hæc est doctrina Apostoli Pauli docentis, etiam post baptismum manere peccatum, & malum habitū in carne, illicita operans desyderia, sed ob hoc peccatum sic manens, nihil damnationis esse his, qui sunt in Christo Iesū, & qui non secundum carnem, illiusq̄ peccati desyderia ambulant.

Augu-

Augustinus docens ipsum vitium concupiscentiæ in carne habitans esse originale peccatum, magis conformiter scripturis & doctrinæ Apostolicæ loquitur. Nam hoc vitium ipsa scriptura peccatum appellat. Et Apostolus Paulus dicens, Per vnum hominem peccatum intrasse in hunc mundum, i. in vniuersum genus humanum, per peccatum intellexit huiusmodi vitium, secundū quod caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Et pro illa significatione vsus est Apostolus ipso peccati nomine, per totum capitulum sextū. Non regnet, inquit, peccatum in mortali corpore vestro, vt obediatis concupiscentiis eius. Ibi manifestè designat concupiscentias esse quosdā motus vitij habitantis in carne. Item, Qui mortui sumus peccato, i. qui sumus in baptismo liberati à reatu & culpa peccati habitantis in carne nostra, quomodo adhuc viuemus in illo: id est, secundum desyderia illius. Existimate vos mortuos esse peccato, id est, tales, qui non amplius debetis viuere secundum desyderia peccati. Peccatum vobis non dominabitur. Nō enim estis sub lege, sed sub gratia. Gratias ago Deo meo, quod vos, qui fuistis aliquando serui peccati, nunc estis facti iustitiæ serui. Nec obstat quod venerabilis Ambrosius in huiusmodi scripturis dicat peccati nomine significari diabolum, & angelos eius, nam & hoc supra dissoluimus.

Omnes homines fuerunt in Adam, quando peccauit, fuerunt quidem in illo, sed non ipsi, quia nōdum erant ipsi. Nec idcirco falsum, vanū, aut inane est, quod dicitur, omnes fuisse in Adam antequam essent ipsi. Fuerunt enim in illo verum, & solidum esse secundum causam seminalem, & propagandi virtutem. Filii tamen Mariæ virginis modo longe diuerso ab alijs fuit in ipso. Omnes nempe alij sic fuerunt in illo, vt per naturalem vim propagandi, quæ potestati & voluntati Adæ aut filiorum subiecta erat, de illo essent futuri. Solus autem Mariæ filius non sic in eo fuit, vt per voluntatem Adæ aut filiorum eius de illo fieret. Erat quidem in Adam natura de qua Christus ipse non hominis, sed Dei voluntate formandus erat. Christum fecit Deus, non perinde atque ceteros homines per Adam, sed eum fecit solus ipse de Adam. Proinde caro Christi non erat caro peccati, sed erat in similitudine carnis peccati, peccatrici carni caro Christi erat similis, quia miserijs peccato Adæ debitæ subiecta erat, miserijs quidem eis, quæ vtiliter erant ad perficiendum opus redemptionis humanæ, non eis quæ erant ad opus illud inutiles, cuiuscemodi sunt ignorantia, concupiscentia quæ sunt ad illicita, quibus subiecta est omnis caro peccati. Sola igitur caro Christi absq̄ peccato est, quia et si hanc suscepit Christus de Adam tanquam de materiali principio, nō tamen ab Adam tanquam de principio agente & formatiuo corporis sui. Corpus Christi fuit de carne Adam, virtus autem eiusdem corporis Christi in vtero castissimæ matris formatiua, fuit non ab Adam deriuata seu propagata, sed cœlitus immissa, vt pote virtus altissimi obumbrantis, & fabricatis ex sanctissima carne virginea, & purissimo sanguine totū corpus eius, quemadmodum firmissima fide ex scripturis sacris edocēta canit ecclesia, non ex virili semine, sed mystico spiramine verbum Dei factū est caro. Aliter igitur Christus fuit in lōbis Adæ quando peccauit, aliter ceteri homines. Atq̄ ita ex omnibus supradictis patet, originale peccatum nulla ratione posse descendere in paruulum sola Dei operatione de virgine cōceptum absq̄ commixtione virilis seminis, quamuis etiā & virgo illa ex Adā propagata esset peccatrix, & paruulus ipse sic conceptus purus esset homo non Deus. Neq̄ enim rationi congruit quempiam aut à solo Deo producti obnoxium vitio & peccato, aut vitari, seu inquinari, qui nullo modo est de voluntate Adā productus, ad cuius videlicet generationē neq̄ natura ab Adam propagata, neq̄ voluntas eius quicquam aut est operata, aut valuit operari. Quod si

Deus

Sententia. 3.

Quid Apostolus, ad Rom. 6 significat nomine peccati.

Sententia. 4.

Caro Christi quod de Adā est quibus miserijs subiecta.

aduente ad hec

Originale peccatum duo complectitur.

Reatus soluitur, peccatum manet.

Deus primum hominem talem cōdidisset, qualis nunc est, id est, mortale secundum carnē pronū concupiscere aduersus spiritum, & non præditum originali iustitia, qua teneret omnia sub suo dominio, tunc in eo carentia originalis iustitiæ nulla esset culpa, quia nō esset illa carentia tū facta vlla transgressione voluntaria.

¶ *Caput secundum, in quo contra hæresim secundæ sententiæ recitatam demonstratur paruulos nasci filios iræ, vinculo damnationis obstrictos atq; eos esse baptizandos ad habendum remissionem peccatorum, & non solum ad obtinendum regnum cœlorum.*

Hactenus declarauimus in paruulis, qui nihil peccauerunt propria voluntate esse peccatum, culpam & iniustitiam. Deinceps restat cōsiderare paruulos, sine sacramento sanguinis Christi ob huiusmodi culpā iusto Dei iudicio ire in condemnationem sempiternam. Probant hanc propositionem Augustinus, ceterique patres efficacissimis scripturæ testimonijs, quibus significatur Christum esse redemptorem, saluatorem, liberatoremq; omnium hominū. Nec non omnem hominem sub Dei ira nasci & inimicitia illius, ac per Adam meruisse damnationem, mortem, & sempiternum exilium. Per Christum etiam paruulos erui de potestate tenebrarum. Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, inquit saluator, non potest introire in regnum Dei. Sed ad hæc sectatores Pelagianæ hæresis admittūt, verū quidē esse omnem hominem in Christo non renatum excludendum esse à regno cœlorum, sed non inde, inquit, consequens est eos in damnationem ituros esse si nihil peccauerunt propria voluntate. Verūm his obijcit quod canit ecclesia, Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum. Secundum scripturas canonicas baptisma paruulos non solum facit saluos, transferens eos in regnum charitatis Dei, sed & sordes etiam abluit, eruitq; eos de potestate tenebrarum. His rursus obuiant seculi huius hæretici, præsumentes docere paruulos, qui nondū possunt credere propria voluntate baptizandos non esse, huncq; ritum paruulos baptizandi nō fuisse apud veteres agnitum. Sed contra insulsiuissimas, atque intolerabiles, horum sententias demonstrauimus supra in hoc libro & in libro quarto de ecclesiasticis dogmatibus, iā inde ab Apostolorum temporibus vsq; in diem hunc ecclesias per vniuersum orbem confluxisse paruulos baptizare in remissionē peccatorū. Habes de baptismo paruulorū veterē ecclesiæ morem apud Hieronymum in fine libri. 3. contra Pelagianos citantem doctrinam gloriosi martyris Cypriani. Quod autem baptisimus paruulorum sit in remissionem peccatorum, hinc patet, quod ab exordio nascentis ecclesiæ cum baptizantur paruuli, exufflantur, exorcizantur, diciturq; super singulos ipsorum, Exi ab illo immundē spiritus. Paruulus igitur cum baptizatur, de potestate diaboli liberatur, redimitur, reconciliatur. Et hæc sunt media, quæ venerabilis pater Augustinus affert contra Pelagianos, afferentes non oportere paruulos baptizari ad habendum remissionem peccatorū, sed solum ad intrandum regnum cœlorū. Insuper & eisdē obijcit scripturas superius allegatas, quibus probatur omnem hominem nasci filium iræ ex Adam. Ex Deo, inquit, non ex operibus quisquam nascitur iustus, ex hominibus verò non ex Deo quisquam nascitur impius. Hæc est apostolica scriptura, ad Roman. quinto, Vbi Apostolus dum commendasset charitatem Dei mittentis filium suum occidendum pro peccatis hominum, vt reconciliarentur Deo & seruarentur ab ira, & dixisset, Propterea sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit & per peccatum mors, & sic in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt, tandē cōcludit. Igitur sicut per vnus delictū in omnes homines in condēnationem,

sic

fic & per vnus iustitiā in omnes homines in iustificationē, Hoc est. Sicut per vnus Adæ delictum propagatum est malum in omnes homines ad condēnationem, ita per vnus iustitiam defluit bonū in omnes homines ad iustificationem. Sicut per vnus delictum vniuersum genus humanum fit damnationi obnoxium, transiens in mortem. Ita per vnus Christi iustitiam defluit bonum in omnes ad spiritualis vitæ reparationem: non quod omnes iustificentur per Christi gratiam, quemadmodum omnes sunt damnati per Adæ culpam, sed quod nemo iustificetur, nisi per Christum ad spirituales vitam. Sic enim ex superioribus patet accipiendam esse loquutionem vniuersalem Apostoli, qua dicit, Per vnus iustitiam in omnes homines ad iustificationem vitæ, quemadmodum dicimus, In hæc domum omnes homines intrant per hanc ianuam, non quod omnes intrāt, sed quia nemo intrare potest, nisi per ianuam istam. Ita & à morte in spiritualem vitam omnes veniunt per Christum, quia nemo iustificatur ad vitam, nisi per Christi gratiam. Proinde Apostolus cum dicit, Sicut per vnus delictū est malū in omnes homines ad condēnationem, intelliguntur non omnes simpliciter, sed omnes solum per opus Adæ generati, quales sunt omnes ab Adam propagati, & ita Christus verus homo intelligitur exclusus, qui sanē non est per opus Adæ genitus. Sic & sequens clausula quæ dicit, Ita per vnus iustitiam diffunditur bonū in omnes homines ad iustificationem vitæ, intelliguntur omnes homines solum per Christi opus nati, id est, ex Christo spiritualiter regenerati, vt quemadmodum nulla est carnalis natiuitas, nisi per Adam, ita nulla potest esse spiritualis regeneratio nisi per Christi gratiam, secundum quam generationem filij non ex sanguinibus, non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo sunt nati. Atque ita ex sententia Apostolica fit manifestum, paruulos esse vinculo damnationis obstrictos. Iam si obieceris nobis interpretationes venerabilis Origenis, & diui Ambrosij, qui interpretantes locum istum Apostoli docent propter Adæ peccatum nos mortem secundam, quæ dicitur in gehenna, non passuros, nisi peccauerimus in similitudinem præuicationis Adæ, hoc est, nisi similiter peccauerimus propria voluntate sicut Adam. Respondeo ex superioribus, Jam scire poteris, quod vbi nos legimus, Regnauit mors ab Adam, vsq; ad Moysen etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudinem præuicationis Adæ. Codices ab Origene, & Ambrosio aliter interpretati, prætermisissis particulis, Non, &, etiam, habent hoc pacto, Mors regnauit ab Adam, vsque ad Moysen in eos, qui peccauerunt in similitudinem præuicationis Adæ, vbi nostra æditio vulgaris habet etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudinem præuicationis Adæ. Origenes itaque & Ambrosius, quemadmodum & supra commemorauimus, docuerūt Paulum Apostolum voluisse mortem non in omnes regnasse, quia nō omnes peccauerunt in similitudinem præuicationis Adæ, id est, non omnes peccauerunt contempro Deo. Nam si quis ante legem hoc seruauit natura duce, quod postea lex ipsa mandauit, non potest inquit Ambrosius, mors regnasse in illum, quam mors quædam pertransierat illum. Nam & in omnes homines mors pertransiit. Aliud est, inquit Origenes, mortem transire, aliud est mortem regnare. Mortem peccati regnare in nobis prohibuit Apostolus, Non regnet, inquit, peccatum in mortali corpore vestro, vt obediatis concupiscentijs eius. Sic enim peccatum non potest regnare, nisi in eos, qui voluntariē peccant. Mors quædam est, inquit Amb. quæ est dissolutio animæ à corpore. Est autem & alia mors, quæ secunda dicitur in gehenna, quam non peccato Adæ patimur, sed eius occasione, proprijs acquirim⁹ peccatis, de qua dicit scriptura, Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Ab hac morte secunda boni ante aduentum Christi immunes erant,

tantum

Hier. citat Cyprianum de baptismo paruulo 277.

Origenes & Ambrosius prætermisissis particulis non, & etiam, habent hoc pacto, Mors regnauit ab Adam, vsque ad Moysen in eos, qui peccauerunt in similitudinem præuicationis Adæ, vbi nostra æditio vulgaris habet etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudinem præuicationis Adæ. Origenes itaque & Ambrosius, quemadmodum & supra commemorauimus, docuerūt Paulum Apostolum voluisse mortem non in omnes regnasse, quia nō omnes peccauerunt in similitudinem præuicationis Adæ, id est, non omnes peccauerunt contempro Deo. Nam si quis ante legem hoc seruauit natura duce, quod postea lex ipsa mandauit, non potest inquit Ambrosius, mors regnasse in illum, quam mors quædam pertransierat illum. Nam & in omnes homines mors pertransiit. Aliud est, inquit Origenes, mortem transire, aliud est mortem regnare. Mortem peccati regnare in nobis prohibuit Apostolus, Non regnet, inquit, peccatum in mortali corpore vestro, vt obediatis concupiscentijs eius. Sic enim peccatum non potest regnare, nisi in eos, qui voluntariē peccant. Mors quædam est, inquit Amb. quæ est dissolutio animæ à corpore. Est autem & alia mors, quæ secunda dicitur in gehenna, quam non peccato Adæ patimur, sed eius occasione, proprijs acquirim⁹ peccatis, de qua dicit scriptura, Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Ab hac morte secunda boni ante aduentum Christi immunes erant,

Mors gemina

tantum in inferno erant, sed in superiori quasi in limbo ad cœlos non poterant ascendere. Et de hac morte, inquit Ambrosius, loquitur Apostolus dicēs, Regnavit mors ab Adam vsq; ad Moysen, in eos qui peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ. Qui autem non sic peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ, id est, qui Deum non sic, vt Adam contempserunt, sub spe referuati sunt in aduentu saluatoris in limbo, sicut legimus de Abraham, qui quāuis apud inferos fuerit, tamen longo interuallo est à diuite epulone separatus. Et ita conclusiones, quas infert Apostolus. Sicut per vnus delictum in omnes homines in condemnationem, sic per vnus iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. Item. Sicut iudicium ex vno delicto in condemnationem, ita donum ex multis delictis in iustificationem. Origenes atque Ambrosius ita interpretantur, vt solum intelligant condemnationem hanc descendere in eos, qui peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ, id est, in eos, qui propria voluntate legem contempserunt, exponentes Apostoli doctrinam, hoc pacto. Sicut per vnus delictum omnes homines condemnationem meruerunt, supple, similiter sicut & Adam peccātes, ita & per vnus iustitiam omnes iustificabuntur, supple credentes. Si qui autem condemnationē hanc generalē, inquit, esse credunt, simili modo, & iustificationem generalem accipient. Sed nō est verū, quia nō omnes credunt. Et ita sicut non in omnes venit iustificatio, sic nec in omnes mors peccati regnavit, sed in eos solum qui similiter vt Adam sunt præuaricati legem. Hactenus Ambrosius adeo huic interpretationi inhærens, vt etiam commemorās Græcos codices habere sicut in hodiernū diē translatio habet latina, approbet suam ipsius sententiam, tanquam secundum literam magis verificatam, Ad dēs eisdem Græcorum codices abinuicem discrepare, propter studium contentionis eorum, qui dum autoritate vti non possunt, verba scripturæ adulterant. Quosdam, inquit, Latinos codices de veteribus Græcis translatos, simplicitas temporum seruauit incorruptos. Postquam autem à concordia animis distidentibus & hæreticis perturbantibus torqueri quæstiones ceperunt, multa sunt immutata ad sensum humanum, vt hoc contineretur in literis, quod homini videretur. Vnde & ipsi Græci diuersos habent codices. Hactenus ille. Et ita venerabiles patres, Ambrosius & Origenes docentes literam esse magis verisimilem si dixerimus, Mors regnavit ab Adam vsq; ad Moysen in eos qui peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ, subsequentes particulas ita interpretatur, quod per vnus delictum mors regnavit non in omnes, sed in eos tantum qui peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ, quibus positus non oportet ex illa Apostoli doctrina consequens esse, quod mors regnauerit in paruulos. Rursus per vnus delictum non omnes, sed multi, inquit, mortui sunt. Multi, inquam, supple, imitantes præuaricationem Adæ. Mortui, inquam, non morte, quæ omnibus communis est, sed morte secunda, quæ dicitur in gehenna. Insuper per vnus delictum derivatum est malum in omnes homines ad condemnationem. In omnes homines, inquit Ambrosius, intellige similiter peccantes.

Ex his ergo particulis secundum mentem venerabilium patrum, Origenis & Ambrosii interpretatis, non est consequens paruulos propter Adæ peccatū in damnationem ire, & nasci sub regno, & dominio spiritualis mortis: sed nō inde sequitur eos negasse originale peccatum. Non est autem inutile hanc expositionem varietatem hic annotare, vt planius considerare valeamus doctrinam Apostoli Pauli de malis ex peccato Adæ sequentibus, & de bonis per Iesum Christum humano generi exhibitis. Amplius autem, ne in his quæ sunt fidei, animi sacræ theologiæ studiosi turbentur, ne dum legentes veteres expositores, vident eosdē in suis

expositionibus, non in omnibus consonare, putent eorum doctrinas, in his quæ sunt fidei inter sese discordare, animaduertendum est quod hæretici iam olim exponētēs hic Paulum Apostolum in parte sunt sequuti expositionem Ambrosii, & aliorum de imitatione per actuale peccatum, sed ne haberēt cum patribus ecclesiæ concedere originale peccatum, secundum eandem intelligentiam interpretantes etiam antecedentem partem, qua dicitur. Per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertrāsijt, in quo oēs peccauerūt, docuerunt huiusmodi particulas accipiendas esse de actuali peccato, cui debetur mors secunda quæ est in gehenna, & ita Apostolum Paulum nihil aliud velle, quam ipsius Adæ peccatū fuisse exemplū omnibus propria voluntate peccātibus, & ipsum Adam, neq; propagatione traiecit peccatum in hunc mundum, neq; vitiasse humanam naturam, sed solum cunctis suis posteris venientibus in adultam aetatem exemplum præbuisse peccandi, & hac in parte discordant à doctrina Origenis & Ambrosii, omniumque patrum. Peccatum, inquit, Pelagius, intrauit in hunc mundum per vnum hominem, qui formam cunctis, & exemplum dedit peccandi, & per peccatum mors non corporis sed animæ. Nam & Adam fuisset corpore mortuus, inquit, etiam si non peccasset, & ita in omnes homines mors animæ pertrāsijt in eo peccato, in quo omnes ad exemplum ipsius Adæ peccauerunt. Nemo enim est, qui non imitatur primi parentis exemplum. Hanc quoque Pelagii interpretationem imitati sunt, qui hoc tempore putantur solennes sacræ scripturæ interpretes, volentes forsitan occultas hæreses seminare de paruulis non baptizandis, sed eam reprobant determinationem ecclesiæ in concilio Mileuitano, in cuius capite tertio sic scribitur, Non intelligendum aliter est quod ait Apostolus, Per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum & cætera, nisi quemadmodum ecclesia catholica vbique diffusa semper intellexit, ex illo verbo Apostoli paruulos esse subiectos originali peccato. Quemadmodum venerabilis Augustinus hæreticorum malleus, passim docet contra Pelagianos disputans, Filij Adæ, inquit, peccant non exemplo Adæ prouocati, sed à suis ipsorum concupiscentijs abstracti & illecti.

Præterea si de ingressu, inquit, peccati actualis, qui est per imitationem loqueretur Apostolus, non diceret peccatum intraisse per hominem, sed potius per diabolum, cuius suggestionem peccantes imitantur, dicente scriptura, Invidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius. Rursus Paulus Apostolus ex aduerso proponit Adam, & Christum. Adam vt mortis, peccatiq; originem: Christum autem vt vitæ, atque iustitiæ fontem, seu principium. Cum ergo iustitia intrauit in hunc mundum, per Christum non solum, vt imitationis exemplar, sed vt principium vitæ, atque iustitiæ, Consequens est peccatum intraisse in hunc mundum per Adam, non solum, vt imitationis exemplar, sed vt principium, quod peccando vniuersam humanam naturam vitians suum peccatum in posteros transmisit. Vnde si Apostolicas sententias in eodem capitulo antecedentes & consequentes diligenter discusseris, planè videbis Apostolum voluisse declarare peccatum Adæ fuisse vniuersale, & per ipsum esse vitiatam totam posteritatem suam, & idcirco neminem esse, qui non indigeat auxilio diuinæ misericordiæ, ita vt quemadmodum omnes per Adam sunt obnoxij vinculo mortis & damnationis, ita nemo liberatur, nisi per Christum, quemadmodum & iam crebrò, & reiteratis diximus vicibus. Et secundum huiusmodi intellectum interpretatur Aug. omnes subsequentes particulas iam recitatas.

Sed ne quispiam ex interpretantium diuersitate turbetur in fide, & arbitretur venerabiles patres, Origenem, Ambrosium, cæterosque nonnullos existimasse paruulos

De limbo secundum Ambrosium

Græcorum codices abinuicem discrepare.

Latinos codices simplicitas temporum seruauit incorruptos.

paruulos nasci innocentes, conuenit cōsyderare, quòd isti patres, quamuis interpretati sunt supradictas particulas, sic quòd tales scripturæ secundum suas ipsorum interpretationes inefficaces, aut impertinentes ad probandum paruulos esse damnandos ob originalem culpam, tam ipsi tamen, quam cæteri omnes ecclesiastici patres id vnum ab exordio semper tenuerunt à primo parente propagari malum & damnationē in vniuersam Adæ posteritatem, non solū in eos, qui imitantur primi parentis exemplum, sed & in eos, qui nondum habentes liberæ voluntatis vsum, parentum vestigia imitari non possunt, In libro de captiuitate, & redemptione humani generis abundè satis demonstrauius, Christum venisse in hunc mundum non solum, vt verbo doctrinæ, & exemplo conuersationis nos doceret viam salutis, sed magis, vt nos liberaret, Deo patri recōciliaret, & satisfaceret, pro nobis, qui peccatorum vinculis, seu nexibus impediti, Deoque inimici nequaquam poteramus Christum imitari. Vnde & Origenes tractans verbum Apostoli. Propterea, sicut per vnum hominem peccatum in hunc mūdum intrauit, &c. Nunc causas inquit, cur inimici fuerimus, & cur morte filij Dei, & reconciliatione indiguerimus, consequēter exponit Apost. vt intuētes quāta præstiterit nobis Iesus firmiore erga fide charitateq; magis inseparabili teneneamur, & infra psequitur, docēs quonā modo Adā sit forma futuri, hoc inquit, dicitur nō secundū q̄ preuaricat⁹ est Adā, sed secundū hoc, quod sicut per ipsum mors, ita per secundū Adā vita, sicut per vnū hominē, inquit, peccatū in hunc mundū intrauit, & per peccatū mors, & ita in oēs homines mors pertrāsijt, in quo oēs peccauerūt. Sic & per vnum hominem Christum iustitia intrauit in hunc mundum, & per iustitiam vita, & quibusdam interpositis, omnes homines, qui in hoc mūdo nascuntur, & nati sunt in lumbis erāt Adæ, cum adhuc esset in paradiso, & omnes homines cum ipso, vel in ipso expulsi sunt de paradiso, cū ipse inde pulsus est. Verum quidem est Origenem vim facere in diuersitate verborum Apostoli, nunc dicentis, In hunc mundum, nunc dicentis in omnes homines. Rursus nunc dicentis intrauit, nunc pertransijt, nunc regnauit. Quid est, inquit, quod Apostolus non dixit peccatum in omnes intrasse, sed in hunc mundum. Mortem verò non dixit in hunc mundum, sed in omnes pertrāsijse, eandem verò mortem non dixit absolute regnasse in omnes, sed in eos qui peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ. Puto inquit, quòd non frustra hac diuersitate vsus est Apostolus. Hęc ille. Verum quidem est verborum esse in significando diuersitatē, & aliam inter se esse dictionum significantiam, potestq; studiosus sacræ scripturæ expositor aliquid diuersitatis ex huiuscemodi verbis intelligere, quemadmodum & ipse Origenes intellexit, sed sua ipsius interpretatio nihil mutat in sententia fidei. Nam & ipse plane in expositione eiusdē epistolæ multis in locis docet paruulos propter Adæ peccatum esse immundos, morti, damnationiq; obnoxios, quemadmodum in Genesi scriptum est, cum deliquisset Adam, quòd eiecerit illum Dominus de paradiso: & hæc fuit delicti ei⁹ condōnatio, quæ in oēs homines sine dubio peruenit. Omnes enim homines in hoc loco humiliationis & in terra fletus eiecti sunt, siue quòd in lumbis Adæ omnes fuerunt qui ex illo nati sunt, siue alio quolibet inenarrabili modo, & soli Deo cognito, vnusquisque de paradiso trusus videtur excepisse condemnationem. Omnis igitur ista natiuitas, quæ ex Adam est, in mortem generat, secunda autem natiuitas, quæ est regeneratio per baptismū, vitium primæ natiuitatis abolet. Hæc Origenes. Cuius & testimonia latius etiā in capite præcedenti, in dissolutione difficultatis septimæ recitauimus. Sed hic cupio lectorem esse admonitum non esse nostri studij, Origenem in omnibus suis expositionibus defendere. Nā & forsità difficile fuerit soluere qua ratione ipse doceat mi-

Adā est forma futuri temporis ad Romanos. quomodo intelligitur.

seriam in humano genere descendere ex peccato Adæ, cum tamen ipse (si Augustinus) doceat in suis libris rationales animas in hæc corpora, tanquam in carceres, & in ergastula esse detrusas propter peccata, quæ perpetrarūt in alia vita. De quibus latius in libro de diuina prouidentia.

¶ Pars huius capituli quinta, in qua differitur, vtrum paruuli sine lauacro baptismi morientes patiantur in inferno vllum cruciatum.

I N hac materia maiorem difficultatem ingerit doctrina Ambrosij super eodem quinto capite, docens paruulos quidem esse sub peccato natos, & vita indignos, dignos autem vt moriantur, sed mors illa, inquit, est dissolutio corporis ab anima, sub dens. Est & alia, inquit, mors quæ secunda dicitur in gehenna, quam non peccato Adæ patimur, sed eam proprijs peccatis acquirimus. Quibus verbis videtur Ambrosius indicare paruulos pœna supplicij in gehēna ignis neque cruciari, neq; affligi. Et huic sententiæ videtur consona quorundam recentiorum theologorum doctrina, dicentium paruulos quidem ituros in infernum, & illic eos sustinere pœnam damni, non autem cruciatum supplicij. Non est ergo inutile cōsyderare, vtrum paruuli sine sacramento baptismi decedentes patiantur propter solum originale peccatum vllum cruciatum, supplicium, pœnam, seu tormentum, tristitiam, aut conscientia vermem, vel remorsum. Et videntur pro vtraq; parte probabilia argumenta. Et primum pro sententia negatiua. In scripturis sacris supplicium, id est, cruciatus seu afflictio in gehenna, solum legitur vnicuiq; irrogari propter proprium suum & actuale peccatum. Cum dicit scriptura, Et ibunt hi in supplicium æternum, præmissum est verbum saluatoris dicentis. Ite maledicti in ignem æternum, Esuriui enim & non dedistis mihi manducare, & alibi scriptura, Quantum se glorificauit, & in delictis fuit, tantum date ei tormentum & luctū. Cum ergo nihil super huiuscemodi rebus sit asserendum, nisi quod in scripturis sacris est reuelatū, & in illis nusquam legitur paruulos, qui non peccauerunt propria voluntate, æterna pœna esse cruciandos, consequens videtur non esse docendum quòd paruuli pœna vlla cruciatus affligantur. Præterea ecclesiæ Romanæ Pontifex in capitulo, Maiores de baptismo, Pœna, inquit, originalis peccati est carentia visionis Dei. Actualis verò peccati pœna est perpetua gehennæ cruciatus. Deinde Augustinus in Enchiridio, Mitissima omnium pœna erit eorum, qui præter peccatum originale, quod traxerunt, nullum aliud addiderunt.

An paruuli in solo originali peccato decedentes, patiantur vllum cruciatum.

Sed pro cōtraria sententiā videtur argumēta. Primū, Paruuli sine baptismo decedentes, si non patiantur vllius cruciatus supplicij, sed solū priuātur regno cœlorū, Non erit ergo diuersitas inter status paruulorum, vt pote inter eum qui nūc est post Adæ peccatum, & eum qui fuisse sub innocētiæ statu in paruulis sibi relictis absq; gratia. Hoc autem absurdum est & Pelagiana hæresis, ergo. Amplius autem. Paruuli post resurrectionem habebunt corpora non glorificata, ergo & passibilia. Non enim erunt post mortem scelicioris vitæ, quàm sint in hac vita.

Præterea in libro de fide ad Petrum capite vigesimo septimo, Firmissime, inquit, tene, & nullatenus dubita, non solum homines iam ratione vtentes, verum etiam paruulos qui siue in vtero matrum viuere incipiunt & ibi moriuntur, siue iam de matribus nati, sine sacramento sacri baptismatis de hoc seculo transferunt, igne æterni supplicij puniendos. Quia & si peccatum propria actionis nullum habent, originalis tamen peccati damnationem, carnali conceptione traxerunt, Hæc ille in libro, vbi non problemata pro vtraque parte disputanda, sed peculiare totius fidei catholicæ canones tradidit, præmittēs in singulis, firmiter teneas & nullatenus dubites. Insuper & de omnibus regulis fidei in eodē libro traditis,

*Nova conclusio
nem Aug. in li-
bro de fide ad
Retrum.*

tandem in fine libri ad eundem Petrum sic loquitur. Quadraginta capitula ad regulam fidei firmissimè pertinentia fideliter, certè, & fortiter tene, patienterq; detende, & quem contraria his dogmatizare cognoueris, tanquam pestem fuge, & tanquam hæreticum abijce. Hæc Augustini sententia, si vera est, consequens est hæreticum esse eum qui dicit paruulum in solo peccato originali morientè non esse puniendum igne supplicij sempiterni. Deinde idem August. in eisdem fidei regulis capitulo tertio ponit animam paruulorum sine baptismo decedentium cum corpore suo, interminabilia gehennæ supplicia sustinere, vbi diabolus cum angelis suis in æternum arsurus est. Non ergo intelligit Augustinus paruulis imminere solam pœnam damni, solam diuinæ visionis carentiam absque omni cruciatu in corpore, absque omni tristitia interiori in anima. Præterea iam olim damnata est ipsius Pelagij doctrina docentis, infantes sine sacramento baptismi decedentes non intrare in regnum cœlorum, habere tamen vitam quandã æternam absque omni pœna extra regnum cœlorum, hoc excepto quod non sunt in patria. Hanc Pelagij doctrinam reprobatur Augustinus in diuersis locis. Primo in libris contra Iulianum. Item in libro Hyposticon responsione quinta. Deinde in libris cõtra Cœlestium & Pelagium, in quibus locis Augustinus talem format consequentiam, Infantes si non sint in regnum cœlorum ingressuri, consequens est vt mittantur in ignem æternum cruciadi. Alieni à fide Christi æterna, inquit, experientur supplicia. Insuper idem Augustinus sermone decimotertio in libro de verbis Apostoli. Ex textu, inquit, euangelij non habemus nisi duo loca, vnum à dextris, in quo loco cõstitutis dicetur, Venite benedicti patris mei, percipite regnum, & cætera. Alium à sinistris, in quo constitutis dicetur, Ite maledicti in ignem, & cætera, vbi à fide alienus æterna supplicia experietur. Tertium locum penitus ignoramus. Nullus relictus est locus medius vbi ponere queas infantes. Contrariæ sententię defensores solent dicere, paruulos quidem mittendos in ignem æternum & in locum infernalem, sed non ibi esse cruciandos. Sed huic responsioni obuiat Augustinus ex scripturis excludens illam per textum Euangelij dicentis eos qui à sinistris erunt abituros in aduersionem æternam.

Deinde beatus Gregorius super Job nono, tractans verbum illud, Multiplicabit vulnera mea, etiam sine causa, dicit paruulos qui sacramento non liberantur peruenire ad tormèta sempiterna, & quod perpetua tormenta percipiunt etiam hi, qui nihil ex propria voluntate peccauerunt. Vnde paruuli in hac mortali vita mox nati, non solum carentia cœlestis paradisi puniuntur, sed etiam sensibili cruciatu in hac vita torquentur propter originale peccatum.

Videntur ergo paruuli secundum mentem ecclesiasticorum patrum Augustini & Gregorij sustinere post hanc vitam cruciatum supplicij, sed eorum cruciatum, vt inquit Augustinus, omnium esse mitissimum. Non tanta, inquit, arbitrator eos pœna plectendos, vt eos non nasci expidiret. Melius est paruulis esse in hac pœna, quam omnino non esse natura. Et ita videtur, quod secundum horum magistrorum sententiam resurgunt paruuli non baptizati cum carne sua non glorificata, vt in illa etiam dolores quosdam ab igne patientur sine fine, & absque illius corporis corruptione, non qualiter damnati pro actuali peccato Deum actu odientes, sed taliter secundum Dei beneplacitum, vt quemadmodum non peccauerunt voluntate propria, ita in cæcitate quadam mentis futuri, sint habitualiter auersi à Deo, non tamen odientes Deum actuali voluntate.

Hæc tamen sententias venerabilium patrum super afflictione paruulorum, qui non peccauerunt actione propriæ voluntatis, recitauimus, submittentes nos studioforum Christianorum iudicio, vtra harum sententiarum sic acceptabilis, cum

neutra

neutra videatur efficaciter ex scriptura sacra demonstrabilis.

Ex scripturis sacris per Augustinum adductis super hac re non expresse & efficaciter concludi potest, infantes sine baptismo decedentes supplicio sempiterni ignis esse cruciandos. Omnes scripturæ comminantes gehennæ supplicium in eos loquuntur, qui delictis propria voluntate contractis aggrauantur. Refert nempe scriptura supplicij causam, ad ipsius hominis impietatem, quam propria sua acquirit voluntate. Saluator incutiens reprobis æterni supplicij ignem, causam adijcit, dicens, Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, Matthæi. 25. Itè Matthæi. 13. Eos qui faciunt iniquitatem, mittent angeli in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium. Præterea ante tribunal Christi, inquit Paulus, oportet nos manifestari, vt referat vnusquisq; propria corporis, prout gessit, siue bonum siue malum. Quamuis & Augustinus libro. 6. contra Iulianum dicat etiam paruulum recipere, prout gessit in corpore, dicens parætum paccata quodam modo dici nostra, non proprietate actionis, sed contagione propaginis, & proinde sicut ad paruulum pertinet bonum, quod per alterum gessit, id est, credidit, ita & ad eundem pertinet malum, quod per alium gessit, id est, peccauit. Apostolus enim cum dicit, Omnes nos manifestari oportet ante Christi tribunal, vt recipiat vnusquisq; prout gessit, neminè exclusit. Paruulos igitur ante tribunal Christi oportet manifestari, vt recipiant secundum quod in corpore gesserunt. Nihil voluit esse medium, ira, tribulatio, & angustia, in omnem animam hominis operantis malum.

Proinde sacræ theologiæ interpretes omnes in hoc consentiunt, quod paruuli insipientes, aut stolidi, cæteri que homines, si qui sunt non renati, qui nullis proprijs delictis sunt aggrauati, non solum tanquam innocentes, qui nec boni quicquam habeant nec mali, exclusi sunt à regno cœlorum, sed & paradysum in Adam perdidērūt, relegati à facie Domini in sempiternum quoddam exilium, propter originale repertū in eis peccatū. Et hic est articulus fide tenendus, cuius hinc relictæ, sunt nonnulli sacræ theologiæ expositores, qui inter rigorem diuinę iustitię, & clementiã diuinæ misericordiæ, mediam quandam statuunt sententiã, arbitranter paruulos quidem propter Adæ peccatum damnandos, id est, in exilium à facie Dei relegandos, eiectos de paradiso voluptatis, sed eosdem nec in corporibus, nec in proprijs animabus esse cruciandos contra proprias voluntates, & ita eos puniendos non pœna sensus, vt aiunt, sed pœna damni. Et pro hac sententia videtur esse Ambrosij doctrina, vbi supra dicentis mortem secundam, quæ est in gehenna non propter peccatum Adæ patimur, sed proprijs, inquit, peccatis eam acquirimus. Nec hoc dicens Ambrosius hæresim defendit Pelagij: nam is docens paruulos esse sine peccato innocentes, quales fuissent nati sub innocentia statu medium quoddam inter infernum posuit, & regnum cœlorum contra fidem ecclesiæ Christianæ vbique diffusæ, quæ semper docuit paruulos habere peccatum, & propter peccatum eos, nisi subueniat gratia Saluatoris esse damnandos ac detrudendos in infernum, & ita eisdem paruulis baptismum dari, non solum vt intrarent regnum cœlorum, sed etiam in remissionem peccatorum, & vt liberentur à potestate dæmoniorum. Verum & hic scire conuenit rationem supradictam non conuincere. Nam & ipsi paruuli in hac vita sensibilibus miserijs multis affliguntur, nondum peccantes proprijs suis voluntatibus.

Vt ergo quod nobis probabilius scripturis que sacris magis consonum videtur asseramus, arbitramur huiuscemodi paruulos sensibili quadam molestia seu afflictione ab igne, & in igne torqueri, sed non tam acerba, quin sic malint viuere, quam omnino perire: neque Deum actu odientes, neque actu peccantes, neque contra ordinem diuinæ iustitiæ indignantes, sed permanentes solū auersi à Deo

L ij habitu-

habituali quadam auersione cæci, & pro hac sententia sunt argumenta superius recitata, quæ videntur doctrinæ euangelicæ magis consona, Cum erit messis, id est, consummatio seculi ad resurrectionem corporum paruuli, qui sic sine baptismo decesserunt, aut erunt triticum, aut palea. Nihil enim inter hæc in Euangelijs reperitur medium. Manifestum est autem eos non fore triticum, cum nõ sint colligendi in horreum aternæ felicitatis. Erunt igitur palea, si palea, ergo affligentur in igne sempiterno, dicente Christo, Paleas autem comburet igni inextinguibili. Præterea paruuli tales nec sunt arbores bonæ, nec faciunt fructum bonum. Omnis autem arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Amplius autem huiusmodi paruuli, cum venerit Deus iudicare viuos & mortuos, non statuentur à dexteris, erunt igitur à sinistris, quia nullum reperitur in scripturis medium. Ibunt autem hi qui à sinistris erunt in supplicium æternum, vt dicit scriptura, Consequens ergo videtur, huiusmodi paruulos esse eijciendos à facie Dei in exilium, vbi sempiternum patientur supplicium.

¶ *Caput tertium, in quo contra hæresim tertie sententiæ superius in primo capite huius tractatus recitatam demonstratur concupiscentia carnis non esse naturale bonum, sed hominis & diaboli opus esse.*

HActenus ergo contra hæreticos ostendimus paruulos sine lauacro baptismi decedentes iusto Dei iudicio propter originalem culpam esse obnoxios damnationi sempiternæ. Deinceps conuenit contra Pelagium ostendere concupiscentiam carnis non esse naturale bonum. Sciendum est autem quod gentes legem Dei omnino nescientes, carnis concupiscentias non in hostibus animæ deputant, sed eis miserabili cæcitate seruientes, beatos se putant sariendo potius quàm domando illas. Quem errorem Pelagius in nixu philosophorum dogmatibus, conatur defendere. Contra quem hanc ponemus propositionem.

Concupiscentia seu pronitas, qua caro concupiscit aduersus spiritum non est in hominibus naturale bonum à Deo patre naturæ cogenitum, sed est accidens malum, atque pudendum, quod per primi parentis peccatum, tanquam humanæ naturæ vitium simul cum eadem natura humana transit in posteros, habens initium ex arbitrio humanæ voluntatis, non Deo, sed diabolo instigante.

Hanc propositionem in vnum probauerunt omnes ecclesiastici patres efficacissimis scripturæ testimonijs. Primum ex apostolica doctrina. Per vnum hominẽ peccatũ in hũc mundũ intrauit. Peccatũ appellabat Apostolus legẽ carnis, malum habitans in carne, morbum concupiscentiæ. De quo & ibidem subdit, Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Hoc peccatum operatur in membris nostris passiones carnis, stimulos contra legem spiritus. Hoc peccatum inquit Augustinus, paruulum facit pronum concupiscere, id est procliuem, seu propensum ad concupiscendum, adultum verò concupiscentem. Ab hoc peccato, seu vitio exorientes motus, vocat Apostolus passiones peccatorum, & operarios iniquitatis. De quibus & in scripturis dicitur, Inimici hominis domestici eius. Ab hoc vitio sunt ira, rixæ, dissentiones, dicente Iacobo Apostolo, Vnde inquit sunt bella, & lites in vobis? Nonne ex concupiscentijs vestris, quæ militant in membris vestris? Et idem Apostolus, Nemo cum tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur, sed vnusquisque cum tentatur, à sua concupiscentia tentatur abstractus & illectus. Hoc ergo est peccatũ seu malũ habitans in carne nostra quod non per Deum conditorem, sed per vnum hominem peccatẽm intrauit in mundum. Et vide an ne hæc sit expressa Ioannis Apostoli sententiã dicentis, Omne quod est in mundo, veluti concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, seu ambitio seculi, non est ex patre, sed ex mũdo. Mundus autẽ transit &

fit & concupiscentia eius, Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. Mundum, si Augustino credimus, Ioãnes Apostolus appellat homines, qui cordis seu mentis desyderijs mundum inhabitant, sicut in scripturis domus appellatur familia inhabitans, sic & cœli appellantur, qui mētis desyderijs cœlestia spe dāt.

Vnde & diabolus princeps huius mundi dicitur, quia dominatur hominum eorum qui mundum diligunt. Quotiescunque mundi nomen in malæ rei significatione ponitur, inquit Augustinus, non significat nisi homines mundi huius amatores. Hoc & significauit ibi supra Ioannes Apostolus cum dixisset, Mundus transit & concupiscentia eius, mox subiecit, Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum, ac si dicat, mundus, id est, mundana vita perit. Homines mundum diligentes trahunt, & spe sua frustrantur, qui autem faciunt voluntatem Dei, habentes in contemptu huius mundi bona, manent in æternum. Omnia nõne præterea præter amare Deum. Deinde saluator ipse desyderia praua dicit non sua, sed diaboli esse desyderia. Vos inquit ex patre diabolo estis, & desyderia patris vestri diaboli vultis facere, desyderia diaboli, non quibus diabolus concupiscit aut desyderat, sed quibus nos instigat diabolus. Quemadmodum de Iuda proditore legimus, cum diabolus iam misisset in cor Iudæ. Eandem propositionem probant ecclesiastici patres per scripturam, Genesis tertio, Nam in Adam & Eua, post transgressionem mandati, caro cœpit concupiscere aduersus spiritum, cœpitque in membris lex carnis esse rebellis spiritui. Secundum sacram scripturam ante peccatum erat vterque nudus, Adam scilicet & Eua, & nõ erubescabant. Non erubescabant, inquit Augustinus, quia nihil erat in membris quod puderet. Posteaquam autem serpētis flatu, id est, suasu vel suggestionem facta est mandati transgressio, venenosa & mortifera libido in membris sequuta est, tanto deinceps opprimens dominatu, vt etiam ipsa ad malum eos inuitaret ac stimularet inuitos, & ita post inobedienciã eorum ad Deum, confusio in illis membris sequuta est. Vnde & sentientes motũ in suis membris seu lumbis bestialem, genitalia membra erubescendo velarunt. Vt quod dehonestauerat concupiscentia, tegat verecundia. Vidit mulier, inquit scriptura, quod lignum esset bonum ad vescendum, & pulchrum oculis aspectuque delectabile, tulit de fructu illius & comedit, & aperti sunt oculi eorum. Cumque cognouissent se esse nudos, confuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata, & abscondit se Adam & vxor eius à facie Domini, aperti sunt oculi eorum, non de sensibilibus oculis, inquit Chriostomus & Augustinus, hoc dixit, sed de sensu mentis, quia postquam fuerunt Deo rebelles, senserunt quod antè non sentiebant, propter peccatum nudati supernæ gratiæ amictu, sensibilem sunt nudationem experti. Aperti sunt oculi eorum, id est, sensus eorum interni ad sentiendum vt inquit Augustinus, aliquid quod nunquam senserant, quod in motu sui corporis nunquam expauerant, feceruntque sibi perizomata, id est, indumenta quæ ad pudoris velandi officium pertinent. Non esset autem inhonestum, neque pudendum ostendere genitalia membra nuda, quæ nuda Deus fecit, nisi aliquid quod non esset à Deo in illis foret inhonestum. In patria sanctorum corpora erunt quidem nuda & manebunt genitalia membra, sed non manebunt pudenda, quando iusti vestibus innocentie induti, sola inuicem pulchritudine, absque vlla libidine perfruuntur in Domino. Ante peccatum nullus erat pudor, sed nequitia fecit pudentes, quos impudentes ac innocentes iustitia fecerat. Quamuis ergo spiritus noster sit bonus a Deo cõditus, & caro nostra ac membra sint bona, malum tamen, & non natura, sed vitium in natura est, quod caro sit contraria spiritui, concupiscens aduersus spiritum. Post peccatum primi parentis nostri texerunt partes corporis, quæ non sic voluntatis imperio

Mundus quid sit

Desyderia diaboli.

Propositio consideranda.

Aperti sunt oculi amborum scilicet Adæ & Eue.

mouentur, sed non manus, quibus prohibita attrēctauerant, non os quo desyderata ederant, quia non in istis, sed in illis illicitos motus contra legem mētis senserunt, quamuis & totus Adam ac Eua poit peccatum fugitiui absconderunt sese à facie Domini. Verūm hic ne fallamur in significatione vocabuli concupiscentiæ, sciendum est, quod nos hic non loquimur de concupiscentia generaliter accepta, quæ est tam bonarum rerum quam malarum appetitus, quamuis nulla res sit in se mala vt infra dicā. Nec rursus loquimur solū de concupiscentia carnis specialiter dicta, quæ est appetitus voluptatis in coitu, & gula, sed loquimur de carnalis hominis concupiscētia praua generaliter accepta, quæ iuxta doctrinam Ioannis Apostoli complectens concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ, non est à Deo patre. Reperitur in scripturis concupiscentia quædam bona, secundum quā interior homo concupiscit aduersus carnem. De qua dicit Apostolus, Spiritus concupiscit aduersus carnem. Et Sapiens, Concupiscentia sapientiæ deducit ad regnum perpetuum. Et propheta, Concupiscit & deficit anima mea in arria Domini. Concupiuit anima mea desyderare iustificationes tuas in omni tempore. Concupiui salutare tuum Domine. Quemadmodum desyderat ceruus ad fontes aquarum. Hæc sancta concupiscentia est à Deo patre, qua concupiscit animus delectari in Domino, cupiēs vel Deum ipsum, vel aliquid, quo Deo inhæreat, obediat, placeat illi, viuat, ac immoretur. Sic concupiscimus hīdem, spem, charitatem, ceterasque virtutes, quibus placeamus Deo, & obediamus. Concupiscentia verò praua generaliter accepta, de qua nūc loquimur ea est secundū quā homo iungens se carni, id est, carnalis voluptatis desyderio, alienatur à Deo conditore ac redēptore vero suo beatifico bono. Malum est rationali animæ concupiscere delectationem in vlla re creata. Delectationem dico, qua per amorē quiescit in illa re creata, siue sit corporalis siue spiritualis. Huiusmodi autem concupiscentia est genus ad omnia praua desyderia. Neq; enim Saluator cū diceret ad Iudæos, Desyderia patris vestri diaboli vultis facere, loquebatur solum de carnalis voluptatis desyderijs in coitu & gula. Scriptura item prohibens concupiscentiam, & dicens, Non concupisces. Et iterum, Post concupiscentias tuas non vadas, non solum prohibuit carnalis voluptatis concupiscentiam, sed generaliter omnem appetitum, secundum quem interior homo ad imaginem & similitudinem Dei conditus, vt solo fruatur Deo, negligēs ipsum Deum iūgit se creaturæ per amorē, quiescendo in illa. De qua & loquitur Petrus Apostolus, Fugientes eius, quæ in mundo est, cōcupiscentiæ corruptionē. Et Sapiens, inconstantia concupiscentiæ transuertit sensum. Verūm super omnes concupiscentias fortior, vehementior ac frequentior est ea, quæ consistit in coitu. Ad illud quoque opus perficiendum, plus potestatis habet libido, quam ratio. Omnia membra, inquit Augustinus, bona sunt, eaq; mouemus nostræ voluntatis arbitrio ad seruiendum necessitati naturæ, exceptis genitalibus membris, quæ quamuis ex Dei opere sunt condita à Deo bona, vt ad rationis imperiū seruirent nō voluptati, sed necessitati propaginis, tamen accedente inobedientia nostræ voluntatis contra Deum sequuta est inobedientia nostræ carnis contra nostrum spiritum, habetque in membris istis mouendis plus potestatis libido, quam ratio. Et nisi hæc membra, quæ Deus fecit honesta condendo, homo fecisset inhonesta peccando, non essent pudenda. De hoc decimo quarto de ciuitate Dei sic loquitur Augustinus, Quod autem iræ opera aliarumque affectionum, in quibuscunque dictis & factis, non sic abscondit verecundia, vt opera libidinis, quæ fiunt genitalibus membris, quid causæ est, nisi quia in ceteris membris non affectio ipsa, sed volūtas mouet membra in opus. Nam quisquis verbum

De concupiscentia
bid.

Motus impertinus
in membris
inhonestis

emittit iratus, vel etiā quempia percutit, nō posset hoc facere, nisi iubente quodā modo voluntate, lingua & manus mouerentur in opus, quæ membra etiam dū ira nulla est, mouentur eadem voluntate: fecus accidit in genitalibus corporis partibus, quas libido suo iuri quodam modo mancipauit, vt moueri omnino nō valeant, si ipsa defuerit, & nisi ipsa vel vltro, vel excitata surrexerit, hoc est, quod pudet, hoc est quod intuentium oculos erubescendo deuitat, magisq; fert homo spectantium multitudinem, quādo iniuste irascitur homini q̄ vel vnus aspectū, quando iuste miscetur vxori. Eandem tradit Augustinus sententiam lib. 3. & 4. contra Iulianum: & libro. 4. Hyponost. Cū ergo ipsa concupiscentia contra legē spiritus, sit inimica iustitiæ, & repugnans legi mentis, quæ & ab Apostolo Pauli appellatur peccatū & malum habitans in carne, operans in nobis passiones peccatorum, quæ esse desyderia diaboli, dicit scriptura, consequens est eam non esse naturale bonum à Deo patre insitum. Vnde Apostolus, Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Ac si dicat, Habebam quidē eam, sed tanquam naturale bonum credebam. Cū autem lex diceret, Non cōcupisces, cognoui concupiscētiā accidens esse vitium, cuius & desyderia Petrus apostolus exterminari iussit, Non accōmodetis, inquit, vos pristinis concupiscentijs, quibus dum adhuc ignoraretis Christū, agebamini. Apostolus quoq; Paulus ad Collos. scribens, Mortificate, inquit, membra vestra, quæ sunt super terrā, fornicationē, inuidiā, libidinem, cōcupiscentiam malā. Cur mortificanda præciperet Apost. si naturalia sunt bona? Cur odienda & destruenda, si à qualitate bona, diuinitus nobis insita, sunt orta? Scire autem debes quod mortificare, interficere, occidere in sacris scripturis super hæc re loquentibus sic accipiuntur, quemadmodum illud prophetæ, Prædixerunt Christum esse facturum, dicentes, Spiritu oris sui interficiet impiū. Interficiet, in quā, nō vitam corporalem, sed impiam auferendo. Sic & ille interficiebat, qui dixit, In matutino interficiebam omnes peccatores terræ. Christus occidit peccatores, faciens vt non sint peccatores, vt non sibi aut diabolo, sed Deo viuant. Ego, inquit, occidam & ego vruificabo. Sic autem occidere & mortificare est in impijs destruere, quod Deus in eis odit, quod & in eis non fecit. Præterea ipsa concupiscentia, si esset naturale bonum, non eam suppremeres, non ab ea liberari cuperes, si esset à Deo patre, nō eam ex te velles abijcere. Cupiunt autem omnes sancti ab ea liberari, dicētes in oratione dominica, Libera nos à malo. Et Apostolus, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Omnes etiam sancti ne efficerentur aut reprobī, aut serui diaboli, fortiter pugnaverunt, & pugnant contra hoc malum. Ego, inquit Apostolus, sic pugno non quasi aerem verberans, sed castigo, inquit, corpus meum, tanquā econtrario responderetur ei, Quis est, vel vbi est aduersarius tuus contra quem pugnas? Castigo, inquit, corpus meum, & in seruitutem redigo, quasi respondens in corpore meo, non in aere, est hostis contra quem pugno. In carne habitat inimicus hospes assiduus, qui diuersorū cupiditate malorum per temporū momenta, suis me aculeis impugnat, quo agonis mei cursum impediens, authorem suum diabolū faciat esse victorem. Et certē tanto amplius, inquit Augustinus, in superanda concupiscentia, voluntas laborabit, quanto maiores ei vires consuetudo dederit. Audiamus & super hæc re Ambrosij doctrinam dicentis ad Romanos septimo, Ante præuaricationem priusquam se homo manciparet morti, non erat satanæ potestas ad interiora hominis accedere, & cogitationes aduersarias inferere, sed astutia eius factum est vt confabulatione per serpentem circumueniret hominem. Postquam autem circumuēnit & subiugauit, potestatem in eum accepit, vt interiorē hominem pulsaret, copu-

Malum habitans
in carne operans
passiones
peccatorum.

Castigo corpus
meum, sic pugno
non quasi aerē
verberans.

lans se menti eius, vt non possit homo agnoscere, quid suum sit in cogitatione, quid illius, nisi respiciat legem semper secum hospitem habens peccatum, per quod ad illum habet aditum satanas. Ambrosius autem quis interpretetur Apostolum per peccatū intelligere diabolū, tamē & in carne dicit habitare peccatū, id est pronitatem quandam ad illicitū, qualis non erat ante prauaricationem Adæ. Si autem homo in eo quod factus est permanisset, non esset potestas inimico ad carnem eius accedere, & animæ cōtraria susurrare. Potuisset quidem menti proponere, & suadere contra Dei legem, quemadmodū Eua suauit per serpentem, sed non potuisset suscitare desyderia cōtra legem mētis. Vnde & idem Ambrosius alibi, Omnis, inquit, carnalis voluptas à diabolo est, per quam & satanæ est potestas accedere ad animam nostram, esca est, quam dum mens deuorat, suum spiritualem perdit vigorem. Idem rursus in libro de fuga seculi, cap. quarto, Fuge libidinem tanquam furiosam dominam, quæ si apprehenderit te, nec die nec nocte requiescere finit, exagitat, exurit, incendit. Audiamus super hac re diui Hieronymi sententiam contra Iouinianum, Ipsa concupiscentia nobis hostis est, semper quocumque pergimus, nobiscum portamus inimicum. Per eam potestatem habet diabolus in nos, vt nobis inuitis, caro nos titillet. Virtus eius in lumbis eius, & omnis potestas eius in vmbilico. In lumbis posuit thronum suum, vbi semper molitur insidias. Lumbi mei, inquit propheta, impleti sunt illusionibus. Manifestum est igitur ipsam concupiscentiam, siue in licito actu, siue in illicito fuerit, semper malam esse, eamque nihil agere nisi peccandi desyderia, dum aut rationalem animum in voluptate rei creatæ conatur immergere, aut turbare interiorem hominem, illius voluntatem ad desyderia carnalis voluptatis impellens. Huiusmodi autem desyderijs, nisi homini mala essent, Deus obediens prohiberet, nec ea desyderia satanæ appellaret. Vnde Augustinus libro quarto contra Iulianum, capitulo primo & secundo, de ipsa concupiscentia loquens, ait, quod etiam in ipsis coniugatis nihil boni agitur de ipsa, nihil boni agit ipsa, nihil boni concupiscitur ex ea, sed malum est quicquid concupiscitur secundum ipsam etiam, etsi summum culmen teneat pudicitia coniugalis, nihil boni faciunt propter illam, quamuis boni aliquid faciant per illam. Neque ideo concupiscentia mala non est, quod ei non consentiatur, imò propterea, inquit Augustinus, sine dubitatione malum est, quia ei non consentire bonum est. Et proinde in ipsius concupiscentia moderatione, non ipsa concupiscentia, sed hominis bona voluntas velut auriga est, inquit Augustinus, laudabilis concupiscentia carnalis. Qui modum tenet, inquit, malo bene vititur, qui modum non tenet, malo male vititur, qui autem etiā ipsum modum sanctæ virginis amorem contempserit, malo melius non vititur. Ipsa concupiscentia est velut malus equus & infrēnis, cuius impetus est immoderatus, modus bonus nō in ipsa est, cuius inquietus est motus faciens indifferenter, siue in licito, siue in illicito inardescere voluptati, & idcirco concupiscentia est malum quoddam, etiam si spiritus non consenserit, sed contranitur eidem.

¶ *Secundum huius partis membrum, in quo colliguntur ex supradictis conclusiones quedam.*

EX supradictis primū est manifestum, malum illud quod Apostolus in epistola ad Rom. appellat peccatum esse partē illam carnalem, ex qua, vt inquit August. oritur concupiscentia ipsa carnalis, nō specialiter solum in sensu tactus & gulæ, sed generalis, de qua dicit idem Apostolus ad Gal. 5. Caro concupiscit aduersus spiritū, in cuius carnis fructibus & inuidia cōmemoratur, qua vtiq; Cain stimulabatur & accendebatur in fratris exitium, quam partē animi philosopho

philosophi dicunt esse vitiosam, nō quæ mentem debeat trahere, sed cui mens debeat imperare, eamq; ab illicitis operibus ratione cohibere, iuxta præceptum Apostoli, Ne exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato. & iterum, Nō regnet peccatum in corpore tuo mortali ad obediendum desyderijs illius.

Secundo manifestum est illam voluntatē esse malam & peccatū, secundū quā quispiā actui in se licito consentit gratia voluptatis carnalis. Peccat proinde cōiuges dū stimulant libidine commiscetur causa voluptatis explenda, male vtentes malo victi libidine, sed ignoscitur dū oratione dominica petunt sibi dimitti peccatorum illorum debita. Si autem vehementius voluptati intendant, ita vt eam Christo proponant, cū propria coniuge adulteri sunt, dicente angelo ad Tobiam, Qui coniugium ita suscipit vt suæ libidini vacent, habet potestatem super eos demonium, dum autem eadem libidine stimulantē vti voluerint, causa vel propaginis, vel vitanda fornicationis, malo bene vtuntur, quia opus licitū, quod non sit sine voluptate, non faciunt propter voluptatem. Dum autem eidem libidini irascuntur, eamq; prorsus odientes, amore sanctæ pudicitia frēnant, ne mētes suas de supernarum cogitationum delectatione deiciant, malo melius non vtuntur, & hoc dum neque debiti reddendi, neque propaginis causa expostulat actui coniugali operam dare, quanquam si sint veri sapientia diuina amici, malent in actu generationis non sentire æstum libidinis. Super quo vide si placet Augustinum decimo quarto de ciuitate dei, capitulo decimo sexto. Deinde manifestū est ex supradictis omnes motiones quibus ad carnalē impellimur voluptatē, vitia esse quæ exurgunt à malo, quod habitat in corpore nostro, quæ sanè cōmotiones repugnāt legi mentis. Cum mens nostra se iungit desyderio carnis, infirmans, inquit, Ambrosius, redditur ac languida, spiritualem perdit vigorem, suumque patitur interitum. Nihil enim agunt huiusmodi desyderia carnalis voluptatis in anima rationali, nisi vt spiritum Dei extinguant, imaginem Dei corrumpant, mentemque nostram à spiritualium rerum cogitatione atque sapore deiectam, corporalibus totam immergant. Concupiscentiam in super philosophi quoq; malum quoddam esse dixerunt & escam malorum, & contra Epicurū, qui bonū hominis in voluptate corporis collocauit, acerrimè dimicauerunt. Ideo autem in pecoribus concupiscentia non est mala, quia in eis non potest esse sapientia concupiscentia. Neq; enim est in brutis vlla natura quæ ex carnis voluptate, aut obnubilatur, aut naturalem suam perdit vigorem, & idcirco secundum eam caro in eis non concupiscit aduersus spiritum, non habentibus rationem qua deo conditori suo vacent, obediunt, & libidinem, aut licitā, aut illicitam dijudicent. Vnde Augustinus super psalmum. 103. Quod equo est natura homini est culpa. Non conturbat voluptas in equo, neque obtenebrat, neque obnubilat vim vllam, in homine autem præter vim sensualem, rationalis est animus ad imaginem Dei conditus, qui & capax potest esse sui creatoris & præcepti illius, cui & ipse per prophetam præcepit, Nolite fieri sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus. Postremum ex supradictis est manifestum, quanquam voluntas nostra sine adiutorio sancti spiritus bona esse non potest, vtique tamen potest sine malo spiritu, vel excitante, vel seducente, esse mala, tum propter malum concupiscentia inolitum, tum propter liberum semper & mutabile arbitrium, quemadmodum & diabolus non suggerente vllō spiritu, propria voluntate factus est malus. Pater hæc sententia ex doctrina Augustini in libro de patientia, probantis sine spiritu bono, voluntatem bonam esse non posse, quæ potest esse mala sine spiritu malo. Neque omnes malas cogitationes & affectiones nostras à diabolo excitari, sed nonnullas ex arbitrij nostri viribus generari. Difficile est,

Voluptas in brutis mala nō est.

inquit

inquit Bernardus, discernere an cogitatio mala sit de corde nostro, an de spiritu maligno. Non possumus ad purum dignoscere inter morbum mentis & morsum serpentis, inter malum innatum, & malum seminatum. Delicta enim quis intelligit: verum non multum refert scire vnde inest nobis cogitatio mala, an sit de corde nostro, an de spiritu maligno: Sine periculo, inquit Bernardus, ignoratur, sed dum eam inesse sentimus, vigilandum potius est atq; orandum, eidem non consentiatur. Sunt ergo in nobis nonnulli motus libidinosi ex diabolo instigante, sunt & nonnulli ex carnali fomite, sunt & alij ex arbitrij nostri libertate. Nam tamen et si diabolus periret, nihilominus nunc ab adolescentia sua ad malum homo esset pronus ex vitio fomitis. Deinde quamuis neq; diabolus vllus esset suggerens, neq; homo vitio fomitis esset deprauatus, tamen contingeret hominem sibi relictum peccare ex arbitrij sui libertate, quemadmodum diabolus primus, qui nec diabolum habuit suggerentem, nec vllum peccandi fomitem, sua libera peccauit voluntate. Nec sequitur, Peccauit ex potestate qua a Deo acceperat, ergo culpa a Deo erat, qui potestatem dedit qua homo peccaret. Dedit quidem Deus potestatem qua peccare posset, sed dedit potestatem talem, non vt homo peccaret, sed vt recte vtendo illa potestate gloriosior esset, si non peccaret, cu peccare posset. Verum & hoc considerandum, qd apud ecclesiasticos patres, diabolus dicitur omnium peccatorum causa, quia per illum instigantem in vniuersum genus humanum intrauit peccatum, omnium peccatorum seminarium. Et ita dicit Ioannes Apostolus, Qui facit peccatum, ex diabolo est, quia ab initio diabolus peccat. Et Sapient. 2. Inuidia diaboli, mors intrauit in orbem terrarum.

¶ *Secunda huius capituli pars, in qua inquitur quidnam sit ipsa concupiscentia, quae non est a patre: quid insuper Paulus appellet legem carnis, seu legem in membris, & malum seu peccatum habitans in carne.*

HAtenus manifestum fecimus ipsam legem carnis, seu concupiscentiam quam & sacrae theologiae tractatores fomitem appellare solent, non esse naturale bonum, sed naturae aduentitium, & accidens vitium, & tale quod Apost. vocat peccatum & malum habitans in carne sua. Reliquum est considerare, quidnam sit huiusmodi lex carnis, seu peccatum, aut fomes, & in quonam sit subiecto, vtrum in carne an in anima. Et cum in eodem homine multi sint fomites, quemadmodum & vnus ac idem homo ad multiplicia procliuus est vitia, vtrum igitur in vno & eodem plura sint originalia peccata. Deinde vtrum in vno paruulo peccatum illud sit maius seu grauius, in altero minus, sicut & alter est altero magis aut minus ad vitia pronus. Sunt fortassis, qui dicent friuolum esse & curiosum scrutari huiusmodi quaestiuunculas, nec eas conferre ad illustrandum gratiam Christi, & potestatem liberi arbitrij. Quibus respondemus, Recte hoc dicerent, si non ipse Paulus in eo loco vbi praecipue agebat de gratia Christi & redemptione generis humani, & imbecillitate humani arbitrij, daret nobis occasionem pie inuestigandi, vt studeamus intelligere diuersitatem statuum humanae naturae, inter eum videlicet, qui fuerat ante peccatum, & eum qui subsequutus est ex Adae peccato, & doceret per vnum hominem peccatum intrasse in mundum, & peccatum habitare in carne, repugnare legi mentis, & operari omnem concupiscentiam. Primum igitur ad cognoscendum quidditatem & subiectum huiusmodi peccati, operaepretium est praecogitare, an huiusmodi fomitis vitium, sit qualitas quaedam in natura humana post Adae peccatum suborta, vel an sit potius ipsius animae pars aliqua, ab initio condita a Deo bona, iam per peccatum vitiosa, vt pote vis sensualis, quae priusquam peccaret Adam spiritui obediens, iam per Adam peccantem, facta est effrenis, & vt verbis Apostoli vtar, rebellis legi mentis, seu legi interioris hominis. Et pro vtraque sententia videntur apparentia quaedam argu

argumenta. Et primum pro ea sententia, quae docet huiusmodi peccatum esse non vllam vim ab initio homini insitam, sed potius qualitatem quandam malam, per Adae peccatum in carne subortam, videtur scripturae & sanctorum patrum testimonia. Scripturae quidem: nam secundum Apostoli Pauli doctrinam peccatum illud, per vnum hominem intrauit in hunc mundum: ex quo consequens est, illud non esse a Deo patre, naturam humanam instituente. Deinde secundum eundem Apost. malum in carne habitat, quod est lex in membris repugnans legi mentis. Vnde & de hoc vitio loquens, Scio, inquit, quia non habitat in me bonum. Et exponens in me, hoc est, inquit, in carne mea. Super eo quod Apost. Paul. dignatus est interpretari, non debemus nos dubitare. Cum ergo ipse exponat in me, hoc est, in carne mea habitare peccatum illud, quod per vnum intrauit in mundum, consequens videtur peccatum illud esse in carne accidens vitium, per Adae peccatum in carne subortum. Praeterea si peccatum illud non sit in carne, cur ipse Apost. dicit illud esse legem carnis, videns seu sentiens legem illam in membris suis, & illic repugnare legi mentis suae. Amplius autem, Peccatum illud (si Apostolo Paul. credimus) operatur in homine omnem concupiscentiam, & tale est, per quod caro concupiscit aduersus spiritum, videtur ergo in carne esse peccatum. Insuper, Per Adae peccatum, non rationalis anima, quae a solo Deo creatur, sed propagata caro est vitiosa, de nulla re, de nulla qualitate, quam Deus ab initio condidit, naturam humanam instituens, possunt haec dici. Id nempe quod Deus ab initio condidit in humana natura, neque intrauit in hunc mundum per vnum hominem, neque malum est, neque lex repugnans legi mentis, neque talis languor aut morbus secundum quem caro concupiscit aduersus spiritum. Videtur igitur ex scripturis manifestissimum, peccatum illud esse in carne aliquid, quod non ante, sed post peccatum intrauit in genus humanum. Vnde & Iob propheta semen ipsum ex quo hominis est generatio tradit esse immundum, & idcirco hominem inde conceptum fieri immundum, Quis potest, inquit, facere mundum de immundo conceptum semine, & car. Et pro hac sententia videntur sententiae patrum. Primum Aug. in locis multis contra Pelagianam haesim, quae tunc negabat in paruulo tale vitium, docere videtur peccatum illud esse qualitatem quandam affectionalem prauam subortam in carne per Adae peccatum. In lib. De nup. & conc. Concupiscentia, inquit, non substantialiter manet sicut aliquid corpus aut spiritus, sed affectio quaedam malae qualitatis sicut languor. Rursus lib. 6. contra Iulianum, Sicut timiditas inest homini, etiam quando actu non timet, ita vitium hoc vnde praua oriuntur desideria, manet in homine, etiam quando caro eius nulla est commotione tentata. Aliud, inquit, est concupiscentium esse, aliud concupiscere, aliud timere, aliud timidum esse, aliud irasci, aliud iracundum esse. Videtur igitur Augustinus ex Apostoli Pauli doctrina docere, per Adae peccatum subortam esse in carne humana affectionalem quaedam qualitatem, seu procliuatatem ad carnalis voluptatis desideria, & hanc esse peccatum, quam Apostolus docet per vnum hominem intrasse in hunc mundum. Sunt & in corroborationem huius aliorum patrum sententiae, quas in superioribus recitauimus ad comprobandum in paruulis esse originale peccatum. At vero pro alia sententia videbitur forsitan peccatum illud fomitis, esse vis sensualis quae, ante peccatum spiritui obediens, iam facta est prona concupiscere contra spiritum, ita vt desideria illicita inde suborta, intelligantur idcirco esse ipsius saetanae desideria, quod satana instigante factum est, vt iam huiusmodi sensualis appetitus sit rebellis, & inobediens, pronus concupiscere, non expectato rationis iudicio, quemadmodum animalia quae ante peccatum obediabant homini, facta sunt humanae naturae contraria. Et pro hac sententia videtur itidem argumenta scriptu

Timiditas inest homini etiam quando actu non timet.

Argumenta pro parte opposita.

Triplex malum cogitatum origo.

Potestas peccandi a Deo.

Vtrum originale peccatum sit qualitas quaedam in natura humana.

Scripturæ, & sanctorum patrum testimonia. Scripturæ quidem, Nam Paulus Apostolus tractans de huiusmodi peccato, planè docet peccatum illud esse, secundū quod caro concupiscit contra spiritum. Caro autem concupiscit solum ea, quæ sensui suaui sunt, & id quidem secundum appetitum sensitium, qui est secundum apprehensionem sensuum. Cū ergo huiusmodi appetitus fuerit sub innocentia statu, consequens videtur fomitem non aliud esse, quàm sensuale appetitum, per quem homo ante peccatum, ea quæ sensibus sunt consentanea, naturaliter appetebat, qui & ante peccatum per frenum originalis gratiæ prorsus subiectus tenebatur rationis imperio, nunc sublato eiusdem originalis gratiæ freno, mouetur per campos licentiæ, non expectato rationis consilio, quemadmodū & fera indomita dissolutis vinculis præceps in quolibet fertur, & nauis fracto gubernaculo iactatur secundum venti fluminisq; impulsū. Et hoc planè videtur docere Apostolus, apertè insinuans malum in homine subortum per Adæ peccatum, esse rebellionem, repugnantiam seu inobedientiam quandam affectionalē carnis contra spiritum, vt homo propter inobedientiam erga Deum suum superiorem, sentiat sibi non obedire suam carnem, Video, inquit, legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Et ita videtur ratio mali consistere, non quòd caro delectatur secundum ea quæ suaui sunt sensibus. Nam & caro naturaliter delectatur, sentiens ea quæ sensum oblectant, secundum vim sensualem ab initio naturæ humanæ insitam, sed in eo quòd homo secundum carnem iam rebellem, sentit modum illicitum contra legem mentis. Sic docuit diuus Thomas, sic & videntur docuisse veteres, & præsertim Augustinus, tradens quòd sub innocentia statu etiā fuisset corporalis motus genitalis membri, sine quo nō possunt coniuges generare, sed rationali voluntati membrum illud seruiuisset non libidini, obediens & ordinatè fuisset motum, quod nūc inordinatè fertur & inobediens, non expectato rationis imperio. Quemadmodum homo nunc manus & pedes in sua mouet officia, nō cōcitatū vlla libidine, ita & homo sub innocentia statu, partes illas genitales voluntate casta & pudica, & non alienata à Deo suo conditore, cū opus erat pro suæ voluntatis nutu mouere poterat in generationis officia. Rursum ne crederemus peccatum illud esse, aliquid naturæ superadditum, contra Iulianum, interpretatur libidinem esse carnis inobedientiam. Libido, inquit, id est, carnis inobedientia, pœna est peccati: ideo cōcupiscentia carnis aduersus quam bonus concupiscit spiritus, nunc est peccatum, inquit, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis. Et alibi, Languor, inquit, iste, id est, inobedientia carnis contra spiritum, est primæ inobedientiæ supplicium. Plane vides Augustinum innixum doctrinæ Apostoli, docere concupiscentiam esse vitium, propter inexistentem inobedientiam. Sic & ipse Apostolus Paulus non simpliciter docet malum esse, quòd caro concupiscat, sed quòd ipsa caro cōcupiscat contra spiritum, & malum esse in eo, quòd ipse agit aliquid quod odit, & quod vult non agere, & legem in membris malum esse, quia repugnat legi mentis. Hæc doctrinam sequutus Thomas docet, habituales inobedientiam voluntatis, siue priuationem subiectionis humanæ mētis ad Deum esse formaliter originale peccatum, pronitatem autem concupiscendi, esse ipsius originalis peccati materiale. Sub innocentia statu si perseverasset homo, non fuisset vlla inobedientia, non rebellio carnis concupiscentis contra spiritum, cū voluisset homo, in suas concupiscentias transiisset caro, sed in tales, quæ nec excederent, nec præuenirent, nec obnubilarent, nec à Dei contemplatione alienum facerent rationalem spiritum. Secundum hanc sententiā diceretur ipse fomes, quem peccatū appellat Apostolus, nō esse qualitas intrinsecæ rationali mētis inimica, quippe qui nihil est aliud,

August. libro. 5.
contra Iulianū
capite tertio.

quàm

quàm vis ipsa sensuales nunc vitiatæ & prona concupiscere contra legem mentis. Secundum priorem autem sententiā diceretur ipse fomes seu concupiscentia esse qualitas intrinsecæ inimica humanæ naturæ, post transgressionem Adæ suborta, Deo peccatum vindicante per vitiosas quasdam in carne qualitates, quæ virtute latent in semine, per quas & rationalis anima propter colligatiam cum eadem carne, suum naturalem perdit vigorem. Id enim experimento videmus, quòd propter corporis ineptitudinem, & interiorum sensuum læsionem, vires rationalis animæ, suis debitis præpediuntur officijs, quemadmodum videmus in amētibus, & stolidis. Nascuntur nunc homines naturaliter iracundi, timidi, impudici, multisq; dispositionibus vitiosis subiecti, quæ sanè qualitates non fuissent sub innocentia statu. Sed contra vtranque sententiā videtur argumētum, Peccatum, iniustitia, seu culpa paruulorum, nō in carne paruulorum, sed in animabus eorum est collocanda. Solus enim rationalis spiritus iustitiæ & culpæ particeps esse potest, non caro quæ peccare non potest. Rursum, Ipsa anima, non caro est, quæ concupiscit, quia & ipsa anima non caro est, quæ cognoscit, apprehendit, & percipit ea, quæ sensum oblectant. Caro, inquit Augustinus, concupiscit, quia anima ipsa concupiscit per carnem, sicut videt per oculos.

Contra utrāq;
sententiā ar-
gumentum.

¶ Pars huius capituli tertia, in qua ad intelligendum quidnam sit malum habitans in carne, seu lex membrorum repugnans legi mentis tractatur de libidine, quam Augustinus docet dominari in omni genere malefaciendi.

VT autem quid sit malum habitans in carne planius intelligamus, & vt videamus quid ex peccato, quid à conditore Deo habeamus, non est inutile præmittere, quidnam sit libido quæ in carne nostra est mortificanda. Primū aduertere conuenit doctrinā Augustini libro. 4. cōtra Iulianū, docentis per quolibet corporis sensum, aliud esse sentiendi viuacitatem, necessitatem, vtilitatem, vsum, ac sensum seu perceptionem voluptatis, aliud verò sentiendi libidinem, seu concupiscentiam carnalis voluptatis. Ipsum sensum, & appetitum, viuacitatem, necessitatem, & vtilitatem sentiendi, Deus condidit instituendo corpus humanum. Sentiendi autem libidinem diabolus seminavit persuadēdo peccatum. Hæc esse discreta, & abinuicem separabilia, saluator ostēdit, Qui viderit, inquit, mulierem ad concupiscendam eā, iam mœchatus est eam in corde suo. Vbi aperit discernitur sensus videndi à concupiscentia seu libidine sentiendi. Libido sentiendi, inquit Augustinus, est quæ nos ad sentiendum siue consentientes mente, siue repugnantes appetitu carnalis voluptatis impellit. Hæc in homine mala est, quia contraria est delectationi sapientiæ & virtutibus inimica. In pecoribus vero non est mala, quia non potest in eis esse sapientiæ concupiscētia, in quibus nec est vis vlla præstantior sensu, nec vlla natura quæ cōcupiscere potest aduersus carnalis sensus appetitum: prosequens hanc materiam ibidem Augustinus exemplis demonstrat per quemlibet sensum, aliud esse sentiendi viuacitatem, vsum aut necessitatem, aliud verò sentiendi libidinem. In visu aliud viuacitas & oculorū vsus, aliud desiderium fruēdi eo quod videmus. Auri decus aliter laudat bonus Christianus, aliter auarus, Iste cum libidine possidendi creaturam, ille cum pietate venerandi creatorem. Per auditū aliud sentiendi vsus, aliud ardor libidinis. Mouetur certè animus ad pietatis affectū diuino cantico audito, tamē etiā illic si sonū non pius sententias audiendi libido audire desideret, improbatur. Ceteri tres sensus, vtpote olfactus, gustus, & tactus, sunt corpulentiores, & in his itidem discernitur appetitus propter necessitatem, vel vtilitatem sentiendi à sentiendi libidine. Per olfactum, aliud narium vsus, & sensus, quo vel ex necessitate, vel propter vtilitatem aliquam hæc aëria respirando & spirando sorbemus. Aliud libi-

Libido quid sit.

M do in

do in hauriendis odoribus. Minimum quidem est hoc, sed qui minima spernit (sicut scriptum est) paulatim decidet. Per gustum, aliud appetitus refectionis seu appetitus edendi atque bibendi, aliud edacitatis libido. Appetitus secundum quem natura desiderat supplementa quae defunt, non libido vocatur, sed aut fames, aut sitis. Dum vero suppleta necessitate, amor seu concupiscentia edendi animum sollicitat, iam libido est, iam malum est, cui est non cedendum, sed resistendum. Sic & in tactu, aliud voluntas coeundi causa propaginis, aliud libido voluptatis. In omnibus sensibus libido non obediendo, sed continendo, & restringendo est comprimenda, tamen interdum in bonum utamur libidinis malo. Deinde & in omnibus sensibus aliud fugere molesta, dura, humano corpori nociva, ut amaritudines, frigora, putores, aspera quaeque, & grauia, haec fugere non libido est voluptatis, sed prouisio necessitatis, vitae, vel utilitatis. Nam cum absque usu sensuum viuere non possumus, praesertim gustus & tactus: indigemus & alimentorum sustentaculis, & aere circumstante. Alimenta si carni nostrae suauia non sint, sumi non possunt, & nauseando saepe respuuntur. Proinde non cibo solum, sed & cibi sapore indiget infirmitas corporis nostri: & idcirco possumus in cibis quaerere suauitatem saporis, non propter exaturandam libidinem, sed propter tuendam salutem. Insuper non solo aere indiget humanum corpus, sed & aeris temperie: & idcirco suauem aut delectabilem quaerere in cibo sapore, fugere frigus, & aestum ad tuendam vitam, seruandamque, incommunitatem corporis, & membrorum eius, quatenus suis debite fungatur officijs, non libido est, sed prouisio vitae. Amplius autem otio, ludo, requie, in canticis & castis colloquijs suauiter audiendis, & picturis, ceterisque similibus, velle pro tempore delectari ad remedium, & solatiu praesentis vitae, non libido est, sed prouisio utilis necessitati praesentis vitae, quod & in alijs declarauimus. Postremum quod in omnibus sensibus, aliud sit sensus voluptatis. id est perceptio carnalis voluptatis, aliud libido voluptatis, patet. Nemo potest efficere, ut sensibilia, cum adsunt carni suae consentanea, suos non oblectent sensus. Nam & etiam sub innocentiae statu, res corporales in deliciarum paradiso, oblectabant ipsius corporis sensus, sed non excedebat tunc praesens delectatio ipsius salutis, tum animae, tum corporis limitem. Libido autem quae (si Augustino credimus) nunc cunctis sese ingerit sensibus, modum necessitatis vitae nos considerare non sinit, obnubilans, & obumbrans mentis iudicium, faciens ut mens iudicet tum necessitati, tum pie utilitati non esse satis, quod tamen est satis. Quo fit ut plerumque existimemus nos agere negotium valetudinis, cum potius agamus negotium libidinis: & ita facit praesens aut voluptas, aut voluptatis cupiditas, ut non plene videre valeamus, ubi finiatur necessitas. Aliud voluptas, aliud cupiditas. Rursus aliud sensus voluptatis, aliud est concupiscentia voluptatis in sentiendo. Opera licita quae sensibus nostris facimus, quamuis non fiant sine voluptate in sensibus, ea tamen velle facere non possumus propter voluptatem. Cibus quem sine voluptate non sumit esuriens, sumere debet non propter voluptatem. Ex sensibilibus rebus delectationem non percipere cum adsunt, non est nostrae voluntatis. Nec rursus est nostrae voluntatis, prorsus non concupiscere sensibilem delectationem in rebus, cum absunt. Nam & saepenumero nobis inuitis, surgit appetitus carnis, re tractabile secundum sensum appetentis propter voluptatem, non propter necessitatem. Verum in quibuslibet actibus restringendus est huiusmodi carnalis voluptatis appetitus. Voluptates corporales Tullius secundum Platonem dixit esse illecebras, easque malorum, motus earum esse philosophiae inimicissimos. Quis bona, inquit, mente praeditus, non mallet nullas a natura nobis voluptates esse datas. Percipiebat Cicero carnem contra spiritum concupiscere, sed hoc vnde

Delectatio sensus
suntis quoniam
modo possit ap-
peti.

Voluptates sunt
esse malorum,
& inimicissi-
me ipsi philoso-
phiae.

acciderit, inquit Augustinus, nesciebat, tamen carnis concupiscentiae non fauebat. Sed & hoc conuenit hic considerare voluptatem in quibusdam sensibus esse tolerabilem, veluti cum non tanta est vis illius, ut mentem sentientis a cogitationibus pertinentibus ad sapientiam abrumpat. De magnis rebus saepenumero inter epulas cogitamus, voluptas etiam in visu & auditu, plerumque auget in Deum pietatis & sanctae meditationis affectum, voluptas vero in coitu, etiam quando ad illam bona intentione accedit homo non permittit mentem sapienter aliquid cogitare, & idcirco concupiscentia huius voluptatis maxime & proprie vocatur libido. Verum fusius accipitur libidinis vocabulum, dicente Augustino, libro decimoquarto de ciuitate Dei, capite decimoquinto, Libido, inquit, generale nomen est ad omnem cupiditatem. Est enim libido uiscendi, quae ira dicitur: est & libido possidendi diuitias, quae auaritia dicitur: est & libido dominandi: est libido vincendi: est libido gloriae, veluti cum quis delectatur in uindicta, in diuitijs, in excellentia. Sed libido cum sola dicitur, non solet intelligi alia libido, quam illa qua obscena corporis partes excitantur, quas sane partes libido ita suo iuri mancipauit, ut etiam ratione cupiente & volente necessitati propaginis deseruire, non moueantur in generationis opus, si libido ipsa defuerit, & nisi ipsa vel ultro, vel excitata surrexerit. Haec tenus Augustinus. Voluptas ergo (si Augustino credimus) sibi non solum totum corpus, nec solum extrinsecus, verum intrinsecus & uendicat, & commouet totum hominem, affectu animi simul coniuncto atque permixto cum carnis appetitu, ut ea voluptas sequatur, qua maior in corporis voluptatibus nulla est, ita ut in momento ipso temporis, quo ad eius peruenitur extremum, penes omnes acies, & quasi uigilia cogitationis obruatur. Quis sapientiae sanctorumque gaudio amicus, coniugalem agens vitam, & sciens uas suum possidere in sanctificatione & honore, non in morbo desiderij, sicut gentes, non mallet si posset sine tali libidine filios procreare? Sed neque ipsi amatores huius voluptatis, cum uoluerint, commouentur, sed aliquando in eis est motus importunus, uoluntate eorum non possente, aliquando autem destituit inhiantem, & cum in animo concupiscentia ferueat, friget in corpore: secus in ceteris corporis membris accidit. Quatumlibet enim quis fuerit aut iratus, aut cupidus furti, uictoriae, vel alterius rei, neque lingua neque manus, neque pedes exurgunt in opus, nisi uoluntate iubente, quae & absque tali etiam affectione mouentur in opus secundum uoluntatis imperium. Sola uero obscena nostri corporis membra, quae & ob id iusta ratione appellantur pudenda, suos importunos habent motus, quod & supra satis declarauimus. Et idcirco uenerabilis Augustinus in libris contra Iulianum & Pelagianos, peculiarem habuit constitutum de libidine hac uenerae voluptatis, adeo ut multis in locis uideatur definire huiusmodi concupiscentiam, sic specialiter acceptam, esse originale peccatum, quod per unum hominem intrauit in mundum, cuius rei intellectum iam mox differemus. Ex hoc iam non est inutile considerare geminos in nobis exurgere motus contra nutum uoluntatis. Sunt motus quidam importuni, foris in illa obscena corporis parte exorti absque nutibus nostrae uoluntatis, & tales motus sunt quidam carnis pruritus, non improbitates animae appetentis, & pro huiusmodi uitioso motu, qui non fuisset sub innocentiae statu uenerabilis Augustinus, in libro de fide ad Petrum accipit libidinem, cum dicit, Originale peccatum transmittit ad paruulos non propagatio, sed libido, libidinem intelligens non improbam uoluntatem, quia talem non oportet in omni commixtione concurrere, sed corruptionem uitiosam, quam paruuli contrahunt ex Adam, contrahunt inquam, non ratione propagationis, quae fuisset sub innocentiae statu, sed ratione naturae propagatae ab Adam uitiatae, quae est & in ge-

Libido genera-
le nomen.

nerante & in semine, qualis non fuisset, si nemo peccasset. Alij verò sunt motus quos vocamus passionis intus in anima, cuiusmodi sunt concupiscentiæ & desideria voluptatis. Interdum, inquit Augustinus, concupiscentia in animo feruet, & friget in corpore motus. Atque ita fit, vt lasciuienti libidini voluntatis, libido carnis nõ seruiat. Vide super his doctrinã Augustini. 14. de ciuitate Dei. Et libro quarto contra Iulianum, & in libro de nuptijs & concupiscentia, & reliquis libris multis, in quibus ipse de libidine multa disseruit.

Hic iam si roges, cur August. suis in libris tam multa de libidine disseruit dicens, nunc libidinẽ esse accidens vitiũ, & eam esse inimicã sapientiæ, nunc ex libidine omnia esse peccata, & libidinem dominari in omni malefaciendi genere, & nos nihil bene operari, aut ex libidine, aut propter libidinem, & cætera id genus alia, cum tamen scriptura in paucis admodũ locis huius libidinis meminerit.

Respondeo. In omnibus passim scripturæ locis, libido est res nota sub nominibus concupiscentiæ, morbi, desiderij, peccati, languoris, infirmitatis, cupiditatis. Verũ & hic obiter est cõmemorandũ vocabulum libidinis multis modis accipi. Nunc specialiter pro appetitu voluptatis secundum tactũ: nunc pro carnis pruritu seu motu genitalis membri: nunc generalius pro appetitu, vel pro motu appetitus sensitiui appetentis rem tractabilem, secundũ sensum contra legem spiritus: nunc generalissimẽ pro motu voluntatis, vel auertentis sese à Deo, vel improbẽ rem temporalem appetentis. Et sic dicit August. in lib. de libero arbitrio, Libidinem dominari in toto malefaciendi genere. Omne enim opus malefactum est ex improba voluntate: nunc pro affectionali qualitate, seu pronitate voluntatis propensã, atq; procliuius ad talem motũ. Sic August. cũ dicit in lib. de fide ad Petrũ, q̄ non propagatio, sed libido transmittit ad paruulos originale peccatum, libidinẽ accipit non pro appetitu voluptatis, nõ pro carnis pruritu, nõ pro improba voluntate generãtis, sed pro habituali pronitate, inobediẽtia seu rebellionẽ, qua proles genita de carne Adam procliuius est ad cõcupiscendum cõtra legem mentis. Hactenus de libidine sentiendi, hoc est, de concupiscentia voluptatis prodeuntis ex actu sentiendi. De hac enim voluptate peculiariter loquutus est in supradictis locis August. quæ nõ contingit absq; eo quod res aliqua sensibilis ita iungitur carni nostræ, vt corporeum imputet sensum.

Tam si roget quispiã quænã & qualis, & vbinã sit huiuscemodi libido, quæ sic cunctis sese ingerit sensibus, an sit in carne, an in sensibus, an in hominis anima.

Ad hoc facilius respõdere poteris, si cõsideres libidinem huiuscemodi esse in homine concupiscentiam, aut appetitum, seu desiderium eius, quod secundum sensum libet, placitum seu delectabile est. Hoc autem cõsiderato, manifestum erit, quod quæritur, si ex his, quæ contra Manichæum dicemus in nouissimo tractatu huius libri tria cõsideremus. Primum quod neq; sola caro cui præsidet anima, neque sola anima sine carne sensibilibus delectatur. Deinde quod sensibiles actus & transmutationes sunt totius hominis, vt subiecti, & ipsius animæ, vt principij. Tertium quod eadem est in homine anima, quæ carnalia sentiens cõcupiscit aduersus semetipsam spiritualiter sapientem. Ex quibus consequens est, eandem esse animam, quæ contrarijs æstuat concupiscentijs atq; appetitibus.

Libido igitur, quæ se cunctis ingerit sensibus, est vel in toto homine, vel in anima, vel in carnalibus sensibus. Anima rationalis carni, sensibusq; carnalibus colligata trahitur & illicitur ad carnaliter condelectandum, quia corpus quod corrumpitur, aggrauat animam rationalem, deprimitq; internum illius sensum. Caro cõcupiscit, quia anima, inquit Aug. per carnẽ cõcupiscit. Verũ impresentiarũ nobis sermo est nõ de hac crassa seu carnali cõcupiscentia solum, sed de omni concu-

piscentia praua generaliter dicta, quam dicit Ioannes euangelista non esse à patre, quæ non est aliud quàm diligere vanitatem & quærere mendaciũ, id est, rem vanam & caducam suis aut blanditijs, aut illecebris fallentem, atque perturbantem veram serenitatem humanæ mentis, secundum quam significatiõnem definiuit August. libidinẽ in lib. de mendacio. Libido, inquit, est appetitus animi, quo aternis bonis temporalia quæque præponuntur. Quemadmodum enim crassa illa carnalisq; libido cunctis sese ingerit sensibus, versantibus super res huius mudi corporales. Ita & libido quædam animalis intellectuuo se ingerit appetitui, intendenti super res creatas prorsus alienas ab apprehensione nostri sensus. Cuiusmodi sunt ipse rationalis animus, sapientia, fama, decor virtutis aut iustitiæ præsentis vitæ. Vnde & damnabiles fuerunt philosophi docetes sapientẽ frui debere aut animo suo, aut animi sui sapientiã vel virtute, vel decore honestatis præsentis vitæ. Diabolus cũ nõ potest animã fallere per libidinem illã crassam & cõdã, nobis pecoribusq; cõmunem, id maxime conatur, vt etiã reb⁹ ipsis spiritualibus libidine quadã immergamur. Videmus filios huius seculi, qui cupientes in hoc mundo habere quo fruantur, tam vehementer affectare excellentiã artis, sapientiæ honorem, laudem, gloriam, vt non repudient laborem vllum, tantummodo vt possint vel alijs doctiores reputari, honoratiores & excellentiores haberi præ cæteris, vel in pace & tranquillitate suis frui filijs, vxoribus, possessionibus, delectati libidine aut possidendi, aut viuendi in hac vita sub splendore quodã naturalis honestatis, qui neq; falsis testimonijs, neq; adulterijs, neq; periuurijs vellet offendere quenq;. Sed vniuersa quæ sub sole sunt, esse vana, & rationalem animũ nõ posse frui vlla re creata, sapientissimus ille Salomon declarauit in Ecclesiastico, planẽ docēs omnia extra Deũ, etiam sapientiã, sobrietatẽ, castitatẽ, cæterasq; huius mudi virtutes, quibus nõ in Deo quiescit anim⁹, esse vana quædã & caduca, librũ suũ ita cõcludens, Deũ time, & mandata eius obserua, hoc est, ois homo. Nobiles quidẽ sumus creaturæ, & magni cuiusdã animi, naturaliter appetentes vitã bonã, iucundã, sapientiam, honestatem, altitudinẽ, sublimitatẽ, opes, gloriã, & honorẽ, cæteraq; bona, quæ partes quædã sunt beatitudinis, in quã nos venturos, Christo liberante & adiuuante speramus, sed vñ nobis, si hæc bona extra Deũ quærimus. Ipse Deus est vera animi nostri vita, potus & cibus, sapientia, gaudiũ, diuitiæ, gloria, cõsolatio, & vt generaliter dicã, ipse erit omnia in omnibus, ipse est sapientiã, qua veniente, veniunt, & cum illa pariter omnia bona.

¶ Pars huius capituli quarta, in qua per cõsiderationes aliquot declaratur, quid sit malũ habitans in carne, seu lex carnis, quam fomitem appellamus.

His igitur cõsideratis pro dissolutione eorum, quæ in principio primæ par-

tionali, ipsa tamen in anima nascitur ex consortio cum vitiata carne, cui ipsa anima colligata, sit carnalibus, terrenis, temporalibusue affecta, prona ferri præceps in queuis occurrentia obiecta, quæ carnem oblectant. Huc tendit, quod dicit Augustinus, vitium concupiscentiæ esse, quod anima ex carne contraxit. Et Ambrosius, Corpus per peccatum, inquit, corruptum est, robur tenens sententiæ datæ in Adam, cuius consortio anima ipsa maculatur. Sunt qui solent hoc demõstrare exemplis, quemadmodum, inquit, vinum bonũ transfusum in vas corruptum, suum naturalem perdit vigorem, contrahens saporem quendam alienum. Ita & anima dum in carne vitiata incipit esse, suum naturalem perdit vigorem, carnalis crassaq; efficitur, & prona ad concupiscendum ea quæ carnis sunt, habitualiter cæca, & auersa ab his, quæ Dei sunt.

Concupiscentia generalis nomen

Cõsideratio prima.

Libido variis accipitur modis

Consideratio secunda. Quamvis ex Adæ peccato contrahatur originalis culpa, quæ in vnoquoq; filio Adæ vnica est, omnes tamē animæ vires sunt factæ ex peccato Adæ inordinatæ, totaq; natura humana in deterius est mutata, tam in corpore q̄ in anima, & in omnibus suis potentijs, in cōcupiscitiua, & irascitiua, & in rationali, quemadmodum patres definierunt in concilio Mileuitano. Si quis per offensam præuaricationis Adæ non totum, id est, secundum corpus & animā, in deterius dicit hominē cōmutatum, aut ipsius Adæ præuaricationē soli Adæ, & nō eius propagini no cuiſſe, aut solam mortē corporis, & non peccatum, in posteros tranſiſſe, contradicit Apostolo Paulo dicenti, Per vnum hominem peccatum intravit in mundū. Sicut ergo vnus sanitatis corruptio est vna febris, qua diuersæ corporis partes grauantur, vna quoque corruptione chordæ, qua diuersa ligantur ac continentur, laxantur & cætera omnia. Ita & omnes animæ vires, quæ fuerant colligatæ in vna originali iustitia laxantur, effrenesq; prouūt soluta hac originali innocentia.

Consideratio tertia.

Quemadmodum actuale peccatū principalius est in voluntate, q̄ in ceteris viribus & membris, quæ ceu instrumēta quædam mouentur in opera externa, in quibus culpa nō est aliā à culpa voluntatis, ex cuius imperio hæc mouentur. Sic & originalis culpa principalius est in voluntate, quæ in primi hominis præuaricatione à Deo sese auertens, magis auscultans ad suggestionem serpentis, q̄ ad præceptum Dei iubentis, facta est fugitiua à Deo, atq; ita eadem voluntas iusto Dei iudicio sibi derelicta manet, habitualiter & à Deo auersa, secundum auersionem, quā in sese ipsa voluntas fecit & prona sese amare, & neglecto Deo suo conditore.

Verū hic sciendum, q̄ malum habitans in carne incepit esse in Adā, modo quodā cōtrario ei, secundū quē incipit esse in nobis. Nam in Adam peccatū illud ex anima descendit in carnē, in membra, & in vires, quibus ipsa volūtas Adæ vsa est actualiter peccando. Atq; ita in eo ratio corruptit partē sensualem, & voluntas carnē. In nobis autē originalis culpa, corruptioq; animæ & virium eius redundat in animā ex cōsortio carnis, atq; ita in nobis contrarius est processus in originali peccato, & in peccato actuali: nam in actuali peccato, culpa ex voluntate animæ redundat in carnē, in membra, & in vires ipsius. Et quis plerūq; voluntas ad actū peccati ex sensualitate excitetur & stimuletur, culpa tamē actualis peccati, nequa quā est in sensualitate, nisi ex culpa voluntatis deficientis aut negligentis vigilare super greges virium & cogitationum suarū. In originali autē peccato, sicut iā diximus, culpa ex carne venit in voluntatē & in animā, nō quia in carne, aut in semine est culpa originalis, sed quia ipsius originalis peccati culpa cōtrahitur ex carne nō ex anima. Nō enim ex eo quod à solo Deo creāte accipim⁹, sed ex eo quod de Adā habemus, peccatum originale natū est. Et hæc de causa Paulus Apost. peccatum hoc appellat, malum habitans in carne, & legem in mēbris carnis suæ.

Consideratio quarta.

Nō oportet in ecclesia facere schismata, aut rixas & cōtentiones pertinaciter adferre super quæstionibus quibusdā, quæ de huiuscemodi rebus ad vtramq; partē probabiliter possunt disputari, salua pace & vnitāte fidei catholice. De cōsonantia omnium virium in homine, quæ ratione possunt moderari sub rationis imperio & dominio, qualis erat perfecta in paradiso ante peccatū, quidā dixerunt hanc fuisse per donū aliquod gratuitum humanæ naturæ superadditū, sicuti cōmunis & probabilis tenet magistrorū sentētia, docens propter originalis iustitiæ donū, ceu frænum quoddā, ac gubernaculum animum hominis, omnia plenē habuisse subiecta sub libero suæ rationis arbitrio. Alij verò dixerūt huiusmodi cōsonantiā voluntatis sub Deo, omniumq; viriū inferiorū sub eiusdē voluntatis imperio fuisse ipsam naturę integritatē à Deo, cui⁹ perfecta sunt opera, sic institutā, vt immortalis esset, nulla secū rixa pugnās, in qua & omnia rationi cōsonarent.

Cæterum

Cæterum quamvis firmissimè credendum sit, animam ex conceptione carnali ab Adam contrahere originale peccatum, & infici morbo cōcupiscentiæ, modus tamen, secundū quē anima ipsa rationalis possit inquinari ex cōsortio carnis, à diuersis diuersimodè assignatur. Insuper & de fomite seu pronitate cōcupiscenti, sentētiæ sunt variæ, sicuti iam patuit. Quidam dicunt eā in se à cōditore naturæ inditā humano generi, sed eam ex peccato factā esse peccatū, dū ex amissione originalis iustitiæ facta est effrenis rebellisq; spiritui. Atq; ita extra naturā primę dispositionis suæ extendens desyderia. Fuiſſet, vt docet Augustinus, anima ante peccatum delectata secundum obiecta sensibus cōuenientia, sed tali delectatione, quæ neq; excederet, neq; præueniret, neq; obnubilaret, aut impediret iudicium rationis, quamdiu homo ipse Deo suo subditus remaneret. Homo verò dum peccatō rebellis Deo fuit, ilico Deo illum deferēte animę vires in sua prouerūt obiecta præcipites non expectato rationis imperio. Atque ita dicunt animam ex consortio carnis de Adam inquinari pronitate quadam deprimente illam à Deo in carnalia, non quod caro per se eadem qualitatem aliquam sibi inharētem, agat in animam vllam affectionalē qualitātē, qua orientur praua desyderia, sed quod ex ipsa anima, & ex carne de Adam fit filius Adæ, qui iusto Dei iudicio in eodem Adam reus mortis factus, originali quē iustitia destitutus, iam sibi dimissus cum carne in terrena dilabatur. Alij veluti Bonauentura & Gregorius Ariminensis, & cæteri nonnulli dixerunt fomitem hunc esse vitium quoddam in anima non à Deo infusum, non ex operationibus acquisitum, sed ex se eadem qualitate carnis ab Adam propagatæ contractum, & esse veluti affectionalem quandam qualitatem ex qua orientur motus illiciti contra legem mentis, quæ in carne semper manet etiam ipsa carne non commota temptatione vlla concupiscentiæ, sicuti timiditas inest paruulo etiam, qui actu non timet. Addunt præterea, & philosophos talem habitum non cognouisse, vt peccatum & accidēs humanæ naturæ vitium ex peccato subortum, sicuti dicit Augustinus libro quarto contra Iulianum cap. 16. Tullius rem vidit, sentiens se ad libidines prouum, sed causam nesciuit, latebat enim eum cur esset graue iugum super filios hominum. Et dū istis obijcitur corpus non posse agere, aut producere qualitatem vllam in spiritum, non in aliquo agente sensu, aut spiritui, Respondent hoc falsum esse. Nam & animam contrahere qualitates vitiosas ex consortio vitiatū corporis videtur, inquit, manifestum, nam & anima iā separata, si vniretur corpori vulnerato, aut sic disposito, vt sunt corpora in phreneticis, & furiosis, mox dolere inciperēt, & prona fieret ad phreneticos actus. Item si vniretur carni infectæ lepra, aut scabie, fieret homo leprosus aut scabiosus. Caro in se absq; anima quantūlibet praua dispositione vitietur, aut scindatur, vel tangatur, neq; dolet, neq; demens est, aut stulta, neq; memoratur, aut obliuiscitur. Anima verò iūcta carni mortali, secundū varias dispositiōes carnis, dolet, stultescit, memoratur, aut obliuiscitur, etiam ea quæ prius nouerat. Sic animus, inquit, fit in libidine pronus ex consortio carnis vitiatæ se eadem qualitate. Et interrogati, caro ab Adam propagata si malam & vitiosam habeat qualitatem, ex qua in anima generetur languor ille concupiscenti, secundum quem ipsa anima dum eidem carni coniungitur, fit prona concupiscere contra legem mentis, vnde igitur illa vitiosa qualitas in carne producta est, an à Deo, an à diabolo, an à parentibus? Respondēt inquit Augustinus in Hyponost. responsione quarta, quod flatu venenosi serpentis, in quo diabolus tentauit primos parentes, caro illorum tali qualitate infecta est, Deo permittente, & hominis peccatum iusta ratione vindicatē. Nec mirū inquit Augu. cū etiam sibilo quorundā serpentū homines interdū afflati, subito integreāt. Atq; ita languor ille, inquit cōtrahitur ex qua-

Alij non sententia de originali peccato.

ex qua-

ex qualitate vitiosa existente in semine, iuxta sententiam Iob prophetae dicentis, Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Et hanc suam sententiam conantur demonstrare per doctrinam Pauli Apostoli ad Roma. ex qua Augustinus in libris omnibus contra Pelagianam heresim scriptis manifeste docet peccatum illud, quod per unum hominem intrauit in genus humanum, esse malum illud in carne habitans quod hominem ad concupiscendum inclinatur, quod & paruulum facit pronum ad concupiscendum, adultum autem concupiscentem reddit. Ab hoc inquit, malo oriuntur concupiscentiae & desideria, quibus oportet non obedire. Ex quibus omnibus nonnulli sacrae theologiae tractatores, putant concludendum esse, peccatum originale quod per unum hominem intrauit in hunc mundum, non esse carentiam originalis iustitiae, cum de hac scriptura nihil dicatur, sed hanc potius esse effectum peccati. Quemadmodum carentia gratiae, effectus est actualis peccati mortalis. Quia sicuti propter actuale peccatum mortale, Deus non infundit homini gratiam. Ita propter originale peccatum, inquit Ariminensis Gregorius, non largitur originale iustitiam. Verum hic sciendum supradicta argumenta non demonstrare, neque vili unquam sacrae theologiae interpretes dixerunt ipsam carentiam originalis iustitiae, aut ipsam concupiscendi pronitatem, in se esse peccatum & culpam. Nam & secundum omnes ecclesiasticos patres, utrumque malum manet in homine iusto per Christum regenerato, cui iam originalis culpa per Christi sanguinem remissa est, non restituta illi originali iustitia, quae erat ante peccatum, nec destructa in eo hac carnali concupiscendi rebellione, quae intrauit per Adae peccatum. Et ideo in huiusmodi questionibus, quae ad utramque partem, salua pace, & unitate catholicae fidei disputari possunt, non oportet schismata facere inter ecclesiae membra. Nam originale peccatum, siue dicatur esse formaliter originalis iustitiae carentia, siue carentia subiectionis humanae metis sub Deo, & aliarum virium sub mente, seu auersio habitualis a Deo siue ipsa concupiscentia ex veteri Adae orta, culpabilis non est, nisi quia est ubi esse non debet. Et idcirco neque ipsa concupiscentia, neque ipsius originalis iustitiae carentia, quantumlibet in homine maneat, reputatur amplius in peccatum iis qui sunt in Christo Iesu regenerati, secundum usum loquendi, quem seruat Augustinus originale peccatum per baptismum transire reatu, & manere actu, seu essentia, iuxta sententiam Apostoli ad Roma. 8. dicentis, Scio, quia non habitat in me, hoc est in carne mea bonum. Video legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, sed nihil nunc damnationis est his, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulat, ubi aperte insinuat, peccatum illud remanens in carne, de quo in superiori capite loquutus fuerat, obesse ad interitum damnationis aeternae hominibus nondum in Christo regeneratis, etiam quamuis non secundum illud peccatum uiuant, quales sunt paruuli, qui nondum possunt illi malo consentire.

Peccatum post baptismum mei actus & trā sit reatu.

Consideratio quinta.

Multi in eodem paruulo fomites seu affectionales qualitates, sunt unum peccatum unitate culpae seu iniustitiae, quae est originalis iniustitiae carentia, per quam & sublata est subiectionis humanae mentis in Deum, & auersa est habitualiter anima ab ipso Deo suo conditore, & sequuta est habitualis quaedam inobedientia virium animae, & pronitas concupiscendi in appetitu contra legem spiritus. Illam enim rationem assignat ex scripturis sacris venerabilis Augustinus, docens carnalis voluptatis concupiscentiam, idcirco malum esse, quia inest illi inobedientia contra legem metis. Et ita quantumuis multipliciter ipse qui nascitur paruulus sit pronus concupiscere, solum tamen est una ratio culpae propter quam Deo displicens paruulus ipse reus est damnationis, in ira illius constitutus, & haec est culpa seu iniustitia, secundum quam paruulus non talis est qualem Deus eum condidit, iam factus a Deo fugitiuus, pronus qualibet voluptate frui, propensusque fornicari cum amatoribus

toribus multis, qui conditus est ad Dei imaginem ac similitudinem, ut illius solus frueretur bonitate, cuius solius amplexu veris & castis foecundatur virtutibus.

Ex his poteris considerare peccatum originale, quod est unum unitate culpae esse multa virtute, sicut multa latent in semine, quae sub tempore prodeunt ad oculos. Ita & fomes omnium peccatorum est seminarium, quamobrem iuxta rationem prophetae deplorat se esse conceptum in iniquitatibus multis, & peccatis multis, id est, in peccato quod est multarum iniquitatum origo. Super quo si placeat. Vide Augustinum in Enchiridio cap. 45. Insuper & originale peccatum consistens formaliter in priuatione originalis iustitiae, secundum quam iustus erat primus homo, est multa per redundatiam vitiorum in omnes vires rationalis animae.

Originale peccatum unum est & multa.

Consideratio sexta.

Originale peccatum quod est malum habitans in carne, est iniustitia quaedam veluti habitualis inobedientia, rebellio seu pronitas carnaliter concupiscendi contra spiritum, manetque post susceptum baptismum, sed quia remissa est eius culpa, idcirco homo propter peccatum illud inhabitans, suosque motus pro loco & tempore inopportune operans, non manet reus damnationis aeternae, si non obediatur illicitis eius motibus. Haec, sicuti saepe iam diximus, est Pauli Apostoli doctrina, ad Roman. 5. 6. & 7. Vbi cum dixisset, peccatum in unum hominem intrasse, & per gratiam nos fieri mortuos huiusmodi peccato, ut non amplius regnet in nobis, quamuis maneat habitans in nobis, & idcirco se in hac vita adhuc esse carnalem, venundatum sub peccato, & non agere bonum, quod vult agere, sed facere malum quod odit, & non se, sed peccatum in se habitans operari illud, & se seruire legi Dei secundum mentem, sed adhuc seruire legi peccati secundum carnem.

Seruire legi peccati secundum carnem.

Seruire inquam non obediendo quidem, & secundum desideria peccati uiuendo, sed motus inobedientiae secundum carnem sentiendo: & se tandem liberandum ab huiusmodi malis per gratiam Iesu concludit cap. 8. Propter huiusmodi peccatum inhabitans suos operans motus, caeteraque mala nihil damnationis esse his, qui sunt in Christo Iesu regenerati, qui tamen carnales sint, & venundati sub peccato habentes in se peccatum, tamen non secundum peccatum ambulat. Lex enim spiritus, quae est charitas in Christo Iesu, liberat eos a lege peccati, non ut peccatum amplius non sit in eis, sed ut non amplius dominetur eorum. Et haec est sententia, quam venerabilis Augustinus in multis locis contra Pelagium scriptis, docet peccatum istud originale post susceptum baptismum manere actu, & transire reatu, hoc est, manere ipsum fomitem, seu pronitatem inordinate concupiscendi contra spiritum, sed propter illam pronitatem, animam, iuxta Pauli Apostoli doctrinam, non manere damnationis ream, quia reatus ille est regeneratione solutus. Apostolus Paulus dicens nihil damnationis esse his qui sunt in Christo Iesu regenerati, si non secundum carnem ambulat aperte insinuat, his qui non sunt in Christo Iesu aliquid damnationis esse etiam, etsi non secundum carnem ambulat, & id quidem propter malum illud habitans in carne. Non sunt igitur multae in eodem paruulo originale culpae, quamuis in eodem fuerint plura originalia vitia, & multiplices concupiscendi pronitates. Rursus per originale peccatum, cum totum donum originalis iustitiae sit ablatum & priuationes totaliter aliquid priuantes, veluti mors & tenebrae nequeat magis & minus suscipere, consequens est, nec in uno homine esse originale culpam grauiorem, in altero minorem, tamen alter sit altero magis vel minus ad vitia procliuus. Postremum originalis culpa, nec in semine est, nec in carne, quamuis semet ipsum decifum sit multipliciter vitiatum & aliter dispositum quam fuisset si nemo peccasset. Quod autem Apostolus exponit, scio quia in me, hoc est, in carne mea, non habitat bonum se dicit esse carnem suam & in carne habitare peccatum. Exponit autem ut auferret occasionem erroris, ne quis arbitra-

Apostolus quia carnis exponat se esse carnem suam.

Peccatū cur di-
cit Apōst. habi-
tare in carne.

arbitraretur Apōstolum velle dicere in sua mente, ac voluntate non habitare bo-
num. Vt ergo daret intelligere bonum habitare in se, id est, in mente, & in volun-
tate sua, sed tamen malum habitare in se, vt carnaliter ab Adam propagato, expo-
nit in me, hoc est, in carne mea. Ac si dicat, Huius mali non voluntas mea, sed ca-
ro ab Adā propagata est causa. Vnde solet dici originale peccatum esse in carne
non sicut in subiecto, sed sicut in causa. Verum secundum mentem Apōst. pecca-
tum habitat in carne illa, quæ cōcupiscit aduersus spiritū. Hæc autē est non cor-
pus cui præsidet anima, sed vel ipse totus homo, vel anima, quæ carnaliter concu-
piscit iurgium, hoc est, vel ipsius animæ, vel totius hominis iurgiū. Vnde & con-
tinuò reddēs causam scientiæ, qua videlicet sciat in se, hoc est, in carne sua nō ha-
bitare bonum, continuò adiecit, Nam velle adiacet mihi, perficere non inuenio.
Ac si dicat, Plane vides cur ego exponam, In me, hoc est in carne mea, vt non in-
telligas. In me, id est, in mente & in voluntate mea, quia bene velle adiacet mihi,
& ego ipse mea mēte, id est, rationali voluntate seruiō legi Dei, carne verò seruiō
legi peccati, non concupiscentiæ carnali consentiendo, sed motus importunos il-
lic sentiendō, & ita non inuenio in hac vita perficere. Perficere bonum, inquit
Augustinus, est non concupiscere vnquam: vnde in libro de continētia capite. 3.
nunc fieri bonum potest, vt malæ concupiscentiæ non consentiamus potestq; ad-
iacere bona voluntas nobis, perficietur autem bonum, quando ipsa mala concu-
piscencia finietur. Sed de his, & de iurgio animæ, & malo habitante in carne la-
tius in nouissimo tractatu huius libri. Nunc autem nō oportet inquietari animos
piē studiosos & curiosē scrutari vtrum in semine, vel in carne sit fœda vlla qua-
litas aduentitia naturæ humanæ per Adæ peccatum, ex qua inficiatur anima pra-
ua quadam qualitate affectionali, quam sacræ theologiæ magistri consueverunt
appellare fomitem, seu prouitiatē cōcupiscendi. Potest enim illa quæstio ad vtrāq;
partem disputari salua hdei catholice vnitate, sed sufficiat in presentiarum scire,
quod etsi post Adæ peccatum in corpore humano sint malæ dispositiones corpo-
rales, & affectionales qualitates corruptionesq; pœnales in splene, in epate, in ce-
rebro, in cæterisq; membris redundantes in animam, quibus alius est naturaliter
timidus, alius verò iracundus, alius in libidinem procliuior, originale tamen
culpam esse non in semine, aut in carne, sed incipere esse in anima ex carne per
Adæ peccatum vitiata, & mortalitati subiecta, eandemque animam ex consortio
carnis ab Adam propagatæ factam esse pronam ad concupiscendū contra legem
mentis. Vnde etiam homo ante lapsum, quantum est ex principijs naturæ corpo-
ralis constitutæ ex quatuor elementis sibi derelictus fuisset moriturus, secundum
legem autem originalis innocentie per lignum vitæ, & secundum prouidentiam
Dei peculiarem custoditus, si in bono quod acceperat perseverasset, mansisset im-
mortalis, quemadmodū & natura humana in Christo innocentissima secundum
humanam naturam mortalis fuit, senioq; naturaliter dissolubilis, quamuis & ipsa
natura in Christo fuerit prorsus sub ipsius potestate, & dominio. Deinde & natu-
ra humana est in quolibet indiuiduo incorruptibilis secundum formam, id est,
secundum animam rationalem, quæ cum propriam habeat operationem imma-
terialem nō est subiecta materiæ corporali, perinde atq; formæ cæterorum cor-
porum, quæ pereunt corruptis corporibus.

Ex horum consideratione facile potest quis intelligere temperaturam illam,
seu consonantiam omnium virium sub imperio rationis nō fuisse hominis secun-
dam naturam eius constitutam ex anima rationali & carne, sed secundum pecu-
liarem gratiam Dei dantis primo homini, vt inquit Sapiens, virtutem continendi
omnia, per quam non solum inferiores animæ vires, sed & totum corpus conti-
nēba-

nebatur sub rationalis animæ imperio, per quam & corporales defectus, vt mors,
morbi, & humorum corruptiones poterāt cohiberi. Per peccatum autem amissa
virtute hac, quæ erat originalis iustitia, iam natura humana sibi relicta secundum
diuersitatem naturalium complexionum diuersimodè mouetur. Hactenus ergo
de originali culpa de peccato habitante in carne, dicta sufficiant. Argumenta ve-
rò, solutionesq; eorum, quibus hæretici conantur probare, concupiscentiam car-
nis, stimulum veneris, seu pruriginem libidinis, esse naturale bonum, infra pate-
bunt in secundo tractatu libri secundi.

¶ *Capitulum quartum, in quo cōtra hæresim superius in primo capite tractatus huius re-
citatum demonstratur, omnes huius vitæ miseriae supra humanum genus esse non
conditiones naturæ, sed supplicia culpæ.*

I Am superest ex scripturis sacris ostendere falsam & impiam esse sententiam
eorū, qui dicunt mortē, oēm afflictionem & miseriam, vt pote famē, sitim, labo-
rem, & molestiam in humano genere esse cōditiones naturæ, non supplicia pri-
marie culpæ, contra quā sententiā iam olim in concilio ex scripturis sacris eccle-
siastica traditione definitū est miseriae cōditionis humanæ in hac lachrymarum
valle esse nō de institutione creatoris, sed ex retributione iudicis, hoc est, eas esse
non conditiones naturæ, sed supplicia culpæ. Fuerunt super hac re iā olim hære-
tici, intelligentes textum in lib. Gene. pravē, qui exponebāt, Quocunq; die come-
deris ex eo, morte morieris, esse accipiendum de morte animæ nō de morte cor-
poris. Neq; enim Adā, inquit, corporaliter fuit mortuus in die quo comēdit de
fructu. intelligitur ergo, inquit, de morte animæ per peccatum, de qua & scri-
ptura dicit, Anima quæ peccauerit ipsa morietur. Hæc autē quamuis ex supradi-
ctis sint manifesta, adeo vt sufficere debeat verbū Apōst. dicentis, Per vnū homi-
nem peccatū in hunc mundum intrauit, & per peccatū mors, tamē ad habēdum
intelligentiā scripturarum, quæ inter se pugnare vidētur, & ad sciendū quonam
modo huiuscemodi mala inuaserunt genus humanū, operæ prætiū est in his pau-
lulū immorari, & contra eos, qui quicquid ipsi nō legerint, subvertere molūtur,
ostendere hanc esse nō recentē, sed antiquā, & oīum ecclesiasticorū patrū doctri-
nam, Irenæi, Tertu. Orig. Hesiichij, Basilij, Athanasij, Chriost. Amb. Hiero. Aug.
& cæterorum interpretantium primū, secundum, & tertium cap. libri Genesij.
Ex quibus omnes hactenus docuerunt Adam & Euam à Deo cōditos, esse rectos,
non subiectos vllis corporum necessitatibus, non doloribus & tristitijs, non an-
xietatibus, non illecebris vllis, eosdem autem postea transgredientes legem hu-
iuscemodi malis factos esse obnoxios, & quasi è magnis diuitijs redactos in extre-
mam inopiam. Benedixerat Deus cuncta quæ fecerat, neque vlla adhuc maledi-
ctio erat. Cæpit autem Deus maledicere, cum creatura ipsa rationalis cæpit ma-
lefacere. Ipsa terra, ipsa animantia, Adam insuper & Eua ante præuaricationem
leguntur benedicta. Super omnia autem post præuaricationem venit maledi-
ctio. Post peccatum vocauit Deus Adam, & clamauit dicens, Adam vbi es, ac si
dicat, Alium te condidi & reliqui, alium te inuenio, gloria & honore, immorta-
litate, securitate, & tranquillitate conscientie, omnibusque diuitijs decoratum
te reliqui, nunc te nudum video. Attende igitur vnde tibi hæc miseria, quis latro
vel fur tibi hæc abstulit, quis coegit, quis vim intulit? Neq; enim simplici & in-
terrogatorio modo, inquit Tertu. legendum est, Adam vbi es, sed imputatio &
inreputatio, loquebatur Deus, quasi imputans & increpans illum ex sua ineffabi-
li misericordia. Et prosequēs ibidem, docet omnem afflictionem, laborem, sudo-
rem, spinas & tribulos, erumnas quoq; parturientiū, & detruisionem extra paradī-
sum delictiarum, deiectionem insuper humani generis in hæc lachrymarū vallem
esse

Deus caput ma-
ledicere, dū cre-
atura caput ma-
le facere.

esse sequuta propter nostrorum parentum inobedientiam, Deo grande illud peccatum ipsorum vindicante. Neq; enim ante, sed post commissum peccatum dicitur Adæ, Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno de quo præcepit tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo. In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, spinas & tribulos germinabit tibi. Tibi, inquam, id est, contra te, & ad laborem, & afflictionem tuam, quæ prius tantum ad passum fuissent animalibus nata. In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Deinde significans mortem corporis merito eiusdem inobedientiae esse sequutam, continuo adiecit, Donec reuertaris in terram de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Ac si dicat illi Deus, Ego constitui te in honore, volens te omni felicitate frui, & citra laborem & dolorem vivere, liberumq; esse ab omni mœrore & tristitia, sed quia non ut oportet usus es tanta prosperitate, propterea tibi frantum impono, ne amplius lasciuias, ad erumnas, labores, sudores & dolores te condemnans, & demum quasi refricans illi ad memoriam verba serpentis, qui mentitus illi fuerat, cum diceret, Nequaquam moriemini, sed eritis sicut Di, scientes bonum & malum, iam impropere dicit illi, Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis, sciens bonum & malum. Insuper mulier, quæ ante peccatum masculo in adiutorium, & quasi in sociam non in subiectionem erat destinata, post peccatum in doloribus parere, & esse sub viri potestate damnatur, & quæ sine vlla contritione, Deo benedicente, audivit, Crescite & multiplicamini, mox ut facta est præcepti transgressio, in poenam commissi sceleris, audit, Multiplicabo erumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios tuos. Præterea non ante, sed post transgressionem, amissa originali iustitia, confestim de membrorum suorum nuditate confusi sunt, & pudenda texerunt, quæ prius eadem membra erant, sed pudenda non erant, & mox nouum motum inobedientis carnis suæ, tanquam reciprocam inobedientiam suæ poenam senserunt, quem non senserant ante peccatum. Erat enim vterq; nudus, inquit scriptura, & non erubescerent. Et credere hanc miseriam sic venire ex peccato Adæ, est initium fidei Christianæ. Nam homo si ex peccato vel proprio, vel suorum parentum in hanc miseriam lapsus non esset, morte Christi non indigeret. Et ne super huiusmodi scripturis daretur vlla vel impertinens, vel aliena interpretatio ipse Paul. suo sensu magnifico, per omnem locum Christi gratiam illustrans, sic interpretatur easdem positas in libro Gen. scripturas, Per vnum hominem, inquit, peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Verum & hic ad memoriam reuocare conuenit, quod sepe diximus, quod videlicet Adam sub innocentia statu, quamuis non indigebat gratia Dei vt redemptoris, vtrique tamen indigebat gratia Dei vt beatificatoris. Deinde quod huiusmodi naturæ humanæ integritas atq; immortalitas quam habuerat Adam ante peccatum non erat ei ex conditione debita naturæ, sed ex beneficio gratiæ. Nam factus homo extra paradysum ex bonitate diuina locatur in paradysum pacis & tranquillitatis, & id quidem vt locum illum, non vt ex origine, & natura debitum, sed ex gratia sibi donatam agnosceret, custodiretq; illum pro se & suis posteris, & operaretur in eo. Custodiret quidem, non ob timorem hostium sollicitus, sed libera sua voluntate cauens absq; vilo labore, ne præceptum Dei transgrediendo perderet, seu potius sua sponte desereret, quod acceperat. Operaretur autem pro suo solatio, non pro indigentia, non pro naturæ necessitatibus angustiat. Produxit etiam Deus lignum vitæ in medio paradysi, de quo post transgressionem loquitur Deus, Nunc ergo, inquit, ne forte Adam mittat manum suam, sumensq; de ligno vitæ, comedat & viuat in æternum, eiiciatur de paradiso, vt operetur terram, de qua

Initium fidei, & causa incarnationis Christi.

sumptus est, Genesis tertio, Esse igitur in paradiso pacis & tranquillitatis, & posse edere de ligno vitæ, concessum erat illi ex beneficio gratiæ, qui talem locum, & talem cibum illi præstiterat, quo corpus illius sanitate stabili firmaretur, diuina operatio salubritatis occulta. Vnde & fide certa tenemus, & Enoch, & Heliam secundum scripturæ sacræ testimonia, viuos seruari in paradiso, & esse prædicatos in fine mundi: de quo vide scripturas simul iunctas, Gene. 5. ad Heb. 9. Ecclesiastici. 4. 4. & Malach. 4. Super quo habes doctrinam Aug. in locis multis, & præsertim cap. 22. libri. 2. de mirabilibus scripturæ sacræ. Potens autem erat Deus eos præseruare à morte per esum ligni vitæ in medio paradysi, vel alio quomodolibet: quemadmodum in diluuiio (cum aquæ præualuerunt nimis super terram, & omnes montes super vniuerso cælo fuerat aquis cooperte, sicut Gen. 7. dicitur) Enoch seruatus creditur, vel in paradiso, vel in aere, si paradysus ipse fuerit aquis coopertus. Contra prædicta obijcies forsitan, Esuries, sitis, dolor, mors, ceteraq; id genus afflictionum insunt nobis à natura. i. à principijs naturaliter agentibus. Nam & pecoribus ac beluis cõpetunt, quæ peccare nõ possunt. Corpus enim humanum ex cõtrarijs constans, secundum naturales philosophos naturaliter est passibile & corruptibile à calore & frigore. Proinde & Seneca dixit mortem non esse hominis poenam, sed naturam. Ad hoc respondemus, qd in beluis & pecoribus huiusmodi afflictiones non sunt poenæ peccati, sed conditiones corruptibiles corporis. Pecora enim non sunt ob vllum peccatum deiecta in huiusmodi afflictionum miserias, quemadmodum homines, in quibus magnum est supplicium, quod ex immortalitate, secundum quam in paradiso poterant non mori, venerunt ob peccati meritum in hanc mortalitatem & miseriam. Et quia in corruptio, atq; immortalitas, quam habuerunt Adam & Eva ante peccatum non erat eis ex conditione naturæ, sed ex beneficio gratiæ impediens, seu prohibens accidere huiusmodi mala. Idcirco in humana natura hæc corporalia incõmoda, quæ sunt à natura tanquam à causa per se, i. à causa seu principio naturaliter agente, quemadmodum & in brutis, sunt tamen à culpa primorum parentum tanquam à causa remouente id quod impediens seu prohibens huiusmodi mala. Seneca verò ceteriq; philosophi ignorantes, genus humanum non habet miserias propter peccatum primi parentis fuisse deiectum, dixerunt mortem, ceterasq; passiones naturales non esse hominis poenam, sed naturam. Hoc autem fidei contrarium est. Nam miseria humani generis non pertineret, inquit Aug. ad iustum Dei iudicium, si non esset originale peccatum, iustum iudicium appellans, quod fit secundum rationalis creaturæ meritum. Potest quidem Deus voluntate sua affligere hominem nihil cõmeritum. Quis enim posset illi dicere, Cur ita facis? Et idcirco non esset culpandus Deus, tamen omnis corporalis in hoc mundo afflictio & miseria esset naturæ conditio, non peccati poena, sed tum non fieret huiusmodi afflictio ex retributione Dei, vt iudicis vindictis peccatum. Nunc autem Deus talem in humano genere instituit ordinem, secundum quem non fit miseria vlla sine antecedente culpa, dicente Paulo Apost. Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors. Atq; ita cõtra catholicam errat veritatem, scripturisq; manifestissimis contradicit, quisquis contrarium illius sentit, & putat qd corruptio, quam videmus in humana natura veluti immortalitas, passibilitas, ignorantia, rebellio carnis contra spiritum, & omnis in hac valle lachrymarum tentatio, atq; molestia misit illi ex suæ creationis primordio, & non sit sequuta ex primæ præuaricationis merito.

Ex supradictis diligenter cõsideratis possumus intelligere scripturas, quæ inter se pugnare videntur, inter sese non discordare. Deus mortem & miseriam non fecit, & tamẽ vita & mors à Domino. Nec est malum in ciuitate, quod Dominus

vis ligni vite.

Philosophorum huius mundi error, de mortalitate & miseria huius vite.

Miseria huius vite.

Dei quomodo est mortis causa.

nō fecit. Mortis & miseriae causa est & homo & Deus: homo quidē meritoria est causa, efficiēs verō & vindicās seu retributoria est ipse Deus: & idcirco causa primaria & præcipua est, nō Deus, sed Adā qui trāsgressus est Dei legē. Deus enim q̄ nō delectatur in pœnis & afflictionibus nostris, nō cōdidit hoīem, vt affligeretur & moreretur, sed vt viueret semper, vt obediret illi. Habet De⁹ in puniēdo sese, quemadmodū bonus pater filiū corrigēdo. Causam benefaciēdi & miserēdi sumit Deus ex sūā ipsius bonitate, cuius propriū est bonitatē suā cōmunicare, & benefacere quemadmodū orat ecclesia, De⁹ cui propriū est misereri & parcere. Et quia cōgruit omnipotentē Deū, qui & bon⁹ est, sapiēs & iustus, & misericors, manifestare nō modō bonitatē suā, sed & sapientiā & iustitiā, idcirco vlciscēdi causam ex nostra sumēs malitia prouocatur ad puniēdū nostrā rebellionē & inobediētiā. Proinde causa cōsequēs accessoria seu retributoria, effectiua pœnē & afflictionis in nobis est diuina volūtas, peccatū vlciscēs secundū suę iustitię seueritatē, quę ppter hoīs inobediētiā auferens suę gratię beneficiū, non solum modo permittit, sed & facit causas agere ad humani generis afflictionē ac mortalitatem. Mortis causa, inquit Am. fuit inobediētia, & ideo mortis causa sibi metipso homo fuit, nō obediēs Deo vitæ suæ auctori. Neq; enim si medicus præscripserit homini sano, à quibus videatur cauendū, atq; iste ab interdīto intoxicico noluerit abstinere, causa mortis est illi medicus, sed ipse à semetipso fit reus mortis. Itaq; Deus quasi bonus medicus prohibuit Adā, ne nocitura prohibita gustaret. Hactenus Amb. in lib. de paradiso. Et ita ipse Adā propter suā inobediētiā causa est corruptiōis & mortis magis q̄ ipse Deus. Causa enim meritoria alicuius effectus magis est illi⁹ causa, q̄ causa retributoria, perinde atq; latro est sibi causa suspēdij, poti⁹ q̄ iudex, aut lex pœnam hanc pro æquitate decernens ac inferēs. Mors igitur carnisq; interitus, & rebellio contra spiritum magis intrauerunt in genus humanū per hominem prauaricantem, quā per Deum vindicantē, & huiusmodi mala propter merita inobediētiæ irrogantem. Et pro hac doctrina sunt innumera scripturæ testimonia, quibus probatur mortē sequutam ex Adæ peccato esse nō solum spirituale mortem animæ per peccatum, sed & mortem corporis. Corpus inquit Apost. mortuū est propter peccatum: nō ait, morietur, sed mortuū, inquit est, hoc est, propter peccatum corpus necessitatē habet moriēdi. Vtramq; mortē tam animæ q̄ corporis in omnes sequutam ex Adæ peccato, declarās Apostolus, Per vnum hominem, inquit, peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors. Stipendia enim peccati mors. Item Aculeus seu stimulus mortis peccatum, hoc est, peccatum est, cuius punctiōe & stimulo facta mors, sicut venenū si bibitur, appellatur poculum mortis, ita vocat & Apostolus peccatum esse stimulum mortis. Hoc & aperte docuit spiritus sanctus ex ore sapientis, Deus, inquit, mortem non fecit, nec latatur in perditione viuorū: creauit enim vt essent omnia. Iniustitia autem est mortis acquisitio. Impij manibus & verbis accersierunt illam, estimantes illam amicam. Deus autem creauit hominem in exterminabilem, id est, indissolubilem, seu potentē non mori, ad imaginē & similitudinē suā faciēs illum. Inuidia autē diaboli mors introiuit in orbem terrarum, Sapientia. 1. & 2. cap. Ex hac cōsideratione possumus perpēdere, quanā ratione vtrūq; verum est. Deus mortē non fecit, & vita ac mors à Domino Deo est, quia vtrūq; dicit eadē diuina veritas. Sed Deus mortem non fecit, id est, non condidit naturā humanā, quæ haberet moriēdi necessitatē, sed fecit eā talē quæ posset semper viuere in pace & tranquillitate. Humanę autē voluntati Deū deserētī mors inflīcta est, & id quidem à Deo, eiusdē hominis inobediētiā vindicante. Sic loquitur Augustinus, Mors, inquit, non est à Domino Deo instituente naturam, quamuis

Causa mortis
sibi est homo.

Peccatū est
poculum mortis.

fit à Domino Deo vindicante hominis inobediētiā. Magna est apud Deū bonitas, dū pœna debita reddatur, quia melius ordinatur natura, vt iuste doleat in supplicio, q̄ vt impunē gaudeat in peccato. Peccātes in supplicijs ordinātur, quæ ordinatio, quia eorū naturæ nō cōpetit, ideo pœna est, sed quia culpæ cōpetit, ideo iustitia est. Hactenus Pelag. hæresim & illius reliquias pro defensione liberi arbitrij traditas in iniuriā gratiæ Christi redēptoris sigillatim refutauimus, vt etes forsitā in omnibus prolixitate nimia, & inter scribendū obliui eorum, quæ in superi oribus dixerāmus, eandem sententias tū sub eisdē, tum sub transmutatis verbis recitauimus, cōsultentes animis piē studiosis, minus forsitan eruditus ad inculcādum eisdem scripturarum intelligentiam, & Christi redemptoris gratiam.

¶ *Tractatus quartus, in quo distinctim recitantur rationibusq; & argumētis repro bantur Manichæorum hæreses negantium liberum arbitrium.*

IN principio huius libri lōgē, latēq; recitauimus duas hæreses eodrū qui liberum negāt arbit. vnā eorū, qui ita omnia tribuunt diuinæ gratiæ, vt liberum tollant arb. asserentes liberum arb. esse rem de solo titulo. Alterā Manichæorum, asserentiū malas voluntates, malignos spiritus seu demones esse nō à bono sed à malo Deo, id est, omnem mentem bonam, omnem animam & voluntatem bonam esse immutabiliter bonam, omnem autem voluntatem malignam ac mentem malam esse immutabiliter malam. Atq; ita nullum esse liberum arbitrium, quo mens vlla nunc bene, nunc malē viuat. Et quia iam reliquiæ nonnullæ huiusmodi hæresis reuiuiscūt, idcirco ad planius intelligendū doctrinā ecclesiæ catholicæ de gratia & libero arbitrio, non erit nobis inutīle paulisper immorari.

Operæpretium est igitur primum cōsiderare, quid nominibus boni & mali significetur. Nam in hoc, inquit Aug. fallebantur Manichæi, q̄ vnde fit malū, priusquam quid sit malum, conati sunt cōsiderare, & ignorantes malum culpæ esse à libero arb. rationalis creaturæ, deficientis voluntariē à Deo suo conditore, arbitriati sunt aliquid esse summum malū secundum substantiā, à quo cetera aut magis, aut minus mala dicantur, perinde atq; aliquid est summum bonū secundum substantiam, à quo cetera magis vel minus bona deriuentur. Hoc esse falsum patebit, si cōsideretur malū esse oppositum bono, sicuti cæcitas est opposita visui, & tenebræ lumini. Omnis essentia est à Deo bona, neq; vlla est iniusta per se. Iniustitia autem per se quidem est iniustitia, sed hoc omnino nihil est, sicut cecitas, quæ nō est aliud, q̄ absentia visus in eo, vbi debet esse, quæ nō magis est aliquid in oculo vbi debet esse visus, quā in ligno, vbi visus esse non debet. Sic iniustitia, est iustitiæ corruptio, non q̄ ipsa iniustitia sit talis res, qua inficiatur & corrumpatur anima, perinde atq; corp⁹ veneno corrūpitur, seu inficitur, neq; perinde atq; malitiosus homo inficit & corrumpit hominem. Sed quemadmodum dum fera indomita corruptis vinculis discurrendo seuit, Et cum nauis, si gubernator dimisso gubernaculo, derelinquit eam ventis, & maris impulsibus vagatur & inuehitur in quælibet pericula, dicimus absentiam cathenæ vel gubernaculi facere, hæc mala, videlicet seuiendo discurrere, & vagari in quælibet præcipitia, non q̄ absentia eorum aliquid sit, aut quicquam faciat, sed quoniam si adessent, facerent ne seuiret fera, & ne periret nauis. Ita cū homo iam post humani generis lapsum per dita originali iustitia sibi dimissus seuit, & in quælibet animę suæ pericula impellitur diuersis in eo passionū motibus, & appetitibus, dicimus, q̄ hoc operatur iniustitia, non q̄ ipsa iniustitia sit vlla essentia, quæ hæc faciat, sed quoniā ipsa voluntas hominis (absente iustitia, Deoq; sui auxiliij gubernaculo eā deserente) se & omnia sua quibus præesse poterat effranata, & sine rectore præcipitat, quod totum iustitia si adesset prohiberet. Ceterum & hic sciendum quod bonum, ge-

Melius ordinatur natura ut iuste doleat in supplicio, quam impunē gaudeat in peccato.

De bono omnia generaliter acceptis.

neraliter dictū æquale est enti. Nam bonū est quicquid est, in eo quod est vnum quodq; in genere suo tantum habet bonitatis, quā habet in genere illo integritatis & perfectionis: & idcirco malū priuatiuē oppositū bono est vel ipsa natura parte aliqua, suæ aut integritatis, aut perfectionis priuata, vel ipsa malitia, quæ cū sit priuatio boni debiti, in natura nihil est aliud, quā absentia alicuius integritatis aut perfectionis in eadē natura. Sicuti enim iniustitia nō est essentia, sed est absentia iustitiæ debita. Ita malitia quod est iniustitiæ genus secundum prædicamentū priuationū nō est essentia aliqua, sed est boni debiti absentia, secundum quā res dicitur mala, vt malus oculus, mala auris. Deinde & hoc sciendū, quod bonū & malum plerumq; dicuntur de his quæ sunt causæ bonitatis & malitiæ. Et hac ratione bonum alicui bifariam dicitur, videlicet quod est vel cōsentaneum illius naturæ, sicut habere visum est bonum homini, vel causa alicuius perfectionis in illa, sicut medicus sanans visum est bonū illi. Sic & malū est aliquid alicui dupliciter videlicet quod est vel priuatio seu absentia boni, sicut carere visu malum est homini, vel causa corrūpens, tollens, aut priuans aliquid perfectionis in natura, sic causa destruēs visum malū est homini. Et sic mala dicimus esse alicui, quæ tametsi in se sint bona quædā, mala tamen dicuntur esse, quia sunt destruētia, seu nociua integritatis vel perfectionis naturæ illius, sic ignis malus est & aqua & corpori hominis. Lupus malus est agno, sic frui creatura, & carnalis cōcupiscentia, & amor voluptatis sunt mala quædā rationali animæ. Quāuis autē bonum & malū generaliter dicta possunt reperiri in omnibus rebus, pœna tamen, & culpa, quæ sunt species mali reperiuntur in solis creaturis rationalibus, potentibus volūtariē deficere ab ordine in finē debitū. Neq; enim est culpa, nisi vbi natura sua spōte deficit ab ordine finis debiti. Neq; itē est pœna, nisi vbi natura ob voluntariā culpā patitur inuoluntariē. Succinctim autē, & quasi facientes epilogū absq; pbatonibus de his dicimus, alibi latius dicturi, vbi ostendetur, Deum omnium rerū conditor non esse peccati author. Nunc autem sufficiat ad memoriam reuocare ex scripturis sacris duas esse malorum species delicta videlicet, seu culpas, vel peccata & delictorum seu peccatorum pœnas atque supplicia, & Deum esse authorem non delictorum, aut peccatorum, sed suppliciorum. Vtrumq; malum simul significauit scriptura Hieremiæ decimo octauo, Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, agam & ego pœnitentiam super malo, quod locutus sum cōtra illam vt facerem. Item tertij Regum nono, Quia dereliquerunt Dominum, propterea Dominus adducet super illos malū. Malū igitur culpæ, est derelinquere Dominum: malum pœnæ est ob delictum puniri à Domino. Culpa est meritum pœnæ. Pœna verò est premium, & supplicium culpæ. Malum culpæ est, quod facimus, Dei legē deserentes voluntariē. Malum pœnæ est, quod patimur inuiti, vnde & omnis pœna est priuatio quædā alicuius, quod est naturæ commodum, bonū, aut consentaneum. De malo peccati dicit scriptura, Sensus & cogitatio humani cordis ad malum prona sunt ab adolescentia sua. Et hoc malum culpæ, duo mala cōplectitur, videlicet auersionem à Deo summo bonitatis fonte, & conuersionem ad commutabile bonū, sicut significauit propheta, Hieremiæ. 2. dicens, Duo mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontē aquæ viuæ, & foderunt sibi cister nas dissipatas, quæ continere non valent aquas. De malitia, quæ afflictio dicitur, seu miseria loquitur Saluator in Euāgelio, Sufficit diei malitia sua. Et Deus in scripturis, Ecce ego fingō contra vos malum. Quamuis non omnis culpa sit pœna antecedentis culpæ, habet tamen omnis culpa pœnam sibi comitem, dicente Augustino in confessionibus, Iussisti Domine, & sic est, vt ipse sibi pœna sit omnis inordinatus animus, nec mirum, Nam magno priuatur commodo, qui elongatur, aut de.

Malum culpæ quid, malis pœnæ quid sit.

aut deficit à summo & incommutabili bono. Deū esse causam huiuscemodi mali pœnæ effectiuā, vt mortis, tribulationis, & suppliciorū, docet scriptura, Ego Deus creans pacē, & faciēs mala. Et alibi, Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt, error autem & tenebræ peccatoribus sunt concreata. At contrā Deū nō esse authorē mali culpæ, passim docet scriptura Gen. 6. Vidēs Deus quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis esset intenta ad malum omni tēpore, pœnituit eum, quod fecisset hominem. De hoc malo iubet Dei spiritus, Auferte malū cogitationū vestrarū ab oculis meis. Simili odio sunt Deo impius & impietas eius. Iniquitatem odio habui. Non Deus volens iniquitatem. Dilixisti iustitiam, & odisti iniquitatem. Impossibile est Deum mentiri. Nemo cum tentatur dicat, quod à Deo tentetur. Deus enim intentator malorum est. Concupiscentia carnis, & praua desyderia non sunt à Deo patre, sed diaboli opera, Vos ex patre diabolo estis, & desyderia patris vestri vultis facere. Quibus sanē scripturis docet Deus, se odisse malum, & velle, vt excludamus malum tale à cordibus nostris. Alioquin ipse adducet super nos aliud malū ex suæ iustitiæ iudicio, vindicās nostræ culpæ malum. Vnde & Iren. Tertul. Chrysost. Hiero. Amb. Aug. Greg. & in vniuersum tota Christianorū schola ex huiusmodi, & similibus scripturis intellexerunt Deum non esse authorē malorum culpæ, & idcirco culpam non esse in Deum reijciendam, sed in hominis voluntatem. Deus autem quamuis in actione peccati non solum permittat libero arbitrio, vt agat, sed & cooperetur illi vt moueat membra in opus furti, vel adulterij, neq; peccat tamen Deus, neq; ita est author peccati, & culpæ, vt homo iuste valeat culpā in ipsum reijcere, quasi ab ipso fuerit ad peccandum, aut impulsus, aut coactus. Huic si obieceris secundum Aug. doctrinam ex scripturis sacris probatissimā, Supplicia peccantium non tantum sunt tormenta, sed & vitiorum incrementa. Respondeo. Deus ipse peccatum puniens peccato & criminibus crimina vindicans, non ita est intelligendus criminum & culparum esse author, quasi ipse homines ad malefaciendum, aut cogat, aut excitet, vel instituens naturam, impreterit pcliuitatem peccadi, prauaq; desyderia, quippe quæ non Dei, sed diaboli desyderia in scripturis appellantur. Sed intelligendus est Deus peccatum punire peccato, dū ipse iratus, ppter priora hominis scelera deserit illum, cooperans illi secundum prauū cordis illius desyderia subtrahēs suæ misericordiæ præsidia, & auxilia, ingerēs etiā ea quibus malitia hominis accenditur, inflammatur, magisq; induratur, vt labatur in grauiora peccata, qui crebrō vocatus, pœnitere contēpserit. Et ad illū sensum interpretandæ sunt scripturæ, quibus dicitur, Propheta si errauerit & loquutus fuerit verbū, ego dominus decepi prophetam illū. Et alibi, Dedit Dominus spiritum mendacij in ore oium prophetarū. Itē, Mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio. Sed latius de his infra dicemus. Nunc autem sufficiat scire, Deū neq; esse authorem culpæ, neq; malefacere vnquam. Et quia malum culpæ in rationali creatura, nihil aliud est, quā absentia rectitudinis iustitiæ, seu obedientiæ debita creatori, idcirco non oportet consequens esse, si Deus nō est peccatorū aut culparum causa, quod idcirco non fit omnium rerum causa, quia peccatum nihil est. Motus autem quo voluntas rationalis sese immergit creaturæ, peccatum dicitur, non quia in se mala est creatura cui se immergit, nec quia actus, quo vult delectari in creatura, est secundum se malus, sed quia actus iste malus est rationali menti, tollēs in voluntate iustitiam, rectitudinem seu obedientiam Deo debitam. Rationalis creaturæ bonitas, iustitia, seu rectitudo, est volūtariē obedire Deo, illi adhærere, & in eo quiescere, illum sitire & desyderare, de qua bonitate dicit David, Spera in Deo, & fac bonitatem, in habita terram, & pascēris in diuitijs eius, ac si dicat,

Deus nō est author mali culpæ.

Culpa nequam est in Deum reijcienda.

Rationalis creaturæ bonitas seu iustitia.

Sit Deus spes tua, illiq; iugiter adhaereas, &cæ. Talem bonitatem cupiebat orans, Bonitatem & disciplinam, & scientiam doce me. De qua & Sapiens dixit, Sentite de Domino in bonitate, hoc est, in fide & obedientia, intelligite & desyderate, & quarite Dominum: vnde subditur, Quoniam inuenitur ab his, qui fidem habent in illum. Per omnem locum indicat scriptura, rationalis creaturæ bonum esse adhaerere Deo. Mihi, inquit propheta, adhaerere Deo bonum est, Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini Domini altissimi. Bonum est sperare in Domino gaudere, delectari in Domino. Vnde solet dici, Omnia pretereunt præter amare Deum. At cõtra rationalis creaturæ malitia, culpa seu peccatũ, est iniustitia quædam, seu inobediencia, qua voluntas rationalis recedit à Deo, & mente quiescit in creatura. Sic & originalis culpa, est ingenita quædam ab Adam inobediencia affectionalis, quæ est peccandi procliuitas, propter quam quisq; nascitur filius ire sub potestate diaboli, & obnoxius aternæ pœnæ. Vnde & in scripturis, peccans legitur elongari à Deo. Sic abiit filius prodigus in regionem longinquam. Sic patres vestri, inquit Deus, elongauerunt se à me, & cor eorum longè est à me. A lege tua longè facti suat. Elongatur autem cor hominis à Deo, non locorum aut spatorum distantia, sed alienatione, aut cogitationum, aut affectionum mentis. Adhaerere creaturæ, diligere mundum & ea quæ in mundo sunt, derelinquere Deum, mala sunt rationali menti, quippe quæ idcirco condita dicitur ad Dei imaginem & similitudinẽ, q̄ quiescere in Deo sit finis illius. Proinde & malũ esset rationali animæ semper viuere in delitijs carnis, quia vita illa nõ rationalis est, sed bestialis, dicente propheta, Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus. Et Hieremias propheta, Scito & vide quia malũ est & amarum te reliquisse Dominum Deum tuum. Perdes rationes qui fornicatur abs te. Et ex horum iam consyderatione, patet, quam ratione scriptura doceat naturam hominis per peccatum vulnerari, maculari, contaminari, & obscurari. Apud Isaiam cap. i. loquens propheta de languore & vulnere non corporis, sed animæ, A planta pedis, inquit, vsq; ad verticem. i. à principe vsq; ad plebem, nõ est in eo, scilicet populo sanitas. Vulnus & liuor, & plaga tumens, nõ est circumligata medicamentis, neq; fota oleo. Quemadmodum per corporale vulnus, membrorum compago scinditur, diuiditur, & dissoluitur, Ita & per Adam peccantem, factum est quasi schisma quoddam, & diuisio inter animæ vires, & carne non eunte post spiritum, factus est homo sibimetipsi contrarius & grauis. Deinde quæadmodum corporale membrum ex vulnere debilitatur, & suum naturalẽ perdit vigorem, Sic & rationalis anima per peccatũ, terrestris est facta. Et sicut febricitantis hominis lingua in alterum mutatur affectum, ita & rationalis anima cum peccauit, bonam in gustu dispositionem perdidit, qua ferebatur ad verum suum beatificum bonum. Insuper quemadmodum corpus venustum & candidum ex contactu luti maculam quandam contrahit, quæ etiam relinquitur corporibus iam separatis abinuicem, sic natura humana in Adam venusta & candida, ad Dei imaginem & similitudinẽ condita, tota pulchra, immergès cor suũ rebus huius seculi maculam contraxit fomitem, secundum quem iam rationalis anima habitualiter auersa est à Deo, prona cogitare & cõcupiscere ea, quæ sunt huius mundi, & procliuus semper & propensa deficere à vera sua intelligibili luce. Hæc de significationibus boni & mali, dicta sufficiant. Pergamus ad cætera.

¶ Secundum caput huius tractatus, in quo ex supradictis, quasi recapitulando declaratur res quædam, quæ in scripturis fauere videtur hæresi Manichæorum.

Quæ autem in scripturis sacris iuuare & approbare videntur Manichæorum hæresim, sunt res quædam diuersæ & inter se contrariæ, quas scriptura

ptura subindicat reperiri in eodẽ homine, duas videlicet substantias inter se contrarias, spiritum videlicet & carnem: duas animas, sensualẽ videlicet & rationalem. Operationes insuper pugnantes, bella, rixas, & iurgia inter carnẽ & spiritũ. Deinde leguntur in eodẽ homine, exterior homo & interior homo, vetus homo & nouus homo, malũ seu peccatũ habitans in carne, operans omnẽ concupiscentiam, corpus peccati, lex membrorum, lex carnis, lex mentis, repugnans legi carnis, imago celestis, imago terrestris, potestas lucis, & potestas tenebrarum, princeps mundi huius, & princeps alterius mundi, pater mendacij, & pater veritatis. Ex his Manichæi arbitrantur scripturã sacram suã ipsorum voluisse docere sententiam. Hanc igitur vt falsam ostendamus consyderandũ est, q̄ in vno quoq; homine sunt corpus & anima, sunt interior & exterior homo, quæ nõ duo, vt credunt Manichæi, sunt homines, sed partes vnus sunt hominis, quẽ Deus totũ condidit, faciens tã id quod exterius est, id est, carnem & sensus, q̄ id quod interius est, id est, animã. Interior homo, est rationalis anima suis prædita viribus, quæ non corrumpitur vnquã. Corpus autem suis ornatum sensibus, exterior homo appellatur, seu homo noster qui foris est, & corruptibilis, dicente Apostolo Paulo .2. ad Corin. 4. Licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamẽ is qui intus est renouatur de die in diem. Condelector, inquit, legi Dei secundũ interiore hominem. Ad imaginem quidem & similitudinem suam Deus fecit hominem, nõ exteriorẽ in corporalibus lineamentis & figuris, sed interiorẽ in viribus, potētis, & virtutibus. Imago interioris hominis ad Deum, est in substantia rationalis animæ, secundum lumen rationis interne, & memoriã & voluntatẽ liberam. Similitudo autem in donis est & virtutibus. Similitudo, inquit Augustinus, perijt, imago non perijt. Vitiata est rationalis anima, non extincta: post præuersionem manet naturæ humanæ forma, manet vita & sensus, manet ratio & voluntas, manent cætera corporis & animæ naturalia bona, quæ etiam malis & vitiosis hominibus non desunt. Quæ tametsi mortalem hanc vitam vtcunque honestare possunt, æternam tamen vitam ex se neque conferre, neque attingere possunt. Subinde Apostolus Paulus non eandem rem intellexit per veterem hominẽ, & per exteriorẽ hominẽ, neq; idem significauit per nouum hominẽ, & per hominẽ interiorẽ, sed in homine interiori reperitur, & vetus homo & nouus. In anima enim vetustas huiusmodi fit simul & nouitas. In hac imago est vel celestis, vel terrestris, id est, voluntas, vel carnalis, viuens secundum peccati fomitem, vel spiritalis viuens secundum Dei spiritum. Aposto. ergo cum dicit, Exuite veterem hominẽ, & induite nouũ, & cæt. ad Ephe. 4. non hoc iubebat vt corpus deponeretur, sed vt vetustate vitæ abiecta interior homo in melius cõmutaretur, & viueret secundum Christi spiritum, qui iam pridem vixit secundum legem carnis. Quid autem sit vetus homo, quid & nouus homo, videtur interpretari Apostolus. 1. ad Corinthios. 15. Factus, inquit, est primus homo Adam, videlicet in animam viuentem. Nouissimus autem Adam in spiritum viuificantem. Adam igitur vetus homo, Christus autem nouus homo. Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de celo, celestis. Adam quando per inobedientiam fructũ terræ sibi vetitũ comedit, proculdubio terrenus effectus est gustus eius, quamobrem à Deo vindicante peccatum audiuit, Terra es, & in terram ibis. Et ita exuere veterem hominẽ, est exuere Adam seu vetustatem Adæ. Inducere nouum hominẽ, est, inquit Bernard. induere Christum. Quemadmodum hortatur Paul. Induimini Dominum nostrum Iesum Christũ. Induite nouũ hominẽ, qui secundũ Deum creatus est. Sicut primus Adam principium est carnalis natiuitatis, secundum quam nati sumus, à Deo auersi, carnales, & filij iræ: ita secundus Adam

Corpus & anima, exterior & interior homo.

Aliud vetus homo, aliud exterior homo.

Inducere nouũ hominẽ.

Christus

Per Adæ peccatum est factum schisma inter animæ vires.

Christus principiū est cœlestis natiuitatis, qua renascimur ad Deū cōuerſi, & filiū adoptionis aternæ vitæ efficiuntur, qui renouatur nō in se, sed in nobis viuētibus secundū agnitionē & imaginē ei⁹, qui creauit illū, quē admodum & sanctificatur ac magnificatur in nobis. Et ita per primū Adā mors & peccatū: per secundum Adā, vitā & iustitia. Primus Adam dicitur semper quidē habitare in nobis, quia nō extinguitur imago seu similitudo eius in nobis, q̄ diu hic agimus, sed nō semper portamus imaginē hominis eius, quia nō semper per imaginem regnat in nobis, nō viuētibus nobis secundū peccatū habitās in carne nostra. Secundus verò Adā dicitur habitare & regnare in nobis, dum sua imago. i. spiritus suus viuificans regnat in nobis. Sicut portauimus imaginē terreni, portemus & imaginē cœlestis, inquit Paul. 1. ad Cor. 15. Quia caro & sanguis. i. carnalis vita, qualē ex Adā nascendo contrahimus, & qualem secundū Adā viuentes portamus regnū Dei possidere non possunt. Et ita induere nouū hominē, est induere Christum. Quotquot in Christo baptizati estis, inquit Apost. Christū induistis. Ita quotquot ex Adā nati estis, Adā induistis, Adā in quā. i. imaginē Adæ carnalē & terrestrē, seu fomitē ad vitā procliuē. Vel si placeat magis cōformiter interpretari secundū doctrinā Apostoli ad Coll. 3. dicētis nouū hominē renouari in agnitionē Dei secundū imaginē eius, qui creauit illū. Vetus homo & nouus homo, nō duo sunt homines, sed vnus & idē homo, qui prius vetus est secundū carnē propagatus ex Adā, vitā agēs secundū peccati imaginē, quā ex Adā traxit, postea nouus fit homo, cū regeneratus aliā accipit vitā, videlicet spiritū viuificantē per fidem & charitatē. Et sic expoliare seu exuere veterē hominē, est desinere esse vetus homo, quod fit abijciendo hominis interioris vetustatē, quā viuētes secundū imaginē Adæ contraximus. Induere nouū hoīem, est incipere esse nouus homo, qui secundū Deū creatus est, in eo q̄ nemo ex Adā propagatus fit nouus homo, nisi in illo cor mundi creauerit Deus, & spiritum rectū innouet in visceribus eius. Proinde neq; absurdum est per veterē hominē, intelligere vitā veterē, qua secundū Adā viuimus. Per nouū autē hominē intelligere vitā nouā, qua secundū Christi spiritum viuimus. Vetus homo noster, inquit Origenes, intelligendus est vita prior, quā duximus in peccato quem crucifigimus, accipientes in nobis vitā Christū, vt amplius nō obedia mus desyderijs peccati, quod propter Adæ peccatū cepit habitare in humano genere. Item Ambro. tractās illud ad Rom. 6. Scientes q̄ vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruat corpus peccati. Veterem hoīem, inquit Apost. appellat actus præteritos, & omnia peccata simul, corpus peccati appellat. Sed siue vetus homo & nouus intelligantur Adam & Christum, siue intelligantur vita carnalis secundū imaginē Adæ. i. secundū fomitem, & vita spiritualis secundū imaginē Christi. i. secundū fidē in Christū Iesum, nihil obest Apostolicæ doctrinæ. In scripturis nōnunq̄ diuersa disputata leguntur, quæ nō sibi cōtraria, nō diuersa, sed cū pace traduntur & vnitatē catholica, quæ variē quidē explicantur, sed in eandem tamen recurrunt sententiā. Quod in hac materia facile est videre, si cōfyderemus, q̄ exuere veterē hominē, est exuere veterē Adā. Exuere autē Adā, est abijcere imaginem, quā nascendo contrahimus ex primo Adā, qualis est amor carnis & amor seculi, quæ sanē abijcimus, cū sic viuimus, cū sic obediāmus desyderijs eorū. Induere nouū hoīem, est induere Christum, & illum habere in nobis habitātem per fidē & charitatē. Et sic patet intelligentia scripturarum, expoliantes veterem hominē cum actibus suis: & induite nouū, qui secundū Deū creatus est, ad Ephesios. 4. & Coll. 3. Hactenus de interiori & exteriori, de nouo & veteri homine. Ex his insuper est manifestū, quidnā sit cœlestis imago, & quid terrestris in homine. Hæc enim nō sunt alienæ naturæ, sed sunt vel eadē natura, diuersimode se habens,

Adam in nobis
habitat.

Vetus homo &
nouus homo nō
duo sunt homi-
nes.

Vetus homo.

bens, vel accidētia quædam naturæ aduentitia, quibus aut in melius, aut in peius disponitur ipsa. Eadem rationalis anima, quæ Dei est imago nunc cœlestis, nunc terrestris efficitur. Cœlestis quidem cœlestibus, vel Deo suo adhærēs conditori. Terrestris verò adhærēs rebus caducis huius terræ. Per Adā peccatum non perijt hæc imago Dei, quia semper rationalis manet, sed terrestris effecta, rursus cœlestis efficitur, superinductis picturis, quas Deus pingit in illa, vt sunt, fides, charitas, spes, continentia, patientia, castitas. Sic enim dicit Apostolus, Epistola nostra vos estis, scripta non atramento, sed spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis. Charitas tam creata, quàm increata, est lex scripta in visceribus hominum digito Dei, id est, spiritu Dei, de qua loquebatur Hieremias, Dabo legem meam in visceribus eorū, capite trigesimo primo. Et propheta, Lex Domini immaculata conuertens animas. Sunt & picturæ, quas non Deus, sed homo sibi pingit, fatana instigante, veluti sunt fomes, amor mundi, infidelitas, libido, luxuria, impudicitia. Eadem est igitur imago, quæ nunc cœlestis, nunc terrestris appellatur, vel si placeat, quod magis sermoni congruit scripturæ, imago cœlestis, non ipsa anima, sed est superscriptio, seu pictura Dei in ipsa, lex videlicet spiritus & opera illius. Imago verò terrestris, lex carnis est, & desyderia illi⁹. Hæc est imago, quam etsi ab exordio generationis nostræ induimus, ipsam tamen non a Deo institute humanum genus, accepimus. Idcirco est imago seu pictura adulterina, quæ corrumpitur, dum ciues efficiuntur ciuitatis Dei, quæ est ecclesia, vel cœlestis Ierusalem dicente propheta, Domine in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges. Vnde Apostolus, Sicut portauimus imaginem eius, qui de terra est, sic & portemus imaginem eius, qui de cœlo est. Præterea sciendum, quod de pluralitate animarum in homine aliter senserunt hæretici, aliter philosophi, aliter catholici. Hæretici quidem duas posuerunt in eodem homine animas, & contrarias voluntates à diuersis principijs conditas. Et hinc aiunt provenire in nobis rebellionem carnis concupiscētis aduersus spiritum. Philosophi autem quidam dixerunt in eodem homine duas esse animas, vnam animalē, qua animetur corpus, quæ & mixta sit sanguini: alteram spiritualem, quæ rationē administrat. Catholici autem tractatores dicunt eandem esse animam, quæ est principij vegetandi corpus, sentiendi per corpus, intelligendi & ratiocinandi in corpore absq; corporeo instrumento. Hæreticorum sententiā iā falsam ostendimus. Philosophorū verò sententiā refutat Augu. in lib. de ecclesiasticis dogmatibus, docens eandem esse animā qua viuimus, sentimus, & mouemur, & intelligimus. Vnde & scriptura vnicuique homini non plures, sed vnam solum tribuit animā, quæ apta sit intelligere, & sentire, & mouere membra in opus. Proinde & potentia corporeis organis affixa, motusq; vitales, ac passiones animæ, veluti carnis vegetatio, corporis progressio, sensatio, concupiscentia, delectatio, cæteraq; transmutationes in corpore humano vitales, dicuntur esse ipsius animæ rationalis, nō vt subiecti, sed vt principij. Ipsa enim rationalis anima incorporea radix est, & principium viuificās totum hominem, faciēs illum aptum, qui huiusmodi potentias, motus, passiones & actus, aut habeat, aut percipiat, aut suscipiat, aut patiat sensibilibus rebus corpora nostra immutantibus. Deinde pro intellectu doctrinæ Apostolicæ dicentis, Caro concupiscit aduersus spiritum, sciendū est ex superioribus, quod nomine carnis in scripturis sacris totus homo significatur carnalis, fragilis, mortalis, varijs passionibus obnoxius secundū naturam ab Adā peccante traductam, qui & in hanc miseriam suo peccato deiecit omnes filios suos. Sic accipitur, cū dicit scriptura, Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est. Videbit omnis caro salutare Dei. Vnde Aposto. seipsum carnem appellabat.

Per Adæ peccatum imago Dei in homine non perijt.

Philosophi quidam duas posuerunt animas in homine, sed non sicut Manichæi.

Caro.

labat. Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonū, ac si dicat, Ego inquantū carnē habeo traductā & propagatā à præuaricatore Adam, malū habeo in me habitantē hospite. Et sic caro concupiscit aduersus spiritū, quia homo carnaliter ab Adā propagatus, velit nolit concupiscentias sentit aduersus Dei spiritū, & Dei spiritus in homine aduersus carnē, hoc est, facit hominē aduersus carnem. i. aduersus semetipsum concupiscere. Non sola igitur caro cui præfidel aīa, sensibilem concupiscit voluptatē, neq; sola anima sine carne sensibilibiter aliquid concupiscit. Quemadmodū enim angelus nō potest sensibile percipere voluptatē, quippe quæ oritur ex immutatione corporalis sensus, quē nō habet angelus, ita nec anima sine carne vllā potest sensibile habere voluptatem. Proinde quemadmodū ipsa carnalis voluptas nō est in anima sola, nec in carne sola, sed in toto: ita & totus homo sic concupiscit, quemadmodū sentire, audire, vel videre est totius hominis cōstituti ex anima & carne. Sic & delectari ac dolere, totius hominis est actus. Aīa quidē separata à corpore, cū sensum nō habeat corporalē, nec sitire, nec efurire corporalē panē, nec calere, nec frigere potest, nec immutari vlla corporū mollicie, idcirco nec corporalem percipere potest aut dolorē, aut voluptatē. Potest quidē ipsa sic separata gaudere de hoc, q̄ absoluta sit à miseria & corruptiōe huius mortalis carnis. Potest insuper desyderare & expectare sensibilem delectationē in corpore diuinitus restituendo & glorificando, quatenus carne iā restituta, totus homo delectetur in Iesu Christo, sed nō potest p̄ illo statu manens sic concupiscere, aut sic delectari ea delectatione, quæ sit per corporalē immutationē. Gaudet quidē rationalis anima separata in Domino Iesu, sed nō sic delectatur in illo.

Sed his forsitan videbitur obuiare scriptura, quæ tribuit tā concupiscere, q̄ sentire, nō carni seu toti homini solū, sed & animæ etiam ac spiritui. Spiritus, inquit Apost. concupiscit aduersus carnē. Item in scripturis anima dicitur efurire & sitire, nō solū spiritualem cibū, sed etā corporalem ad carnē. Item propheta, Concupit anima mea desyderare. Itē Aug. in lib. de Gene. ad literā, Caro, inquit, concupiscit, quia anima per carnē concupiscit. Deinde Hiero. quemadmodū superius recitauimus, interpretās illud Apostoli, Caro concupiscit aduersus spiritū. Eadem inquit, anima nunc caro dicitur, propterea q̄ carni se iungit: nūc spiritus, eo q̄ cœlestibus intendit. Et idcirco caro concupiscit aduersus spiritū. i. anima carnaliter sentiens, concupiscit aduersus semetipsam spiritualiter sapientē. Sic & Ambro. Caro aliquādo, inquit, corpus hominis intelligitur, aliquādo verō ipsa anima sequens corporea vitia. Sed horū solutionem habes ex superioribus. Huiusmodi enim sensibiles transmutationes, sunt totius cōpositi vt subiecti, sed ipse animæ, vt principij mouentis aut viuificātis, sicuti vegetatio corporis, quæ est in toto homine, fit ab anima. Deinde transmutationes quæ foris fiunt, in corpore redū dant inde in animā, & econtrariō. Insuper eadem etiā anima carnaliter sentiens, concupiscit aduersus semetipsam spiritualiter sapientem, ita vt & cōtrariæ quædā concupiscentiæ, cōtrariæq; affectiones vicissim sint ipse animæ vt subiecti. Nā & ipsa sensibilibus rebus occupata, secundū carnales sensus illicitis desyderijs cōcitur retrahiturq; à cœlestiū rerū meditatione & desyderio. Ad q̄d planius intelligendū, operapretii est cōsiderare, q̄ ipsa rationalis anima naturaliter appetit viuificare corpus, & manere in corpore. Et q̄ diu est in corpore, percipit ea quæ in corpore sentiuntur. Et propter huiusmodi colligationem, passiones spirituales inchoatæ in anima, trāseunt inde, & redundāt in corpus dū apprehēsiō boni, vel mali in intellectu, trāsit in imaginationē sensus. Exultauerunt cor meum, & caro mea in Deū viuū. Et econtrariō. Passiones corporales inchoatæ in corpore seu in toto homine transeunt inde, & redundant in animā, quæ & naturaliter condelectatur

ctatur corpori delectationem sentiendi, & naturaliter condelectatur corpori sensibilibiter aliquid patienti. Vnde & hac ratione corpus quod corrumpitur aggrauat animam, id est, deorsum trahit internum animæ sensum. Inconstantia concupiscentiæ, inquit scriptura, transuertit sensum, siue malicia. Et in Daniele, Concupiscentia subuertit cor tuum. Vbi ergo corpus subiectū est passionibus suborientibus, aut præter, aut contra rationis iudiciū seu appetitum, ibi quasi ad contraria trahitur rationalis animus. Et illa est ægritudo rationalis animæ, qua secundū rationis instinctum, seu legem mentis, superiora seu cœlestia concupiscens à bonis inferioribus carni condelectatur, quo fit vt & ipsa rationalis anima intus in duas diuidatur voluntates, duas sententias, & affectiones, secundū alteram ad superiora: secundum alteram verō ad inferiora trahitur. Et ita rixa interior inuasit genus humanum cū factum est corruptibile corpus, pronum absq; rationis fr̄gno proruere in ea, quæ corporalem sensum oblectant. Eadem igitur est rationalis anima, eademq; vis appetitiua, quam voluntatem dicimus, diuersis etiam astuās motibus. Et videamus an nō hæc sit Christiana Augustini philosophia. 8. confessionum tradita capitulo nono & decimo, Imperat, inquit, voluntas sibi vt velit, sed quia non plenē imperat, ideo non fit quod imperat dum partim vult, partim non vult. Sic autem partim velle, partim nolle, non monstrum, inquit, est in duabus naturis, vt dixerūt Manichæi, sed ægritudo est animi, qui non totus assurgit in Deū, qui inclinatione veritatis subleuatur, cōsuetudine autē carnis affluatur. Nec idcirco duæ sunt naturæ mentiū, sed eadem mens diuersis astuans motibus, cum æternitas delectat superius, & temporalis voluptas trahit, & retentat inferius, & sic anima, nō tota volūtate volens aut hoc, aut illud, graui discerpitur molestia, dum præponit alterū alteri, quod nō plene vult. Rursus lib. 6. cōtra Iulianū. cap. 5. Eadem anima est, quæ concupiscit secundum carnem, & quæ concupiscit secundum spiritum. Caro, inquit, concupiscit, quia anima per carnē concupiscit, sicut & per carnē sentit, & his motibus, quos habet secundum carnē aduersatur alijs motibus, quos habet secundū legē spiritus. Vnde & anima potest concupiscere destituta membrorū motu. Quemadmodū in spadonib⁹ sunt carnalis voluptatis affectiones, licet sint destituti carnis affectibus, dicente scriptura, Concupiscentia spadonis deuirginauit iuenculam, Ecclesiast. 2. Totius hominis est sentire & consentire & non consentire. Idcirco dicitur animæ, Post concupiscentias tuas non vadas. Et sicut corporis seu totius hominis est alterationes, seu inmutationes corporales à sensibilibus rebus suscipere: ita est ipse animæ nostra super sensibilibus omnibus intus discernere. Nā omnes nostræ carnis sensus intus nuntiant cordi, ait August. quid senserunt foris. Cordi nostro renuntiant corporales oculi alba & nigra. Aures renuntiant canora & dissona. Gustus renuntiat amara & dulcia. Tactus renuntiat aspera & mollia. Diuersa sunt organa sensitua, sed eadem est anima, quæ etiā absentibus & destructis foris sensibilibus, intus discernit de omnibus, quæ anima per corporis sensus hausit, sed in corpore alibi vides, alibi audis, alibi gustas saporē. In corde autē vbi vides, ibi & audis, ibi & saporē discernis. Imō eadem est mens, quæ singula sensibilia diiudicat, sed & vltra hæc mens discernit, quædam ad quæ non aspirat corporis sensus. Videt iusta & iniusta, & Dei inuisibilia, quæ non percipiūt corporales oculi. Gustat, & videt q̄ suavis est Dei spiritus, ad quod nō accēdit corporalis sensus. Duabus igitur substantijs tantum à Deo bono conditis cōstat homo, anima cū ratione sua, sed corpore cum sensibus suis. Neque est tertius in substantia hominis spiritus, sed spiritus hominis ipsa est anima, quæ cū spiritualis sit natura, spiritus dicitur.

Propter celligē
tiam anime in
carne passiones
in anima, redū
dant in corpus,
& econtrariō,
passiones totius
corporis in animā

Voluptas & cō
cupiscentia to
tius est hominis

Hiero. super ea
p̄m. s. ad Gala.

Totius hominis
est sentire, ipse
us anima est
consentire.

Eadem est an
ma qua sensus
presentia, &
de absentibus
discernit.

Ex supra.

Ex supradictis autem manifestæ sunt significationes nominū, quibus vitur Apost. quæ sunt peccatū seu malū habitans in carne, lex carnis, lex habitans in mēbris. Patet enim omnia hæc eiusdē esse vitij nomina ipsius videlicet peccati, quæ per vnum hominē intravit in mundū. Insuper manifestū est quosdā esse, qui peccatū, seu malū habitans in carne volunt intelligere diabolū, dicentes, & malū sic accipiendū esse in oratiōe dominica, Libera nos à malo. Vnde vbi nos habemus à malo, Tertul. habet à maligno. De quo Saluator, iam princeps huius mundi eijciatur foras. Qui, vt refert Ambro. per subiectā sibi carnē suggestiones malas ingerit animæ. Sed talis interpretatio nihil suffragatur Manichæo. Siquidē diabolus nō à Deo malo, sed à sua volūtate factus est malus, qui à Deo bono factus fuit bonus. Cæterum fuerunt hæretici, inquit August. qui dixerūt diabolū & angelos esse quidē conditos à Deo bono, eosq; esse in genere suo bonos, & in ea natura tales adhuc esse, quales in ordine suo Deus creauerit illos, sed nobis malum esse si seducamur, & illicitamur ab eis, si aut caueamus & vincam⁹, gloriosum esse & decorū. Hoc scriptura, in quiunt, voluit significare, quæ dicit in Iob, Initiū figmenti Domini quod fecit, ad illudendū ab angelis suis. Et in Psal. Draco iste quē formasti ad illudendū ei, Psal. 103. Sed hanc sententiā impiā esse & falsam, ex scripturis ostendit Aug. lib. ii. de Gen. ad literā. Vnde Petrus in Canonica, Deus angelis peccantibus nō pepercit. His præmissis pro cōfutatione tā hæresis Manichæorum, quæ doctrinæ eorū, qui reliquias quasdā imitantur illius hæresis, hæc sit cōclusio vnica & finalis. Malicia culpæ, neq; est natura, neq; est aliquid naturæ à Deo inditū, neq; à natura mala Deo coæterna ingenitum, neq; casū factum, neque necessitate naturæ ortum, sed ex volūtate libera prodijt rationalis creaturæ, quæ cōdita est à Deo bona. Deus ab initio cōdidit tā hominem, quæ angelum rectum, dās vtriq; liberum arbitrium quo peccare posset & nō peccare, quo gloriosior appareret, si non peccaret, cum peccare posset. Verūm vterq; tā dæmon quæ homo, sua abutētes potestate, peccauit, & idcirco factus est malus. Diabolus quidē irrecuperabiliter in sua est malicia desertus, dignus quidē deseri, quia peccauit nemine suggerēte, nemine ad peccatum inuitante. Homo autē quia peccauit, satana instigante, non prorsus deseritur, sed Deo misericordie spes datur salutis per Saluatorē Iesum. Eadē igitur est natura, quæ nunc bene agit Deo adiuuante, nunc male propria voluntate. Eadē est rationalis anima, quæ nunc ea quæ carnis, nunc ea quæ Dei virtutem cogitat: eadē rationalis animæ vis, seu potentia, quæ diuersis æstuat motibus, nunc carnalibus, nunc spiritalibus delectata. Mala quæ habitant in natura humana, veluti sunt peccatum, seu lex carnis, repugnans legi mentis, mors, omnisq; humani generis miseria, sunt nō alienæ naturæ additamenta, sed nostræ naturæ vitia, quæ & separata à nobis, extra nos nihil erunt, ortumq; habent nō à Deo humanum genus instituta, sed iuxta irrefragabilem prophetarum & Apostolorum doctrinā ab homine humanā naturā peccando vitiantē, dicente Paulo, Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, atq; ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.

De gratia & libero arbitrio libri primi finis.

Ioannis Driedonis à Turnhout

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORIS APVD IO

VANIENSIS. DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO, LIBER SECVNDUS, in quo soluuntur aduersariorum argumenta, quibus nunc gratiam, nunc liberum arbitrium impugnant.

Huius libri tractatus primus, in quo soluuntur argumenta eorum, qui pro defensione gratiæ Domini nostri Iesu Christi liberum arbitrium, aut enacuant, aut impugnant, aut minus rectè intelligunt.



Ratiam simul esse cū libero hominis arbitrio, ab initio vsq; in præsens tempus apud Ecclesiæ fidem, tanta semper cōstantia fuit custoditum, vt ab eis, qui dominica tractauerunt eloquia vno ore, vnoq; animo fuerint in numero hæreticorum deputati, quicumque liberū negauerunt arbitrium. Princeps mundi huius diabolus humani generis inimicus, sciens omnem hominem esse reū damnationi; obnoxium, sub suaque esse potestate traditum, & id quidem propter peccatum libero arbitrio commissum, & neminem posse à peccato liberari, nisi per gratiā Domini nostri Iesu misericordis, nihil sic agit, nihil sic sollicitat, quàm vt homines semel sub sua potestate traditos, vel captiuos detineat, vel fallat incautos. Id autem præcipuè præstat, dum tentat facere, suggerere, & persuadere, vt homines vel errent circa gratiam Domini nostri Iesu Christi, vt aut prorsus negent illam & non credant in Iesum, aut non rectè intelligant illam suamq; iustitiam ex operibus sine gratia Christi factis cōstituunt. Atq; ita de viribus liberi sui arbitrij præsumant cum diuinæ gratiæ iniuria, vel liberū prorsus tollant arbitrium causamq; damnationis, ac mortis huius, & culpam ipsam in Deum reiciant. Vtrumq; igitur hæresis est, & liberum videlicet negare arbitrium, culpamq; in Deum reijcere, & asserere hominem absq; gratia Christi misericordis posse bene, ac iuste viuere. De quibus & in libris superioribus longe lateq; disseruimus, latius etiam hæc tractaturi in sequentibus libris, De seruo, captiuo, & libero arbitrio, De natura & gratia, De concordia liberi arbitrij, & prædestinationis diuinæ, in quibus si Deus dederit, adferemus difficultates, rationes & argumēta, sumptis medijs ex impotentia rectè agendi, ex captiuitate, & seruitute peccati, ex spiritalibus vniculis, morbis & vulneribus, in totum genus humanum per Adæ peccatum aduectis ex immutabilitate ac infallibilitate diuinæ præscientiæ, ex certissima & æterna prædestinatione ac reprobatione diuina, quibus rebus tota scriptura sacra est plenissima, ex quibus cum homines arrogantes huius seculi, contemnentes venerandam patrum autoritatem, & antiquas Christianæ fidei regulas, varijs & peregrinis doctrinis abducunt, iniuriam facientes & conditori naturæ, dum liberum prorsus tollat arbitriū, & diuinæ gratiæ ac redemptori nostro Christo, dum docent liberum arbitrium sibi ad iustitiam & ad salutem æternam assequendum sufficere. Quatenus autem ordine quodam pedetentim omnia profequamur, in præsentiarum pro breuitate libri huius generalia quædā adferemus & soluemus argumenta. Primum contra vim quam liberum vocamus arbitrium, adferētes scripturas sacras, sanctorum patrum testimonia, & rationes, ex quibus consequens esse videtur, omnem iustitiam, omnemque bonū humanæ voluntatis motum, omniaque merita bona fieri in anima à Deo solo. Animam autem & huma-

nam voluntatem habere sese perinde atq; subiectum suscipiens ab altero impressiones & formas. Deinde soluētes Pelagianorū argumenta, & rationes cōtra Dei miserentis gratiā in mediū productas. Quamuis autem ad confutandas hæreses, & ad argumenta hæreticorū dissoluēda, nemo possit occurrere omnibus omnium animorū motibus, omniumq; scripturarū & argumentorū rationibus, quas per tinaces hæreticorum animi moliuntur cōfingere, quia in mentē scribentis, & catholicam fidem defendentis venire non possunt omnia, quæ hæretici vel excogitare, vel confingere possunt contra ecclesiæ fidem, omnia tamen ferme eorū iacula sunt iā olim à sanctis patribus maturis studijs, ex lucidissimis diuinæ scripturæ eloquijs euentilata, trita, & euersa, adeoq; certæ sunt fidei Christianæ regulæ, tot & tam cōmuni cōsensu orthodoxorū omnium receptæ, & tā vetusta ecclesiarum consuetudine cōprobata, vt non sit omnino difficile contra nouitates eorū tradere quædam catholicæ fidei documenta, quibus non omnino inermes existant fidei catholicæ defensores, quos & iuxta Pauli Apostoli doctrinam oportet paratos esse ad satisfaciendum, & eos qui contradicunt arguere.

Primum argumētum. Solus Deus operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, nunc ex iudicio suæ misericordiæ, nunc ex iudicio suæ iustitiæ. Omnes nos filij Adæ nati sumus in ira Dei, cœlestibus bonis cæci, prorsus ignorantes salutis viam, reatibus seu vinculis peccatorum constricti. Deus autem pro sua misericordia illuminat tenebras nostras, dirumpit vincula peccatorum, tollit culpam, infundit gratiā, fidem, spem, & charitatem, per spiritum sanctum sanctificat & iustificat, & eos qui fuerunt spiritualiter mortui, resuscitat ad spirituales vitam. Et quod ipse solus hæc faciat, non cooperante libero hominis arbitrio, videtur manifestum. Nam si homo ipse in huiusmodi actionibus concurreret, tum ipse homo diceretur sibi ipsi infundere spirituale lumen fidei, & sibi ipsi remittere peccata, & dare sibi spiritum sanctum, quæ sane omnia sunt absurdissima. Deinde quod & in huiusmodi iustificatione impiorum Deus operetur etiam internos motus, pœnitentiæ gemitum & plāctum, remoueatque prauas, duras, seu rebelles voluntates, videtur ex scripturis sacris manifestissimū. Nam & ipse de populo impio per prophetam loquitur, Auferam ab eis cor lapideum, & dabo eis cor carneū, & spiritum nouum, Ezechielis trigésimo sexto. Ego auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor nouum. Cor lapideum est dura & aduersus Deū rebellis voluntas, nō cedens, videlicet inspirationi, seu impressioni diuinæ. Cor carneū, cor nouum, est bonus & suavis voluntatis motus, secundū quem anima, quæ pridem vivebat secundum Adam veterem iam Christum induta, odit ea quæ sunt veteris vitæ, diligens cœlestia & sempiterna bona.

Dicet forsitan quispiam, quemadmodum docet Augustinus super illum psalmum, Feci iudicium & iustitiam: aliud esse iustitiæ virtutem, quæ est opus solius Dei: aliud esse ex virtute operationem, quam facit homo ipse. Aliud, inquit, est iustitiæ virtus, quæ est opus gratiæ: aliud iustitiæ opus quod facit, is qui habet in se opus gratiæ, de quo loquitur propheta, Feci iudicium & iustitiam. Rectè hoc diceretur, si Deus operaretur in hominibus solum posse bene viuere, donans fidem, spem, charitatem, cæterasque virtutes, quibus paratus est homo bene viuere, habens in potestate vti & non vti, acceptis spiritus sancti donis. Iam autē hoc esse falsum in superiori lib. demonstrauimus, ostendentes Deum operari etiā in nobis omnia opera bona, omnia insuper merita iustorum bona, esse vera Dei dona, atque ita consequi videtur ea non esse nostræ voluntatis opera.

Primi argumēti corroboratio 1. Quod & primū videtur hac ratione posse corroborari. Nā per oēm ferme locū in scripturis precamur & oram⁹, vt ipse sua misericordia hæc in nobis faciat.

Ex qui-

Ex quibus videtur consequens esse, huiusmodi opera non esse sita in liberi arbitrii potestate. Nam si bona merita in nostra essent libera potestate, non essent Dei dona, stultumque esset orare, vt Deus in nobis hæc faceret, quæ nos facimus libera nostra voluntate. Nō cupimus à Deo, vt ipse ambulare nos faciat, si habeamus in nostra potestate vt ambulemus. Sic enim argumentatur August. Quid stultius, inquit, quam orare, vt facias quod in potestate habes, prorsus nō oramus, sed orare nos fingimus, si credimus nosmetipsos, non illum facere, quod oramus, prorsus non gratias Deo agimus, sed agere nos fingimus, si vnde illi gratias agimus, non ipsum, sed nos facere putamus. Ad habendum igitur cor nouum, & merita bona, orandum potius videtur, vt desuper accipiamus bonam voluntatem, quæ aut propriæ voluntatis conatibus laborandum, aut attritionibus seu pœnitentiæ operibus conandum, vt nos ipsi faciamus in nobis, excitemus, aut agamus boni quippiam. Vnde Ambrosius, vel alius quispiam non improbandus author, libro primo, de vocatione omnium gentium. Voluntas mutabilis, quæ non ab incommutabili voluntate regitur tanto citius propinquat iniquitati, quanto acrius intendit actioni. Item Augustinus, Non habet homo in potestate sua, vt sit bonus, siue non videndo, qualis esse debeat, siue videndo, & non valēdo esse, qualem se esse debere videt. Præterea videtur hoc ipsum secundo corroborari. Nā Deus sese habet in iustificatione, perinde atque sese habet in cuiusvis rei creatiōe. Cum ergo solus Deus operetur in creando, videtur quod & solus operetur in iustificando. Quod & significasse videntur scripturæ, orante propheta, Cor mundum crea in me Deus. i. fac in me quod solum à te potest fieri. Quis adiuuit spiritum Dei, aut quis consiliarius eius fuit? Isaiæ. 4. Ex quo consequens videtur, spiritum Domini solum operari in nobis. Opera bona, sunt Dei dona diuinitus in nobis creata, dicente Paulo Apost. Ipsius sumus factura creati in Christo Iesu, in operibus bonis, quæ Deus præparauit, vt in illis ambulemus. Deus enim, inquit idem Apostolus, est qui operatur in vobis velle, & operari pro bona voluntate. Qui cepit in vobis opus bonum, perficiet vsque in finem. Dixi nunc cœpi, inquit propheta, hæc est mutatio dexteræ excelsi. Consequens igitur videtur, nihil esse tribuendum humanæ voluntati, nisi vt suscipiat solum sanctarum affectionum & electionum motus à Deo, qui vt inquit Apostolus, creans nos in operibus bonis, operatur velle & operari. Suscipiat quidem non coacta, non vim passa, non contranitens, non sicut corpus graue suscipit motum ad superiorem locū à proijciente, & aqua calorem ab igne, sed vt potentia quædam cuiuslibet affectionis tum bonæ, tum malæ susceptiua, perinde atq; materia apta est ad quamlibet formam, ab agente imprimendam. Hoc planè videtur dixisse August. lib. primo de prædestinatione sanctorum, posse habere fidem, posse habere charitatem, naturæ est hominum: sed habere fidem, habere charitatem, gratiæ est fidelium.

Tertio videtur hoc ipsum corroborari ex scripturis, quibus significatur homo esse in manu Dei, sicut lutum in manu figuli. Lutum autem nihil operatur in figuris & formis, quas suscipit ab artifice: videtur igitur liberum arbitrium nihil operari in bonis affectionibus, & operibus cœlitus immixtis. Quemadmodū & videtur significasse propheta Ieremias, Sicut lutum in manu figuli, ita vos in manu mea, dicit Dominus. Rursus Isaias sexagesimo quarto, Nunc Domine pater noster es tu, nos verò lutum, tu fictor noster, & opera manuum tuarum omnes nos. Sed figulus neque vlla iustitiæ necessitate constringitur, neque iniuriam vllam facit, siue ex luto vas fecerit in honorem, siue in contumeliam. Apostolus cum præmississet, non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis: tandē adiecit, An nō habet potestatem figulus luti ex eadē massa facere aliud vas in honorē, aliud

O ij in

Primi argumēti corroboratio 2.

Primi argumēti corroboratio 3.

in contumeliâ? Cuius vult miseretur, & quæ vult indurat. Itē, Ecclesiastici. 33. Oēs homines, inquit Sapiēs, de solo & ex terra sunt, vnde Adā creatus est, & ex ipsis benedixit, & ex ipsis exaltauit, & ex ipsis maledixit & humiliatum, quasi lutum in manu ipsius. Item in tanta cæcitate nascitur omnis homo, vt nunq̄ etiã accedente rationis vsu posset cognoscere salutis æternæ viã, si non Deus ipse per donū filij gratiã mentē hominis illuminaret, sicuti longe, lateq; in superioribus declaratum est. De^o igitur si illuminet cor hominis, remouēs tenebras interiores, id est, ignorantiam & cæcitatem de cœlestibus bonis. Item si tollat à corde hominis cõtemptum Dei & duritiã, & operetur in illo assensum, habeatq; se ad humana corda, perinde atq; figulus ad lutū, videtur ex necessitate consequens esse, q̄ neq; bona electio, neq; intentio recta, neq; attritio seu cõtritio, vel pœnitentia vlla salubris à voluntate nostra producat. Sed quod hæc omnia sint à solo Deo inspirata, atq; diffusa in humana voluntate. Ad hoc ipsum stabilendum expressa videtur Apostoli sententia, Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, Charitas autem secundum Augustinum est bona voluntas, quæ est motus animi ad fruendum Deo propter ipsum. Et hæc quoque videtur plana resolutio Augustini, in libro de gratia & libero arbitrio capite decimosextimo, Vt velimus, inquit, Deus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens, vt velimus sine nobis operatur Deus. Cũ autem volumus, & sic volumus vt faciamus, nobiscum operatur. Quid est hoc quod dicit, Vt velimus operatur Deus in nobis sine nobis, nisi quod nobis non cooperantibus operatur ipsum velle, id est, bonum voluntatis motum. Cũ autem ex velle habito siue ex bona voluntate desuper nobis immissa, membra nostra veluti manus aut pedes mouemus in opus, nobiscum cooperatur Deus, vt cooperatio humanæ voluntatis, non ad ipsum velle, non ad bonæ voluntatis interiore actum, sed ad bonum opus redundans in exteriores vires, & membra, quibus voluntas imperat, referatur. Cui & verba Dei ex ore prophetæ prorsus consonare videntur, Ego, inquit, dabo vobis cor nouum, vt mandata mea faciatis, ego faciam, vt faciatis, ac si dicat, Ego vobis inspirabo ac immittam affectiones, & bonos voluntatis motus, ex quibus iam mandata faciatis. Ego mutabo voluntatem vestram malam in bonam. Non dicit, Ego faciam, vt vos faciatis vobis cor nouum & spiritum nouum, ac voluntatem nouam. Sed Ego, inquit, dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum, ex quo iam mandata faciatis. Et ita ego faciam vos facere.

Videtur ergo quod in actione, qua facit nos Deus facere, non cooperamur Deo, sed in actione, qua nos quippiam extrinsecus facimus moti à Deo, cooperamur illi: & huiusmodi doctrina videtur posse illustrari exemplis, si consideras actionē, qua scriptor mouet calamus ad scribendum. In huiusmodi actione non cooperatur calamus scriptori, licet in opere, quo sunt literæ, calamus suo scriptori cooperetur. Concludendum igitur videtur, omnes bonas motiones, affectiones, & volitiones interiores à solo Deo fieri in libero arbitrio non cooperante, seu coefficiente, tametsi non sine libero arbitrio consentiēte. Quemadmodum Bernard. de gratia & libero arbitrio plane tradere videtur, dicens, Opus salutis sine duob^{us} effici nō posse, vno, à quo fit: altero, in quo De^o author est salutis: liberū arbitriū tantum est capax salutis. Nec dare illam nisi Deus, nec capere valet, nisi liberum arbitrium, quod soli datur libero arbitrio, & à solo Deo tā absq; consensu accipientis, q̄ absq; gratia dantis esse non potest. Idem Augustinus in libro de spiritu & litera, Habere & accipere non potest anima Dei dona, nisi consentiēdo. Nemo cogit accipere, nisi velit: vnde & alibi definitiã virtutem, Vir tus, inquit, est bona qualitas mentis, quam Deus in nobis sine nobis operatur.

Ex

Ex istis igitur consequens esse videtur, liberum arbitrium in laudabilibus motibus internis, & affectionibus Deo non cooperari ad motus illos bonos, secundū quos Deus facit ipsum bene velle & operari, quemadmodum calamus, tametsi dum homo scribit, aliquid faciat, non tamen mouet ipsum ad scribendum, neq; quicquam facit ad motum illum localem, quo mouetur à scriptore ad literas, ad sic vel sic protrahendum.

Secundum argumentum.

Liberum arbitrium si cooperatur Deo ad bonas voluntatis actiones, consequens videtur aliquid boni esse nostrum, & liberum arbitrium ex se aliquid boni posse agere. Hoc autem falsum, & contra Paulum Apostolum in prima ad Corinth. dicentem, Quis te discernit? Quid enim habes, quod non accepisti? ac si dicat, Nihil habes in te boni, quod non desuper accepisti ex gratia Christi. Dices forsitan bonas actiones, volitiones, & motiones intellectus, aut voluntatis fieri, partim à Deo, partim à libero arbitrio, sed à Deo tanquam principio principaliter agente. Atq; ita nos nihil boni posse, nisi cooperante Deo. Rectē profecto hæc dicerentur, si in opere bono quicquam foret ad quod liberū arbitrium ex se posset. Jam hoc nō ita sese habet. Nam & hoc Apostoli testimoniū, quis te discernit tam magnum, inquit August. est vt beatus Cyprianus ipsum subiecerit illi titulo, in quo ait, In nullo est glorandū, quoniam nostrū nihil est, & proinde tutiores, inquit idē August. viuimus, si totum Deo demus, non illi ex parte, & nobis ex parte, libro secundo, de bono perseverantiæ. Ex quibus concludit ibidem, nos nihil habere boni, quod sit nostrum, sed omnia in nobis bona, esse Dei dona. Quod & voluisse videtur Bernard. in fine libri sui de gratia & libero arbitrio, demonstrans bonum non partim à gratia, partim à libero arbitrio peragi, sed vt totum est ex illa scilicet gratia, ita totum sit in illo scilicet libero arbitrio.

Et in corroborationem argumenti huius, videtur primò sic posse formari ratio. Opus bonum si partim fiat à Deo, partim à libero hominis arbitrio: testimonia igitur scripturæ, quæ in commendationem diuinæ gratiæ leguntur dicta, poterūt & ecōtrario in laudē liberi arbitrij prædicari. Et quemadmodū dicit scriptura, Nisi Dominus edificauerit, aut custodierit ciuitatem, frustra vigilat homo qui custodit eam. Ita ecōtrario dici poterit, Nisi homo edificauerit, aut custodierit ciuitatem, frustra vigilat Deus, qui edificat, aut custodit illam. Quia sicut non fit opus bonum, sine cooperante Christo, ita neque fit opus bonum sine cooperante libero hominis arbitrio. Absurdum autem est dicere, Deum frustra edificare, vel custodire ciuitatem. Ergo Deus solus omnia bona facit non cooperante libero hominis arbitrio. Secundò videtur idem posse corroborari, liberū arbitrium si cooperetur Deo ad bonas voluntatis electiones, consequens est aliquā bonam actionem esse in viribus nostri liberi arbitrij. Nam quemadmodum cū duo simul lapidem portant, aut nauem trahunt, vterq; eorum secundum propriã agit actionem, propriasq; vires, neq; est vnus actio, alterius actio, quāuis motus in lapide, vel in naue sit commune vtriusque opus. Actio ergo illa, qua liberum arbitrium cooperatur Deo, solius erit liberi arbitrij actio, quod si fuerit admissum, aliqua bona actio, vel saltem pars actionis, in voluntate erit ex natura, nō ex gratia, & ita Apostolo interroganti, Quis te discernit, poterimus respondere, discernit me bona actio liberi arbitrij, quæ mea est solius. Hoc autē reputat Aug. absurdum, in libro ad Simplicianum. Nihil igitur actiuitatis super bonas volitiones videtur attribuendum esse hominis voluntati. Tertium argumentum pro defensione gratiæ contra liberum arbitrium ratione physica ostēdens, quod voluntas in omni suo motu, qui vocatur velle, se solum habeat, vt subiectū patiens, vt suscipiens, non vt agens, non vt efficiens. Sicut nihil est sibi ipsi causa, vt sit,

Secundū argumentum.

Secundū argumentum confirmatio.

Tertium argumentum.

ita nihil est sibi causa vt moueatur. Principium enim physices est, idem secundum idem non posse mouere seipsum, neque posse ad seipsum agere. Voluntas autem cum incipit diligere, odire, velle, aut eligere quicquam, quod prius neque volebat, neque eligebat, transmutatur de motu in motum. Ab alio igitur transmutatur. Nam & huius occasione philosophus in Metaphysica probat, nullam esse potentiam actiuam, quæ sit contrariorum effectuum. Cum ergo voluntas sit contrariorum motuum capax, amoris videlicet & odij, consequens videtur eam non esse contrariorum effectricem, sed eam ab aliqua superiori causa moueri ad alterum contrariorum. Vnde argumentatur Philosophus ibidem, Si potestas vlla esset contrariorum susceptiua, quæ foret huiusmodi contrariorum effectrix, contraria simul, inquit, in eodem esse possent. Hoc autem impossibile. Voluntas ergo cum sit potentia contrariorum motuum susceptiua, amoris videlicet & odij, volitionis item & nolitionis, non poterit esse principium huiusmodi motuum effectuum. Et posset hæc ratio sic confirmari. Nam secundum catholicos patres gratia Dei operatur secundum vniuscuiusque dispositionem & affectionem, & perinde sese habet ad liberum hominis arbitrium, sicut lumē seu calor solis, qui liquefacit ceram, & indurat lutū. Sic enim habet Hieronymus, Eadem solis operatio liquefacit ceram, & indurat lutum: sic & eadē Dei operatio liquefacit piurum, & indurat impiorum corda.

Eadem solis operatio ceram emolliat, lutū indurat

Quartū argumentum.

Quartum argumentum sumitur ex doctrina Pauli Apostoli dicentis, Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis.

Ex hac Apostoli sententia probat Augustinus, bonum opus, quale est bene velle, & bene currere, totum à Deo fieri, & non ex vtroque simul, Deo videlicet & libero arbitrio, alioquin non videretur illi conuenire, quod dicit Apostolus ibidem, Potestatem habet figulus ex eadem massa facere vas aliud in honorem, aliud in contumeliam. Vnde in epistola sic habet Augustinus, Quod dicit Apostolus, Non est volentis, neque currentis, non idcirco dictum est, quia est hominis & diuinæ voluntatis cōkursus in operando, sed ideo quia nihil potest homo nisi Deus misereatur. Et in Enchyridio cap. 32. sic argumētatur, Si propterea, inquit, dictum est, Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis, quia nō est solus hominis volentis aut currentis opus, sed & Dei etiam miserentis: ac si velit dicere ex vtroque simul opus fieri, id est, ex voluntate hominis, & ex misericordia Dei, vt sic dictū accipiamus, nō est volētis neque currētis, sed miserētis est Dei, tanquam diceretur, Non sufficit sola voluntas hominis, si non sit etiam Dei misericordia. Sequeretur etiam eadem ratione recte posse dici eōtrario, videlicet, non est miserentis Dei, sed volentis hominis, quia illud solius Dei misericordia non impletur. Sed nullus Christianus dicere audebit, non est miserentis Dei, sed volentis hominis, ne Apostolo aperte contradicat. Restat igitur propterea Apostolum dixisse, Non est volentis neque currētis, quia totū dandum est Deo, qui hominis voluntatē præparat, vt bona fiant, & adiuvat præparatam ne deficiat, quæ admodum & Bernardus in libro de gratia & libero arbitrio videtur resolvere de bonis operibus, non partim Deo, partim homini, sed totū Deo esse dandum. Quod & videtur primum posse tali ratione confirmari: nam & omnīs affectio salubris, intentio recta, ac motio, qua ipse hominis animus, siue credendo, siue amando in Deum fertur, sit non ex naturali rationis lumine, aut liberi arbitrij viribus, sed ex donis Dei naturæ superadditis fide videlicet, spe, & charitate. Fides autē, spes, & charitas, sunt ab extrinseco à Deo videlicet animæ immissa. Et est vnūquodque horum sicut in aquam defluens à sole, vel ab igne calor, secundū quem aqua sursum fertur, aut sicut impetus lapidi impressus in superiora proiecto, aut

ficus

sicut motus instrumenti operantis ex directione artificis. Sed aqua, lapis, artificis instrumenta non à seipsis mouentur, nihilque actiuitatis conferunt naturales illorum corporum vires ad huiusmodi motus. Proinde iuxta Aristotelem secundo Ethicorum huiusmodi corpora sic lata, violentè mouentur, id est, à principio extrinseco non conferente vim passio. Sicut ergo violentia lapidi immissa, lapidē pellit in altum, lapide non cooperante, sed potius contranitente, sic videtur impetus charitatis desuper immissus mouere animam, ipsa nihil agente, sed desiderijs carnis propriæ, & amore sui magis nitentibus in contrarium. Secundo possumus corroborare argumentum ex his, quæ motum voluntatis antecedunt, veluti sunt cogitationes. Prius enim est cogitare, quàm velle. Nihil enim volumus, nisi de quo prius cogitamus, quanuis enim non omnia, quæ cogitamus, volumus, necesse tamen est, vt omnia quæ volumus præueniēte cogitatione velimus. Ex hoc tale formatur argumentum. Illud quod necessariò præcedit motum voluntatis vt cogitatio, non est in potestate voluntatis, sed forinsecus immittitur, aut intrinsecus à Deo, dicente Apostolo, Non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis. De hoc & plana est Augustini doctrina 3. de libero arbitrio, cap. vltimo, Nemo, inquit, potest velle quicquid, nisi quod aut extrinsecus per sensum corporis auditum, scilicet, & visum, aut intrinsecus, per alios occultos modos venit in mentem. Voluntatem non allicit ad faciendum quodlibet, nisi aliquid visum seu cogitatum. Cogitat omnis, qui vult, & volendo cogitat, & cogitando vult. Cum ergo non sit in hominis potestate facere, vt vnum vel alterum subeat in hominis mentem, dicente eodem Augustino ibidem, quo viso animus tangatur nulla potestas est. Et Ambrosius super verbum prophetæ, Auerte oculos meos ne videat vanitatem, non est in potestate nostra, cor nostrum, & cogitatio nostra, inualidi sumus auertere oculos nostros. Volumus interdum à vanitate oculos auertere, & non possumus, consequens igitur videtur, non esse in potestate liberi arbitrij agere vllum motum voluntatis, sed motum prauum, aut extrinsecus per sensum corporis, aut intrinsecus per demonis suggestionem. Bonum autem desuper Deo eū inspirante accidere, dicente Propheta, Ego dabo eis cogitationem & sensum, vt intelligant me. Quod tractās Hieronymus, Si cogitatio bona, & sensus non ex nobis, sed ex Deo sunt, vbi est, inquit, liberi arbitrij tam superba cogitatio, lib. 2. aduersus Pelagianos. Non videtur igitur motus voluntatis esse in potestate hominis, qui non habet in potestate motum suæ cogitationis.

¶ Secundum caput huius tractatus, in quo pro solutionibus argumentorum adferuntur sententiæ.

Pro supradictorum argumentorum solutionibus ex dictis in superioribus, conuenit nonnullas sententiæ, quasi recapitulando ad memoriam reuocare. Gemina sunt in homine Christiano Dei dona. Nam alia sunt quæ aguntur in homine, sed non ab homine. Sunt & alia quæ in homine, & ab homine aguntur. Quemadmodum etiam iuxta Pauli Apo. doctrinam, gemina sunt in nobis mala. Sunt enim quæ aguntur in nobis, & à nobis, veluti praua opera quæ facimus, vel cōsentientes voluntariè, vel ex cōsensu operantes. Sunt & alia quæ aguntur in nobis, sed non à nobis, veluti motus illiciti, voluntate inuita & reluctante exorti, de quibus Paulus, Quod odi malum hoc facio, non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum, ad Romanos septimo. Hæc sententia est Augustini, libro secundo, contra duas epistolas Pelagianorum capite octauo, Multa Deus facit in homine, inquit, bona, quæ non facit homo. Nulla verò facit homo bona, quæ non facit Deus, vt faciat homo. Vt velimus sine nobis operatur Deus, cū aut volumus, & sic volumus vt faciamus nobiscū cooperatur, tamē sine vilo vel operante

Sententiæ. 1.
Duplicita sunt
in homine Dei
dona.

Nota Augustini
sententiam.

rante vt velimus, vel cooperante cum volumus ad bona pietatis opera nihil va-
lemus. De operante Deo vt velimus, inquit Paulus, Deus est qui operatur in vo-
bis velle & operari pro bona voluntate. De Deo autem cooperante cum iam vo-
lumus, & volendo facimus, dicit idem Paulus, Scimus quoniam diligentibus De-
um omnia cooperatur in bonum. Charitas enim quæ est benigna, facit omnia in
homine seruire Deo, etiam aduersitates patienter ferre, & inter prosperitates hu-
militer sentire & sapere. Habes de hoc Augustini doctrinam in libro, de gratia
& libero arbitrio, capite 17. Patet autem hæc sententia ex scripturis apertè indi-
cantibus, aliud esse Dei solius opus, aliud verò opus Dei simul & hominis. Pro
ampliiori autem istorum intelligentia, considerandum est triplex sacrarum scri-
pturarum genus. Nā quibusdam scripturæ locis Dei opus significatur præcedere o-
pus nostræ voluntatis, veluti sunt, quibus dicitur Deus vocare nos, excitare & pul-
sare ad ostiū cordis nostri, trahere nos, remittere peccata, iustificare nos, dare gra-
tiam nobis, & operari in nobis sancti spiritus charismata, vt fidem, spem, chari-
tatem, ceterasque gratias, de quibus Paulus. 1 ad Corin. 10. 12. 13. ca. dicens, Diui-
siones esse gratiarum, eundem autem esse spiritum qui operatur omnia in omni-
bus, atque ita Dei opera esse hæc omnia, nostrum autem esse, si iam vocati & exci-
tati auscultemus & attendamus ad Deum ipsum vocantem, cœlitusque attracti
aperiamus illi ianuam, seu ostium cordis nostri, vt desuper accepto spiritu fidei
in Christū, veniamus ad ipsum, cōsentiendo, credendo, & obediendo. Alijs
verò scripturæ locis nostræ voluntatis opus significatur præcedere opus Dei, ve-
luti sunt scripturæ, quibus exigitur aliquid ab homine, cui facienti Deus pollice-
tur sese aliquid facturum in homine. Huius generis sunt ferme omnia scriptura-
rum loca expressa per verba imperatiua, vt, *Quærite & inuenietis, pulsate & ape-
rietur vobis, petite & accipietis, Aperi os tuū & implebo illud.* Accedite ad De-
um & illuminamini, Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis, Conuertimini
ad me, & cōuertar ad vos. Tertium scripturarum genus est, quibus adinuicem
collatis vnū & idem genus operis, significatur nūc præcedere opus Dei,
nunc verò sequi, & nunc ad diuinam, nūc ad humanam designatur pertinere vo-
luntatem, verbi causa, Ieremiæ trigesimoprimo, *Conuerte me, & conuertar
ad te: quia postquam conuertisti me, egi pœnitentiam, vbi postulat conuer-
sio nostra fieri à Deo, & nos nihilominus conuertere nos ad Deum, & pœnitentiã
agere.* Item Ieremiæ decimosexto, inquit Deus, *Si conuerteris, conuertam te. Itē,
Aperi os nostrum, significatur esse hominis opus, cum Deus iubens, inquit, Ape-
ri os tuum, & implebo illud, psal. 80. vbi alterum videlicet aperire, ad hominem
pertinere significatur. Alterum, videlicet implere illud, significatur Dei opus ef-
fe. In scriptura verò Deuteronomio quarto, vbi dicitur, Ego aperiam os tuū & imple-
bo illud, & instruam te, quæ loqui debeas, vtrumque scilicet, tam aperire os, quam
implere sapientia seu instruere, illud significatur esse Dei opus. Ad Ieremiam
inquit Deus, *Ecce dedi verba mea in ore tuo, & constitui te super gētes & regna,
vt euellas & destruas, dissipas, ædificas, & plantes.* Item cor nouum & spiritus
nouus interdum significatur esse Dei opus, veluti cum dicit Deus per prophetā,
Ego dabo vobis cor nouum & spiritum nouum. Interdum verò significatur esse ho-
minis opus, veluti cum Deus ab homine exigit, vt faciat sibi cor nouum & spiri-
tū nouum, *Facite, inquit, vobis cor nouum & spiritum nouum.* Conuersio ergo
cordis nostri ad Deū, aperire cor nostrum, facere cor nouum & spiritum nouū.
Itē credere in Iesum, aliāque id genus opera multa, in scripturis sacris nunc signifi-
cantur esse Dei opera, nunc verò opera quæ ab hominibus agēda exiguntur. Occa-
sione harū scripturarum Pelagiana hæresis sectatores falluntur, dū in cōgerie
bonorum*

Triplex sacra-
rum scriptura-
rum genus de
operibus, quæ
Deus operatur
in nobis.

bonorum operum conantur discernere inter opera hominis seu liberi arbitrij,
& opera Dei non aduertentes vnū & idem opus bonum, esse Dei opus simul &
hominis facientis opus illud, prius miserente & adiuuante Deo. Sic conuersio
cordis nostri ad Deum. Item credere in Deum, & aperire ei corda nostra, pete-
re, orare & pulsare sunt quidem liberi arbitrij opera, sed cœlitus excitati atque
tracti intus spiritu Dei. Et hæc est doctrina Augustini vbi supradicentis, Nulla
facit homo opera bona, quæ non facit Deus, vt faciat homo, quauis Deus ipse
nonnulla faciat in homine bona, quæ non facit homo, vt velimus Deus opera-
tur in nobis sine nobis. Cum autem sic volumus vt faciamus, nobiscum opera-
tur Deus. Atque ita Deus operatur velle, & operari in nobis, non quia nos non
volumus, non quia nos non agimus, sed quia sine gratia illius facientis nos bene
velle & agere, non possemus quicquam boni velle & agere. Iam ergo
si roges, quis sit ille effectus, quem Deus operatur in nobis sine nobis, cum bene
velle incipimus, de quo Augustinus, Vt velimus Deus operatur in nobis sine no-
bis. Cum enim primus motus voluntatis bonus, quo voluntas incipit bene velle,
quæ prius erat mala, sit motus à voluntate elicited & productus, non videtur De-
us in nobis sine nobis operari vt velimus. Dices forsitā, quod Deus illum motum
quæ nos facimus & producimus, operatur in nobis sine nobis, propterea quod de re-
bus ad salutem animæ pertinentibus, seminat cogitationem, & attentionem, sine
qua non possumus incipere bene velle. Sed huic respōsioni rursus obuiat, quod
ipsa cogitatio seu attentio de rebus salutis nostræ, est actus à mēte elicited & pro-
ductus. Respondeo, August. cum dicit, Deus vt velimus operatur in nobis sine
nobis, intelligit hoc, non quod Deus faciat vllum velle in voluntate, ipsa non agente
aut non producēte motum illum, sed quod Deus faciat voluntatem velle sine nobis,
id est, absque nobis nos faciamus nos velle. Ea quæ sunt salutis nostræ nunquā per-
uenirent in mētes hominū, nisi diuina reuelatione ac suasionē. Quemadmodum
autem in rhetoricis & doctrinis & in sapientia huius seculi ad faciendum fidem,
& ad commouendū voluntates hominum in affectiones, plerumque multa prius
quam auditores credant & afficiantur antecedunt, quibus mentes eorum tangū-
tur, & pulsantur, vt credant, assentiant, & afficiantur ad ea, quæ proponuntur. Sic
& Deus, quauis possit totum simul facere absque profectuum mora, plerumque gra-
dibus quibusdam & ordine operatur, & nunc per hominem, nunc per angelum,
nunc per semetipsum intus tangit hominum corda, vt cogitent de rebus ad salu-
tem pertinentibus, & vt intendant in ea, quemadmodum dicitur Actuum decimo-
sexto, *Aperuit Deus cor Liddæ, vt intenderet in ea, quæ dicebantur à Paulo.* De-
inde suasionibus ac testificationibus agit, vt persuadeat, quemadmodum & ipse
Christus & Apostoli ad introducendum homines ad fidem Christianam, suasio-
nibus ac testificationibus signisque & prodigijs, & diuersorum languorū ac mor-
borum curationibus sunt vsi. Apostoli quoque in omnem terram diuisi, sicuti Euā-
gelica testatur historia, prædicauerunt vbi que Domino cooperante, & sermonē
confirmante, sequentibus signis.

Pro ampliiori horum intelligentia, sit hæc sententia secunda. Bifariam potest
intelligi Deum operari quædam in nobis sine nobis, Vno quidem modo, quod
ipse operetur illa sine nobis elicentibus, seu producētib; illa. Alio modo, quod
ipse operetur illa sine nobis, facientibus nos facere aut producere illa. Vnde
multa facit mens hominis, tam secundum intellectum, quæ secundū voluntatē quæ
non facit se facere, vt pote cogitationes, & volitiones, quibus hois animus tangitur
absque præuio ratiōis iudicio aut cōsilio: sic vt velimus Deus operatur in nobis si-
ne nobis, dū sine ratiōis nostræ cōsilio, ordinatione, aut imperio incipimus subito
velle

Nota hic doctri-
nam Augustini.

Quomodo intel-
ligitur, ut aeli-
mus Deus ope-
ratur in nobis
sine nobis.

Deum operari
quædam in nobis
sine nobis bifar-
mā accipi potest.

velle bonum aliquod mente apprehensum : interdum verò, vt velimus Deus operatur in nobis sine nobis: veluti dum suadet, vt nos moueamus nosmetipsos ad ipsum velle, ita quòd ipsum velle sit motus, non solum à voluntate nostra elicitus seu productus, sed & ab ipsa imperatus & volitus, atque ita facere vt velimus, non vno, sed duobus contingit modis.

Sententia. 3.

Quatuor gradus actionis in affectione salutis.

Quatuor sunt gradus in assequutione salutis nostræ. Primum est proponere nobis salutaria, excitare, vocare nos, seu inuitare, & admonere : secundum est acquiescere, seu consentire, & credere Deo inuitanti : tertium est dare gratiam & remissionem peccatorum : quartum est permanere & perseuerare. Primum est Dei solius opus : secundum est opus hominis: tertium opus Dei : quartum est liberi arbitrii opus, simul & cœlestis adiutorij. Habes de his determinationem ex concilio Mileuitano, quam recitat Augustinus in lib. de ecclesiasticis dogmatibus. Firmissimè credendum est in præuaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem & innocentiam perdidisse, & neminem de profundo illius ruinae per liberum arbitriū posse confurgere, nisi eū gratia Dei miserentis erexerit, neminem, nisi per Christum bene vti libero suo arbitrio, neminemq; aliunde posse placere Deo, nisi ex eo quod ipse donauerit, hominemq; postquam seductione serpentis per Euam cecidit naturæ bonum perdidisse, pariter & vigorem arbitrii, non tamen electionem, ne non esset suum quòd emendaret seu cuitaret peccatum, & quòd suo arbitrio, Dei gratia miserente, peccatū dilueret. Atq; ita mansisse post peccatum ad querendam salutem, arbitrii libertatem, id est, rationalem voluntatem, sed admonente prius Deo, ac inuitante ad salutem, vt vel eligat, vel agat occasione salutis diuina inspiratione. Initiū ergo nostræ salutis, Deo miserente habemus, vt acquiescamus salutiferæ inspirationi nostræ potestatis est: vt adipiscamur quòd acquiescendo admonitioni cupimus, diuini est muneris, vt nō deiciamus ab adepto salutis munere, sollicitudinis nostræ est, & cœlestis pariter adiutorij, vt labamur potestatis nostræ est & ignauæ. Habes has sententias in libro de ecclesiasticis dogmatibus, in capite vigesimoprimo, & in sequentibus sex capitulis.

Nota sententias fides de gratia ex libero arbitrio.

¶ Tertium caput, in quo soluuuntur argumenta superius posita.

His sententijs consideratis, facile patere considerantibus potest, argumenta quibus probare conatur aduersarius liberū arbitrium nihil boni agere, sed esse veluti subiectū suscipiens solum, non recte concludere. Ad primū igitur argumentū quo assumitur Deū solū oīa in nobis bona operari. Respondeo ex supradictis manifestū esse, hoc esse falsissimū, cum demonstrauimus Deū quædam operari in nobis sine nobis, quædam cooperantibus nobis. Tria, inquit Bernard. sunt, quæ Deus operatur in nobis, videlicet bonū cogitare, bonum velle, & bonū perficere. Primum operatur in nobis, sine nobis: secundū nobiscum: tertium per nos. Primū, inquam sine nobis, neq; enim est in potestate nostra, vt nos Adæ filij, in ira Dei nati in his quæ ad vitam æternā possunt perducere cæci tangamur cogitationibus, & attentionibus earū rerum, quibus assequamur remissionē peccatorum, & vitam æternā. Atq; ita sicuti probat argumentū à Deo solo fit nostræ salutis exordium, qui sua misericordia præueniēs bonū seminat cogitatū, de rebus ad Christianā religionē pertinentibus, qui & solus operatur remissionem peccatorum sua largitate, solus infundens spiritū viuificantē, variāq; eiusdem sancti spiritus charismata. Cū autem Deus per spiritū sanctum hæc solus operatur, homo etiam ipse aliquid operatur, sed aliud q̄ vocationem, aut suasionem, seu testificationē de Christo Iesu. Aliud item, q̄ remissionem peccatorū, aut gratiam, vt fidē, spem, charitatem, quia absq; motu liberi arbitrii credētis, & à peccato in Deum resiliens,

Deus dum solus aliquid operatur, homo etiam aliquid operatur.

resiliens, nō sit iustificatio impij, aut fidei, charitatisue infusio in adultis. De parulis enim alia est ratio. Verū huiuscemodi motus interiores, actus videlicet credendi, interior penitentia de peccato, conuersio in Deū ipsum nulli essent, si nō Deus sua misericordia liberū arbitrium in illa preparasset. Atq; ira Deus auferit quidem cor lapideum largiens cor nouum, & carneum, dum facit liberum arbitrium à vita peccati veteris Adæ recedere, & ex fide in Christum nouum Adam per amorem in Deum tendere, vt & credat, & diligat ea quæ prius vel non cogitabat, vel cogitans contemnebat. Ex his iam consideratis facile est intelligere cur Deus ipse qui pollicetur se daturum nobis cor nouum, & spiritum nouum exigat à nobis, vt nos ipsi faciamus nobis cor nouum, & spiritum nouum per Ezechielem prophetam dicens, Projicite à vobis iniquitates vestras, quas impiè gestistis in me, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum, Conuertimini & agite penitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris. Ecce qui dicit, Dabo vobis cor nouum, is inquit Augustinus, & iubet, Facite vobis cor nouum. Quare iubet, si non homo faciat, sed ipse daturus este quomodo ipse daturus est, si homo facturus est? nisi quia dat quod iubet, vt homo faciat cui iubetur. Vnde hominibus audientibus Deū in scripturis loquentem, Ego auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor nouum, ne putarent se nihil debere facere per liberum arbitriū, iubetur vt velint, aut nolint. Nolite obdurare corda vestra. Projicite à vobis cor durū. Projicite à vobis oēs iniquitates vestras. Auferite malum cogitationū vestrarū ab oculis meis. Quiescite agere peruersè, Abijcite opera tenebrarum, & induite arma lucis, Exuite veterē hominē cum actibus suis, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est. Iudæos interrogantes Christū, Quid faciemus, vt operemur opera Dei? Ipse Christus non coarguit, quasi stolidè interrogassent, volentes facere opera Dei, sed instruxit, Hoc, inquit, est opus Dei, vt credatis in eum, quē misit ille, apertè insinuans credere in Iesum, esse opus Dei, quod & oporteat nos facere. In Actib. quoq; Apost. post prædicationē Petri Iudæis cōpunctis & interrogantibus, Quid faciemus viri fratres? respōdit Petrus, Penitentiam agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum in remissionem peccatorū.

Deus qui exigit ab homine cor nouum, dat eum homini cor nouum.

Ex his omnibus consequens est hominem aliquid etiam voluntariè facere, vt saluus fiat, videlicet credere in Iesum, cessare à peccato, & penitentiam agere. Atq; ita quantum credere, & penitere sint in nobis Dei opera, tamen & homo facit illa, præuenit & adiutus Dei gratia. Et hæc est plana omnium ecclesiasticorum patrum sententia. Atq; ita verum est quod vltra in argumento assumitur Deum scilicet virtutem operari in nobis sine nobis. Virtus, inquit Augustin. est bona qualitas mētis, quam Deus in nobis sine nobis operatur. Opus autem virtutis nobiscum operatur. Ad ea quæ in corroboratione prima assumuntur, dicimus nō valere consequentiam, quāuis enim oramus Deum, vt ipse faciat in nobis opera bona, non tamen ex hoc consequens est nos non facere illa. Nam bona opera seu merita iustorum sunt Dei dona, non quòd ipse solus hæc faciat in nobis otiosis, sed quia absque gratia Dei miserentis & cooperantis, bona opera facere non possumus. Deinde & hic sciendum, quòd ex orationibus, quibus sancti in sacris literis Deum precantur, potius sequitur eius quod infertur in argumento contrarium, videlicet non Deum solum facere in nobis bona opera seu merita, sed Deum facere, vt nos faciamus illa, quemadmodum ipse ait, Ego faciam vt vos faciat, & in præceptis meis ambuletis, & ideo sancti orant Deum, vt ipse faciat eos facere & ambulare & currere in lege Domini. Fac me facere, inquit, propheta, voluntatem tuam, Deduc me in semita mandatorum tuorum, Inclina cor meum Deus in testimonia tua.

Sancti orant Deum in hac vita, ut ipse faciat eos bene agere.

Cum au-

Cum autem in argumento assumitur, Opera bona, si essent in voluntate nostra, stultum esset orare, ut Deus faceret illa in nobis. Respondeo, Hoc esset utique verum, si essent in voluntate nostra absque diuinæ gratiæ adiutorio. Nunc autem non sic est doctrina Augustini, dicentis, Quid stultius, quam orare, ut facias, quod in potestate habes: ut facias, manifesta est ex sententijs coherentibus. Stultum enim esset orare alterum aliquid, ut faceremus, quod sine illius iussu & adiutorio possemus facere. Unde subdit Augustinus, Orare Deum nos fingimus, si credimus nosmetipsos, & non Deum facere quod oramus. En vides quod Augustinus non dicit, orare Deum nos fingimus, si credimus nosmetipsos facere, quod oramus, sed adiecit, si credimus nosmetipsos, & non Deum facere, &c. Quia ergo Christiani credunt non semetipsos solos, sed & Deum facere opera bona, idcirco salubriter orant, ut hæc faciant, dum ipsum Deum implorant omnium suorum operum adiutorem, protectorem, & ductorem. Liberum arbitrium per Adæ peccatum factum est mortuum, seruituti peccati, & reatui æternæ mortis obnoxium per corruptibile corpus, & malum habitans in carne ad mala pronum. Idcirco indiget liberatore, qui solus vitam spiritualem infundit, spiritum videlicet viuificationem, qui & solus debita peccatorum remittit credentibus & inuocantibus illum. Et quia credere & inuocare illum nemo potest, nisi pater cœlestis traxerit illum. Idcirco cœlestis Dei tractus omnem hominem, qui saluatur habet præuenire. Iam autem præuentus homo spiritu sancto viuificante absque suis meritis iustificatus indiget assidue gratiæ conseruatione, semperque à Deo fieri iustus & perfici debet manens inter huius mundi, & suæ carnis tentationes ad omne bonum cogitationis, electionis, & consilij & operationis inualidus, infirmus, & languidus, indigens quotidiani Dei miseretis auxilio. Neque enim pro corporis infirmitate orabat propheta, cum diceret, Misere mei Domine, quoniam infirmus sum, sana me Domine, quoniam commotus turbata sunt omnia ossa mea. Nam ut ostenderet se orare pro anima, ilico subiungit, Anima mea turbata est valde, sana Domine animam meam, quia peccaui tibi. Ad me ipsum anima mea turbata est varijs tentationibus ad peccatum agitata, propterea memor ero tui de terra Iordanis. Ad verbum Ambrosij dicentis, quod voluntas mutabilis, quæ non ab incommutabili voluntate regitur, tanto citius appropinquat iniquitati, quanto acrius intendit actioni. Respondeo, Verbum illud suum secum afferre sententiam, in eo quod dicitur voluntas mutabilis, quæ non ab incommutabili voluntate regitur. Intelligitur ergo de voluntate humana quatenus mutabilis est secundum varia huius mundi carnisque desideria, quæ vocatur & voluntas animalis seu carnalis, secundum quam placent ea quæ sunt huius mundi & carnis bona, quæ Deo displicent. Talis voluntas, quanto acrius intendit actioni ut suis satisfaciatur desiderijs, tanto magis appropinquat iniquitati. Et hunc esse sensum Ambrosij, patet ex coherentia sententiarum, cap. secundo lib. primi, de vocatione omnium gentium. Deinde cum necesse sit voluntatem hominis in omni sua operatione regi seu dirigi, vel à diabolo seu carnis instinctu, vel ab impressione diuinitus immissa, consequens est voluntatem mutabilem, si non regatur ab incommutabili voluntate diuina, regi à voluntate diaboli secundum varia huius mundi desideria, & ita tanto citius appropinquat iniquitati, quanto & acrius sic recta à diabolo intendit actioni. Verum hic sciendum est, quod humana voluntas ab incommutabili voluntate regitur, interdum per adiutorium gratiæ, interdum vero per lumen rationis internæ, secundum leges quasdam immutabiles naturæ impressas, ex quibus impius etiam in vita impia exercet quædam pietatis opera. Atque ita huiusmodi naturalis pietatis opera non intelliguntur inclusa in supradicta Ambrosij sententia, quantum peccet voluntas humana si suis viribus nixa & n-

Voluntas mutabilis quæ non à deo regitur quo acrius intendit actioni, hoc magis appropinquat iniquitati

sa, contempta Christi saluatoris gratia, ex huiusmodi operibus conaretur se posse apprehendere remissionem peccatorum, & veram iustitiam ad regnum cœlorum, Augustini sententia dicentis, Non habet homo in potestate sua ut sit bonus, siue non videndo qualis esse debeat, siue videndo & non valendo esse, qualis se esse debere videt, omnem supradictam resolutionem confirmat, videlicet, omnem hominem absque vero lumine Christo habitare in tenebris, & in vmbra mortis, atque ita neminem posse sine gratia attendere in suæ salutis viam. Nam absque lumine fidei, hæc humani generis sub peccato captiuitas & miseria, quæ intrauit per Adæ peccatum, hæc fidei necessitas, hæc gratia per Christum querenda non veniret unquam in mentes hominum, nisi Deo reuelante, inspirante, & charitatem infundente. Et hac ratione August. in lib. de spiritu & litera, cap. 2. inquit, Ad nihil nisi ad peccandum valet liberum hominis arbitrium, si lateat veritatis vita, & cæt. intelligens liberum arbitrium absque noticia veritatis viæ salutis, non posse facere vllum opus retributione in futuro seculo dignum, nisi peccatum.

Ad ea quæ in secunda confirmatione primi argumenti adferuntur, Deum videlicet creare cor mundum, & creare in nobis opera bona, ex quibus consequens videtur, solum Deum sine nobis operari in nobis cor nouum, & meritum bonum.

Respondeo hoc argumentum solum concludere, Deum operari aliqua in nobis sine nobis, videlicet gratiam, remissionem peccatorum, sanctificationem, seu iustificationem nostram, dum ipse Deus absque meritis nostris per spiritum sanctum facit animam nostram sibi templum & habitaculum, continuo dedicat & sanctificat illam, creans in ea sui spiritus charismata, quibus iam liberè & spontaneè in Deum tendat credendo, sperando, & diligendo. Apostolus ad Eph. 2. non dicit Deum creare in nobis opera bona, sed nos, inquit, esse figmentum ipsius, creatos in Christo Iesu in operibus bonis, hoc est, fecit nos absque meritis nostris esse nouam creaturam in Christo Iesu, ut iam noua regeneratione viui spirituali vita deinceps bene viuamus, & ambulemus, inquit, in operibus bonis, quæ nos, ipso præparante, & donante operamur. Deinde Apost. ad Philip. 2. cum dicit, Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate. Mox antè præmiserat, Cum metu & tremore vestram salutem operamini. At ita ex his duobus Pauli Apostoli locis, non sequitur solum Deum operari in nobis opus bonum, & nos non operari: imò sequitur nos bonum opus operari, illo operante gratiam in nobis, quæ operemur non opera præsentis vitæ, quorum operum potestatem operandi accepimus, cum crearemur homines, sed opera vitæ cœlestis, quorum potestatem operandi accepimus, cum crearemur, ut essemus per ipsius misericordiam boni, erepti ex perditionis massa.

Creati in operibus bonis.

Ad ea quæ in tertia confirmatione primi argumenti adferuntur ex scripturis, quibus significatur homo esse in manu Dei, sicut lutum in manu figuli.

Respondeo, quod sicut lutum in manu figuli est, qui potest ex luto confingere vas honoris: ita dicimus omnem hominem, præcipue iam in perditionis massa damnatum esse in manu Dei, quantum ad segregationem ex perditionis massa, & quantum ad accipiendum formam honorabilem, spiritualem vitam, iustitiam, salutem, remissionem peccatorum, & sancti spiritus charismata, quibus Deo placeat, & bene viuere valeat. Ipse Deus ex massa perditionis, quos vult eripit: & in eadem massa, quos vult deserit absque vlla iniquitate. Deinde Deus ipse in humanas voluntates plenissimum habens dominium, potest eas mutare de affectione mala, vel electione vna in aliam: sed non inde sequitur, quod sicut lutum non operatur quicquam in formatione sua secundum formam artificalem: Ita & hominem non operari quicquam in formatione bonæ vitæ, vel præparando sese ad

P gratiam

gratiam bene viuendi accipiendā, vel operando ex iam accepta gratia, non enina oportet similitudinem quadrare in omnibus. Vnde sicut natura in semine præparat corpus ad susceptionem rationalis animæ, quæ à solo Deo creatur & infunditur, ita & vis liberi arbitrij cœlitus suasa & tracta, præparat animam ad suscipiendam gratiam spiritus sanctificantis à solo Deo tribuendam.

Ad verbum Augustini dicentis, Vt velimus Deus operatur in nobis incipientes sine nobis, & cætera. Iam sæpe diximus Deum operari velle in nobis, nõ quia nos non volumus, sed quia sine gratia eius prius miserentis & adiuuatis, nec volumus quicquam boni, nec agimus, atque ita cooperamur Deo, agimusque aliquid, non solum in exteriori opere, sed etiam ipsum internum voluntatis opus nos agimus & producimus.

Ex supradictis enim iam patet, quod etsi Deus interdum faciat vt faciamus nos velle, interdum verò facit nos velle bonum, sed non facit, vt faciamus nos velle bonum, semper tamen cum bonum volumus, facit nos elicere & producere ipsum velle, seu bonum voluntatis motum. Huius rei accipe intelligentiam ex similitudine, Deus facit solem producere lumen, sed non facit vt sol faciat se producere lumen. Ad verbum Bernardi dicentis, opus salutis sine duobus fieri non potest, vno à quo fit, altero in quo fit: Deus auctor est salutis, liberum arbitrium tantum est capax. Respondeo ex doctrina hac Bernardi, solum sequitur, quod in agendo seu in operando salutem, liberum arbitrium se habeat purè passiuè, quod manifestū erit si videatur, quod nomine salutis designetur incolumitas & seruatio vitæ à malo liberæ, atq; ita salutē operatur, qui à morte aut à malis liberat, & vitam incolumem ac beatam præstat. Et quia sicuti iam diximus liberationem à captiuitate diaboli, à sempiterna morte, remissionemq; peccatorum, gratiā sanctificatē ac salientē in vitā æternā, solus Deus operatur in nobis. Ideo rectè dicit Bernardus. Deus auctor est salutis, liberum autē arbitrium tantū est capax. Veruntamen dum Deus salutem hanc in nobis operatur, nos etiam, vt habet Bernardus ibidem, aliquid facimus, consentientes & obediētes, remissionem peccatorum & gratiā postulantes. Neq; enim Deus remittit peccata volentibus perseuerare in peccatis, neq; gratiam cœlestis vitæ largitur volentibus secundū carnalem vitam ambulare, sed quos saluat, ab huiuscemodi carnali volūtate liberat, faciens illos adhærere Deo, cœlestia credere, & diligere, quæ prius carnalibus, vanisq; caducis rebus immerfis sapiebāt carnalia. Atq; ita fit vt mutatio illa, quæ scriptura vocat iustificationem impij seu inuouationem cordis, seu formationem nouæ creaturæ in Christo Iesu fit mutatio, secundū quā volūtas mutatur ex impietate seu iniustitia ad iustitiam. i. ad rectitudinē quandā à rationali creatura Deo debitā. Sicut autē secundum physicos in mutatione naturali sunt. 4. videlicet mouēs, mobile, terminus à quo, & terminus ad quē, veluti in illuminatione aeris, Ita & in hac spiritali cordis inuouatiōe. 4. sunt, mouēs est bonitas miserētis Dei excelsi, dicēte ppheta, Dixi nūc cœpi, hæc est mutatio dexterę excelsi. De⁹ sua suafione intus mouet hominis mentē ad deserendū peccatū, largiēs gratiam, docēte scriptura, gratiā & gloriā dabit Dominus per Iesum Christū. Mobile autē in iustificatione hac est hominis anima, quæ spiritu Dei tacta tã secundū vim intellectiua, quã secundū appetitiua cōuertitur ad Dominū Deū suū, incipiēs cœlestia credere, & diligere. Terminus à quo est culpa & iniustitia, seu impietas Dei inimicitia & offensa, quæ tollūt adueniēte lumine gratiæ. Terminus ad quem est iustitia, quæ est rationalis creaturæ rectitudo Deo debita, ad quā Deus mutat hominē impium, infundens gratiam, qua & tollatur culpa, ira Dei, ac inimicitia, & dignus fiat homo vita æterna. Atq; ita in iustificatione multę sunt mutationes, vna in po-

Nota sententię
Bern. de gratia
& libero arbitrio.

Quatuor in mutatione quæ iustificatur impius.

tentia intellectiua, quæ ex tenebris cæcitatē & ignorantia illuminatur actu fidei, quo creditur Deus esse iustificator hominum per mysterium Christi absq; vllis ipsorum meritis. Altera mutatio est in voluntate iam odiente peccatum, & amante Deum propter ipsum. Credere autem & de peccatis pœnitere, & velle mutare vitam in melius, diligere Deum, sunt act⁹ hominis cœlesti gratia adiuti, & idcirco congrua ratione, qui dicit, Ego dabo vobis cor nouum, is & iubet, vt faciamus nobis cor nouum: non iuberet hoc Deus hominē, inquit Augustinus nisi homo ipse hoc faceret. Neq; item ipse Deus diceret se dare nobis cor nouum, si homo sine Dei gratia posset sibi cor nouum facere, atq; hoc ipsum totum spirit⁹ sanctus in scripturis declarauit, Ego faciam, inquit Deus, vt vos faciatis, & in præceptis meis ambuletis. Ad secundum argumentum quo dicitur liberum arbitrium si cooperatur Deo in bono voluntatis motu, videtur consequi, aliquid boni esse liberi arbitrij nostri, & ita nõ totū erit Deo dandum, sed partim Deo, partim libero arbitrio, quod est contra diuū Cyprianū, Ambro. August. & Bernardum qui ex scripturis sacris, & præsertim ex doctrina Pauli docentis, totū bonum esse Deo dandum, & nostrum nihil esse. Respondeo id verum esse, quod in con-

Totū Deo dandum quomodo intelligitur.

gerie bonarum nostrarum actionum totum est Deo dandum, id est, quodlibet bonum opus nostrum est Dei donum, facientis nos bene operari. Nam extra gratiam Dei efficitur, inquit Ambro. qui in parte quadam suarum actionum putat se egerē Dei auxilio: in quadam autem parte non egerē. Et hoc quidem intendebant Cyprianus & Augustinus, docentes omne opus bonum in homine ab initio vsque in finem esse Dei donum. Nam & illum sensum probant scripturę, quas ad illam sententiam demonstrandam assumunt, videlicet, Quis te discernit: quid habes quod non accepisti? Non sumus sufficiens cogitare aliquid ex nobis, ex quibus manifestissimè demonstratur omne opus bonū, esse Dei donum. Verū aliud est, si dixerō, Totum opus bonum Deo est dandum: aliud verò si dixerō, Totum opus soli Deo est dandum. Neque ex verbo Cypriani dicētis nihil esse nostrum, sequitur totum soli Deo dandum, sicuti mox patebit. Vnde Bernardus in fine libri, de gratia & libero arbitrio, vbi dicit, Non partim gratia, nõ partim liberum arbitrium: sic planè loquitur, Gratia ad hoc præuenit liberū arbitriū, vt iā deinceps illi cooperetur, atq; ita quod à sola gratia est cœptū, pariter ab vtroq; videlicet à gratia & à libero arbitrio perficitur: vt mixtim, nõ figillatim: simul, nõ vicissim per singulos profectus operētur, nõ partim gratia, nõ partim liberū arbitriū, id est, non vnā partem operum gratia sola, alteram partem liberum arbitrium solum, sed totum, id est, totam congeriem operum: & totū, id est, quodlibet opus bonum, hoc scilicet liberum arbitrium operetur, totum illa scilicet gratia operetur. Atq; ita ex huiusmodi Bernardi sententijs minime sequitur liberum arbitrium non cooperari ad opus bonum, cum ibidem Bernardus expresse dicat contrarium, gratiam videlicet ad hoc præuenire liberū arbitriū, vt ipsi gratiæ idem liberum arbitrium deinceps cooperetur. Iam si dixeris Cyprianum docuisse non solum totum bonum esse Deo dandum, sed & totum bonum soli Deo esse dandum, quia adiecit particulam negatiuam, dicens nihil esse nostrum.

Respondeo. Cyprianus cum dicit, nostrū nihil esse, intendebat non qd nos nihil ageremus bene viuendo, aut bene operādo, sed quod nullum bonum operaremur, quod non esset Dei donum. Ad eiusdem secundi argumenti cōfirmationem qua dicitur, Liberum arbitrium si cooperetur gratiæ in electionibus & operibus bonis, consequens erit aliquam actionem esse in viribus liberi arbitrij Deo cooperantis: veluti cum duo homines aut trahunt nauem, aut portant lapidem: vbi etsi totus motus nauis, aut lapidis simul fiat ab ambobus, tanquam ab

vna totali causa, vterq; tamen secundum propriam agēs actionem, proprijs operatur viribus. Respondeo hanc similitudinem non quadrare huic doctrinæ.

*Deus & liberū
arbitrium con-
currūt ad opus
bonū, nō quem-
admodū duo ho-
mines ad nauis
tractum.*

Deus enim & homo ad bonum voluntatis motum non concurrunt, perinde atq; duo homines ad nauis vel lapidis tractum. In hoc enim tractu alter ab altero non accipit, neq; suū esse naturale, neq; vim & potestatem, neq; efficaciam actionis, sed vterq; trahentiū suis agit viribus. Ad bonum autē voluntatis opus Deus & homo longē alio concurrūt modo, cū homo totū quod habet accipiat à Deo videlicet & esse suum naturale, & vim seu potestatem agendi, & efficaciam actionis, & influxum cœlestis spiritus gratificantis, & facientis bene velle, & ex bona voluntate præcepta facere. Aliud autem dico potentiam agendi, aliud verò efficaciam actionis, Plerumque integra rei natura & potentia manet, nihil tamen agens Deo nolente rem fieri, quemadmodum ignis suæ naturæ derelictus proximus combustibili non lædit, si Deus subtrahit suæ actionis efficaciam, sicuti patuit in fornace Chaldæorum. Atque ita actio qua homo per liberum arbitrium agit opus bonum, non est solius hominis actio, sed & Dei per gratiam spiritus sancti facientis hominem agere, libera & spontanea voluntate, dicente ipso Deo per prophetam, Ego faciam, vt vos faciatis. Ex his igitur manifestum est, quod etsi nemo possit gloriari in sua actione bona tanquam ipsa sit liberi arbitrii ex sese operantis, non tamen inde sequitur liberum arbitrium, aut nihil actiuitatis habere in opere bono, aut sese habere purè passiuè, sicuti Lutherana constringit vesania. Nam ex scripturis sacris in omnibus passim capitulis adeo dilucidum, adeoq; clarum atq; manifestum est hominem facere seu operari opera bona, Dei gratia adiuuante, vt nemo hoc vnquā, nisi cui pertinax fuerit animus, negare præsumpserit. Homo enim si ad bene viuendum, & iuste operandum spiritu Dei adiuuatur, sicuti patet per omnem scripturæ locum, consequens est etiam hominem aliquid agere. Nemo, inquit Augu. adiuuatur, nisi qui aliquid etiam operatur. Vnde liberum arb. non sese habere vt patiens solum seu recipiens opera bona, sed etiam esse operas, atq; agēs ab initio vsq; in præsens tēpus, apud ecclēsiæ doctrinā tanta semper cōstantia fuit custoditū, vt ab eis qui dominica tractauerūt eloquia, magis certissimum proferretur ad alia falsissima refutanda, quā id ab aliquo tanquam falsum refutari tentaretur. Ad tertium argumentum quo dicitur, Sicuti nihil est sibi causa vt sit, ita nihil est sibi causa vt moueatur. Videtur igitur liberum arbitriū non posse in se producere vllum motum: atque ita sese habere purè passiuè.

Respondeo similitudinem in antecedente assumptam non conuenire, quia si aliquid esset sibi causa essendi, Idem esset, & non esset. Ex eo autem quod aliquid seipsum mouet, non sequitur idem esse, & non esse, nisi hoc moueret seipsum per formam, ad quā moueret seipsum, vnde aqua calefacta mouet & reducit seipsam ad frigiditatem per formam suam substantialem, quæ productiua est frigoris. Sic & volūtas quæ est simplex potentia potest mouere seipsam per aliquid, quod est in ipsa videlicet per amorem finis, volens enim finem quempiam potest mouere seipsam, nunc ad diligendum media in finem, nunc ad refutandum impedimenta. Amor autem finis absque rationis imperio immixtus à superiori causa, elicitur à voluntate ex apprehensione eius finis, sicuti iam patuit. Atque ita voluntas mouet quidem seipsam per aliquid, & mouetur à seipsa ad aliquid, sed nō secundum idem. Nam dū est actu in amore alicuius finis, potest velle ea, quæ sunt ad finem. Per aliud ergo mouet se, & ad aliud mouet se.

Hic iam si roges, cur ergo volūtas, quæ sibi semper est præsens nō semper se moueat. Respondeo. Primū, quia actus volūtatī, quo vult aliquid vt finē, nō semper est præsens volūtati. Deinde actu tali præsentē volūtas potest sua libertate sese nō

redu-

reducere in actū, amor enim ille finis non necessitate naturali producit electionem mediorum ad finem. Neq; item voluntas necessariō manet in exercitio amādi finem illum. Primum enim potest à quolibet proposito fine aciem mētis auertere ad aliud cogitandum, quemadmodū præcipit scriptura, Auerte oculos tuos ne videant vanitatem. Deinde multæ possunt esse viæ perueniendi ad finē illum conceptum, atq; ita situm est in potestate voluntatis ex multis medijs propositis eligere quod velit. Deinde in huius seculi peregrinatione voluntas humana non necessariō figitur in cōsideratione & amore finis vltimi. Atq; ita quamuis primus motus, quo voluntas incipit amare aliquid ex subita conceptione illius, vt conuenientis apprehensū, sit naturalis & talis, quæ non inceperit esse in nobis ex rationis imperio, vtique tamen est voluntatis actus, in potestate etiam voluntatis est hunc motum continuare, aut abijcere, aut consentire eidem. Quomodo autem voluntas Deum clarè & intuitiuè visum necessariō amat, alibi declaratur ex scripturis, quibus dicitur, Cum apparuerit, similes ei erimus, Saturabor cum apparuerit gloria tua. Ad principium autem in eodem argumento ex philosophia naturali assumptum, quo dicitur nullam esse potentiā actiuā contrariorum effectuum, quorum ipsa est susceptiua. Respondeo hoc verum esse de potentia actiua naturaliter operante, non de potentia quæ liberè operatur. Nam & Aristoteles nono Metaphysicæ, ponens discrimen inter potentiam rationalem, & potētiam irrationalem, dicit rationalem potentiam esse contrariorum effectricem, secus de potentia irrationali seu causa naturaliter operante. A qua si per formam suam haberet etiam naturalem vim producendi in sese calorem, perinde atque habet vim naturalem sese reducendi ad frigus, iam aqua simul posset esse calida & frigida. Et quamuis vna potentia naturaliter operans, nō possit producere contrarios effectus in seipsam, vtique tamen potest tales effectus vno eodemque tempore producere in diuersa subiecta propter diuersas eorūdem subiectorum dispositiones, quemadmodum sol & ignis vno eodemque tempore indurant lutum & emolliunt ceram.

At dices, sunt res quædam actu frigida, quæ producunt in seipsis caliditatem, quæ & actu calida, rursus reducūt seipsas ad frigiditatem, quemadmodum experimento patet de calce, quæ perfusa aquis, & seipsam & aquas facit calidas, extra aquas verò rursus seipsam reducit ad frigiditatem.

Respondeo, calx actu frigida, virtutem habens calefaciendi aquam, per eandem aquam calefactam, producit calorem in seipsam, vel potius ipsa aqua calefacta producit calorē in calcē illā sibi applicatā, atq; ita calx calefacta sese ex se reducit ad frigiditatem, per aquam autem producit in se caliditatem, non est igitur calx contrariarum qualitatum in se productiua. Hęc ex transcurso dicta sufficiāt ad intelligendū, quonam pacto liberum arbitrium potest in sese producere contrarios motus vicissim, propter ingenitam sibi à conditore naturæ libertatem.

Ad id igitur quod in eodem argumento assumitur secundum similitudinem, quæ sicut eadem solis operatio emollit ceram, & indurat lutū, sic eadem Dei operatio emollit piorum hominum corda, & indurat corda impiorum, quemadmodum plerumque eadem admonitio, eadem prædicatio, vel miraculorum operatio reddit alios humiles & obedientes, alios verò magis duos ac pertinaces.

Respondeo eandem operationem foris adhibitam, sic diuersos effectus operari propter diuersas subiectorum dispositiones, Deus autē sua gratia ex massa perditionis segregans, non solum foris adhibet operationes, sed & intus operatur, intusq; prauas affectiones auferit, immutans hominum voluntates, inclinans eas in testimonia sua, inspirans cor nouum & spiritum nouum.

P iij Ad quar-

*Deus clare nisi
necessario
matur.*

*Differentia inter
sum rationalem,
& sum ir-
rationalem.*

*Vna causa non
est in se contra-
riorū effectuum
productiua.*

*Voluntas quo-
modo mouet se-
ipsam ad opus.*

Non est volens
neq; currentis.

Ad quartum argumentum sumptum ex doctrina Pauli dicentis, non est volens neque currentis, sed Dei miserentis, quam sententiam Augustinus in diuersis locis explanans docet non idcirco dictam esse, quia est hominis & diuinæ voluntatis in bene volendo & currendo concursus, hoc est, non propter auxilium seu concursum Dei nobis ad bene volendum & currendum necessarium, sed idcirco dictam esse, quia homo non potest incipere bene velle, aut bene ad brauium vitæ cœlestis currere, nisi prius Deus misereatur, segregans hominem ex perditionis massa. Respondeo verissimum utiq; esse Apostolum sententiam illam protulisse non idcirco, quia est hominis & diuinæ voluntatis cœcurfus, sicuti demonstrat Augustini ratio, sed ideo quia non potest homo bene velle, & bene currere, neque vllum opus spiritualis vitæ facere, nisi Deus præueniens prius misereatur, resuscitando, & viuificando animam spiritualiter mortuam, largiēs spiritum sanctificantem & viuificatē, sed cum his etiam certissimum nobis esse debet, Apostolum sententiam illam non dixisse, quasi bene velle & bene currere non sint actus hominis volentis aut currentis. Nam & secundum certissimam ipsius Augustini doctrinam ex Apostolo Paulo sumptam, nostrum est bene velle, & bene currere. Verum hoc velle, & hoc currere nostrū neq; esset, neq; fuisset, nisi Deus præueniendo, suam erga nos misericordiam exhibuisset. Sic autem præuenire hominem spiritualiter mortuum resuscitare ac viuificare eum, non est opus hominis concurrentis cum operante Deo, sed est solius Dei opus gratis, id est, non ex merito voluntatis aut cursus nostri, electo præparatum. Vnde aliud est hominem suo libero arbitrio in spirituali sua resuscitatione aut viuificatione operari: aliud eundem hominem operari seu agere suam spiritualem resuscitationem, aut viuificationem. Nam illud utiq; verissimum est: homo enim dū spiritualiter viuificatur aut iustificatur, aliquid etiam operatur credēdo, cōsentiendo, pœnitendo, iustitiā ex gratia implorando. Istud autem, videlicet liberum arbitriū agere aut facere sui iustificationem ac viuificationem falsum est. Atq; ita ex his non sequitur, liberum arbitrium in operibus non agere. Nam ad hoc Deus sua misericordia præueniēs, viuificat seu iustificat, vt iam deinceps etiā agat, & bene viuat.

Cæterum ne ex diuersis sanctorum patrum interpretationibus turbetur sacræ theologiæ studiosus, Sciendum est, quod præcellentissimi sacræ scripturæ interpretes, Hieronymus & Ioannes Chrysostomus, verbum illud Apostoli, Non est volentis neq; currentis, definiunt esse potius pronunciatum interrogantis, cōtradicentis, redarguentis, aut opponētis, quàm allerētis & negantis voce. Vnde Hieronymus in expositiōe epistolæ ad Romanos. 9. Apostolus hoc loco vsq; ad illum locum, Quid enim adhuc queritur, voluntati enim eius quis resistat, assumit personam de contrario venientis, & dicentis, non esse in nobis aut rectē, aut malum agere, sed in arbitrio Dei cōstitutum, qui cuius vult miseretur, & quē vult indurat. Nunc autem (cū dicit, O homo tu quis es, qui respōdeas Deo, nūquid dicit figmētum, &c.) contradicentem superius increpat. Itē si currere & velle nō est inquit, volētis neq; currētis, cur idē Apost. alios vt currant hortatur, dicēs, Sic currite, vt comprehendatis. Præterea si nō est volētis neq; currētis, vt quidā putant, quare ipse currit, dicēs, Cursum cōsummaui. vide & reliqua quæ sequuntur ibidē.

Calumniabitur fortassis quispiam, & dicet hos commentarios non esse ipsius Hieronymi, sed falso attributos eidem. Verum donemus sic esse, habes nihilominus eandem sententiam apud Hieronymum in epistola ad Hedibiam, in responsione ad quæstionem decimam, vbi ne punctum quidem, neq; vnguem transuersum proteftans se ab Apostoli sententijs velle recedere, interpretatur Paulum ad Romanos nono, hoc pacto vt in Iacob & Esau prorsus liberū explicet arbitrium, tam in

Interpretatio
capituli noni ad
Rom. secundum
Hier. Chry. &
Ambr. alia est,
quam secūdam
Augustinum.

nota hec

tam in Iacob, id est in populo Iudæorum, qui Christum Deo vocante receperunt, q̄ in Esau, id est, in populo reprobato, qui Christum recipere noluerunt, distinguēs in scripturis semen bifariam appellari. Vnum iuxta carnem, alterum iuxta reprobationem & spiritū, introducēs scripturas, In Iaac vocabitur tibi semē ex Sara, & in Iacob semen ex Rebecca. Cū enim nondū nati fuissent, neq; aliquid boni aut mali egissent, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, Maior seruiet minori. Horum iam occasione Apostolus à latere venientem quæstionem more suo proponit & differit, dicens, Quid ergo dicemus? Nunquid iniquus est Deus? tanquam dicat, Si Esau & Iacob necdum nati erant, nec aliquid egerant boni, aut mali, vt vel demerentur Deum vel offenderent, & electio eorum atque abiectio, non merita singulorum, sed voluntatem eligentis & abiicientis ostendit. Quid ergo dicemus? Iniquus est Deus? secundum illud exemplum quo loquitur ad Moysen, Miserebor cui miserus fuero, & misericordiam præstabo, cui miserebor. Si hoc, inquit, recipimus, vt faciat Deus quodcunque voluerit, & absque merito vel operibus, vel eligat aliquem, vel condemnet, ergo non est volentis neq; currentis, sed Dei miserentis, maxime cū hoc idem in scriptura Deus loquitur ad Pharaonē. In hoc ipsum excitauit te, vt ostēdam virtutem meam. Si hoc ita est, & pro voluntate sua miseretur Irael, & indurat Pharaonem, populūque Iudæorum: ergo frustra queritur atq; causatur nos, vel bona non fecisse, vel fecisse mala, cū in potestate ipsius & voluntate sit, absq; bonis & malis operibus eligere aliquem, vel reprobare. Quam validam rationem scripturarum ratione cōtextam, & penē insolubilem, breui Apostolus sermone soluit, dicens, O homo tu quis es, qui respondeas Deo. Et est sensus ex eo quod respondes Deo, & calumniā facis, & de scripturis tanta perquiris, vt loquaris contra Deum, & iustitiam voluntatis eius in cufas, ostendis te liberi esse arbitrij, & facere quod vis, vel tacere, vel loqui. Si enim in similitudinem vasis fictilis à Deo creatum te putas, & illius te non posse resistere voluntati, hoc confydera, quia vas fictile non dicit figulo, quare me sic fecisti? Figulus enim habet potestatem de eodem luto aliud vas in honorem facere, aliud in contumeliam. Deus autem æquali cunctos sorte generauit, & dedit arbitrij libertatem, vt faciat vnusquisque quod vult siue bonū siue malum. In tantum autem de dit omnibus potestatem, vt vox impia disputet contra suum creatorē, & causas illius perferretur. Si paciētia Dei indurauit Pharaonem, & multo tempore pœnas distulit Iraelis, vt iustius condemnaret, quos tanto tempore sustinuerat, non Dei accusanda est patientia, & infinita clemētia, sed eorū vitia, qui bonitate Dei in perditionē suā abusi sunt. Alioquin vnus est solis calor, qui secundū essentias subiacētes, alia liquefacit, alia indurat, alia soluit, alia cōstringit. Liquatur enim cera, & induratur lutum, & tamen caloris nō est diuersa natura: sic & bonitas & clemētia Dei vasa iræ, quæ apta sunt in interitum. i. populū Irael indurat. Vasa autem misericordiæ, quæ præparauit in gloriam, quæ vocauit, hoc est, nos, qui non solū ex Iudæis sumus, sed etiam ex gētibus, saluat non irrationabiliter, & absque iudicij veritate, sed causis præcedentibus, quia alij non susceperunt filium Dei, alij autem recipere sua sponte voluerunt. Ex quo ostenditur non gentes eligi, sed hominum voluntates. Atque ita factum est, vt impleretur quod dictum est in Oseā, Vocabo non plebem meam, plebem meam, hoc est, populū gentium, & quibus prius dicebatur, Non plebs mea vos, nunc vocantur filij Dei viui. Hactenus Hieronymus in epistola ad Hedibiam, qui & ibidem recitata interpretatione communi, secūdam quam verba hæc, Non est volentis neq; currentis, & cuius vult miseretur, & quem vult indurat, traduntur esse verba Apostoli negantis, vel affirmantis, amplectitur priorem inter-

interpretationem tanquam veriore. Ex qua sequitur, quod Hieronymus sententiam populum designatum in Iacob dilectum esse, quia semen Israel secundum spiritum, esse voluit recipiens Christum: Populum autem in Esau designatum, odio habitum, quia Christum abiecerunt. Atque ita Hieronymus causam posuit ex parte liberi arbitrii à Deo præuisam, propter quam vnum elegerit, alterum reprobauerit. In eandem sententiam plane concurrunt doctrina Chrysostomi in locis multis, homilia. 42. ad populum docentis, Apostolum hoc dictum, Non est volentis, neque currentis, & cetera. non tanquam propriam introduxisse sententiam, sed nos prius eligere bona, & tum Deum inducere sua. Huic interpretationi etiam per omnia ferme consonat Ambrosius in expositione epistolæ ad Romanos cap. 9.

Deus elegit eum, inquit, quem scit futurum bonum, & odit, quem scit futurum malum. Dixi signanter, ferme per omnia: nam sententiam illam, Non est volentis, neque currentis, accipit Ambrosius in persona Apostoli pronuntiatam. Illam autem, Cuius vult miseretur, & quem vult indurat: accipit in persona contradicentis esse pronuntiatam. Hæc prolixius quod solutioni argumenti congruebant in medium adduxi, ut ostenderem ex hoc. 9. cap. Pauli ad Romanos liberum arbitrium statui potius, quam tolli, & secundum diui Hieronymi, Ambrosij, Chrysostomi, aliorumque sanctorum interpretationem, sententias Apostoli dicentis, Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis, Cuius vult miseretur, & quem vult indurat, non aduersari libero hominis arbitrio, sed corroborari & stabiliri.

Verum hic ne turbetur mens studiosi lectoris, non est silentio prætereundum, quod supradictas sententias, & interpretationes Hieronymi, Chrysostomi, Ambrosij docentium nos prius eligere bona, & tum Deum inducere sua, & eundem Deum saluare, & damnare homines propter præuisa opera aut bona, aut mala, arrogantes hæretici huius seculi calumniantur, præfatosque patres, & eorum sententias indignis tractant contumelijs, asserentes sententias illas tendere in iniuriam diuinæ gratiæ, eosdemque doctores profusus à veritate diuinæ gratiæ deuisasse. Sed mirabili sane falluntur cæcitate, dum ex scripturis sacris in eorundem patrum sententijs nolunt advertere nos prius aliquid boni facere, Deo adiuuante, deinde Deum sua dare sicuti per omnem locum planissime docent scripturæ sacræ, quibus Deus à nobis exigit, ut faciamus aliquid, nobisque facientibus pollicetur se largiturum, etiam in hac vita sua munera. Querite, inquit, & inuenietis. Pulsate & aperietur vobis. Credite in Iesum & salui eritis. Accedite ad eum, & illuminamini, vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem. His scripturis, & id genus alijs innumeris, quid aliud designatur, quam Deum nobis prius aliquid facientibus adesse & aperire, & adiuuare nos atque illuminare. Sic loquuti sunt propheta, & Apostolici viri, & ipse quoque Christus. Sic & loquuti sunt patres vniuersi, docentes quod nostrum sit querere, orare, pulsare, credere, vigilare, bene operari, intelligentes quod hæc sint opera nostra, id est, quæ nos facimus, non quidem absque Deo adiuuante, sed spiritu Dei præueniente & adiuuante, ut hæc libera & spontanea voluntate faciamus, quia nemo potest hæc facere, nisi libero suo arbitrio. Verum in his loquutionibus iugi memoria obseruanda est regula Augustini tradita in libro retractationum, vbi cunq; vel in scripturis, vel apud patres opus aliquod bonum tribuitur humanæ voluntati, tacita Dei gratia non intelligitur exclusa, aliqui ipsæ scripturæ, & sanctorum patrum dogmata sibi ipsis non cõstarent. Ipse Hieronymus, Chrysost. & Ambrosius in locis innumeris docuerunt, nihil nos boni, nec posse incipere, nec cogitare absque Dei miserentis adiutorio. In nobis priusquam credimus, Deus operatur quædã sine nobis suadens, suggerens & persuadens, ut credamus. In nobis insuper dum credimus, operatur multa

fine

sine nobis, ut in fide permaneamus, ut & inter tot ac tantas huius vitæ tentationes ac difficultates non deficiamus, unde anima iam in fide Christo desponsata, sic loquitur in canticis, Misit Deus manum suam per foramen, & ad tactum eius intremuit venter meus, & exurrexi, & aperui dilecto. Non moueretur interior ille rationalis animæ venter ut surgeret, & aperiret sponso suo Christo, nisi ipse sponso prius suæ inspirationis manum misisset in penetrabilibus cordis nostri. Tria hic in anima aduertimus fieri. Primo tangitur, & tremit, secundo surgit, tertio aperit. Primum in ipsa fit, sed non ab ipsa. In primo præoccupatur ut tremat, & nihil ipsa agit, sed magis patitur sentiens occultum sanctæ inspirationis motum. Cum autem sic tacta surgit & aperit, aliquid etiam facit, consentiens, & sese capacem reddens atque accommodans, ut ingrediatur dilectus in sui cordis cubiculum, neque tamen ex hoc consequitur aliquid boni tribuendum esse soli libero arbitrio: nam opera hæc scilicet surgere, & aperire anima non facit, nisi tacta, & intus adiuta manu inspirationis diuinæ. Ex his facile est considerare sermonem, quo dicimus nos aliquid boni facere, quod & in nobis, & à nobis est, longè esse diuersum ab eo quo dicimus nos, aliquid boni facere, quod in nobis, non nisi à nobis est. Nam prior sermo verissimus est, alter est diuinæ gratiæ iniuriosus. Proinde & venerabilis Augustinus iusta ratione coarguit epistolam quandam ad Demetriadem virginem scriptam, hæc tamen falsò diuo Hieronymo esse attributam, in qua discrimen ponitur inter corporales & spirituales diuitias. Corporalesque diuitias ut nobilitatem, sanitatem, non esse à nobis: spirituales autem diuitias, ut iusticiam, castitatem, continentiam, non esse aliunde quam ex nobis. Falsum & perniciosum sermonem esse ostendit, quem ad eandem Demetriadem virginem eiusdem epistolæ author Pelagianus prauitatis sectator loquitur hac verborum serie, Habes charissima virgo, per quæ alijs præponaris. Nam corporalis nobilitas, atque opulentia tuorum esse intelliguntur, non tua. Spirituales verò diuitiæ & virginialis sanctitas, castitas, continentia tua sunt propria. Nullus tibi hæc, præter te conferre poterit. In his merito ceteris es præferenda, quæ nisi ex te & in te esse non possunt. Quæta, inquit Augustinus, in his verbis timenda est perniciosa: nam quod dictum est, Ista bona esse in te & à te, verissime dictum, iste planè est cibus. Quod verò ait, nisi ex te, hoc omnino virus: absit ut hæc libenter audiat sponsa Christi, quæ non, nisi sponsi sui donis nescit ornari, audiat Apostolum Paulum clamantem, Vnusquisque suum donum habet. Catholicè ergo loquitur, cum ait, Hæc tua sunt in te & à te, propter liberum arbitrium, sed perniciosè loquitur, cum inquit, Hæc tua non nisi ex te possunt esse: quia excluditur Dei miserentis & præuenientis auxilium, ratione cuius dicit Apostolus, Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis. Qui sic habet bonum, hoc est, qui sic scit sese habere bonum, ut unde habeat cognoscat, dabitur ei abundantioris gratiæ auxilium, quo rectè viuatur, & in eo quod cepit, valeat permanere. Qui autem non habet, hoc est, qui verum bonum non habet, existimans bonum non nisi à se esse, non agnoscens unde habeat, auferetur ab eo etiam id quod sibi habere videtur. Ex his igitur patet intellectus verbi Apostoli dicentis, Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis: ostensum est enim Apostolus hoc dixisse non propterea solè, quia sine consensu Dei, homo velle & bene currere nequit, sed propterea quia Deus præueniendo miseretur iustificans hominè, ut bene velle & currere valeat. Homo autè non præuenit totà Dei gratiam, sicuti Deus præuenit omnem humanam voluntatè, quia nemo potest venire ad Christum, nisi quem pater cœlestis traxerit.

Ad id autem quod in prima confirmatione quarti argumenti dicitur. Omnia rectè & salutarem cognitionem, omnemque affectionem, & operationem bonam fieri

fieri

optima expositio
Lucy et vide

Bonum opus in
nobis & à nobis
est.

fieri in nobis, nō ex naturali rationis lumine, aut liberi arbitrij viribus, sed ex donis Dei naturæ superadditis, fide videlicet, spe, & charitate, tractatūque cœlesti, quæ sunt ab extrinseco immixta, sicut calor à sole immixtus aquæ, quæ subtiliata sursum fertur, non cooperatæ aquæ forma, aut sicut impetus lapidi impressus, &c.

Respondeo, falsum esse antecedens, nam ex liberi arbitrij viribus facit homo etiam omnia bona opera, quæ facit adiuuante Deo. Deus sua gratia inclinat hominum volūtates vt sua sponte credant, velint, & rectè viuant, sicuti orauit propheta, Inclina cor meum Deus in testimonia tua, & ne putaretur inclinatio hæc esse aliena à voluntate nostra, ait, Inclinaui cor meum ad faciendum iustificationes tuas. Atq; ita longè aliud est de aqua & lapide sursum latis, qui agūtur violente non cooperantibus naturis eorum, & de libero arbitrio, quod à terrenis in cœlestia extenditur amore, & desyderio voluntatis, quamuis plærūmq; contra rationalem voluntatē sit renifus carnis & sensualitatis. Ad ea quæ in secunda confirmatione. 4. argumēti adferuntur patet solutio ex superioribus, solū enim probant initium boni & salutis nostræ ex Deo esse. Quāuis non sit omnino in potestate nostra, quibus visis mens tangatur: vtiq; tamen est in potestate, vel à cogitationibus, vel à rebus ex improuiso occurrentibus acie mentis auertere, & non finire aut crescere, aut morari in nobis, vel fauere eisdem, ac consentire. Ad hanc sententiam comprobādā scriptura sacra plena est testimonijs, quibus admonetur & designatur homo vt dominetur, & præsit suo appetitui, suoq; animo & sensui, vt accommodet mēbra sua ad exequutionē operū iustitig, vt oculos & aures auertat, ne videant vanitates, ne conspiciāt virginem, & scandalizetur homo in decore illius, vt sepiat aurē suam spinis, vt ea quæ memoria tenet, cogitet, ac ruminet. Sic loquitur scriptura, Subtus te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Averte oculos tuos ne videant vanitates. Melior est vir qui dominaberit animo suo expugnatore vrbium. Virginem ne conspicias, ne scandalizeris in decore illius. Humanum dico, inquit Paulus, propter infirmitatē, Sicut exhibuistis mēbra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ. Hæc cogitate quæ didicistis, Memorare nouissima tua & in æternum non peccabis. His & id genus alijs sententijs scriptura sacra est plena, quibus planè demonstratur homini inesse vim quandam sensui & appetitui, membris & sensibus, alijsq; rebus multis sub Deo oīm rerum domino, præsidetatem, quibus vti potest & non vti, quæ & potest applicare ad opus, & cohibere ab opere, sicuti & homo quisq; in sese manifestissime experitur. Proinde quāuis hominis animus non tantūdem dominij habet in suam carnem, sua membra, suosq; sensus, quantum habuit in omnia hæc ante lapsum Adæ, qui ex seruata originali iustitia, non sensisset aliquid in se, inuita volūtate, neq; videlicet in carne sua cupiditates vllas, aut passiones turbātes serenitatē aut tranquillitatē interioris hominis, nec intus pugnas carnis contra spiritū, nec foris timores. Vtiq; tamen nūc hæc sub gubernaculo diuinæ puidetiæ cōstitutā, sunt vt cunq; sub dominio volūtatis humanæ, etiam in paganis & gentilibus, quorum voluntates seruiunt Idolis & libidini, sed non bene vtitur voluntas huiuscemodi rebus, nisi fuerit per gratiam Christi liberata ac iustificata. Et quamuis liberum arbitriū sit sub Domino Deo absque cuius nutu & gubernaculo non potest vel digitum extendere, non tamen inde sequitur, liberum arbitrium non esse dominum suorum motuum & membrorum, quemadmodum in dominijs huius mundi sunt Domini sub dominio & sub aliorum potestate. De his autem latius in libro de seruo captiuo & libero arbitrio, & in libro de natura & gratia.

Huius

Huius libri tractatus secundus, in quo soluntur argumēta Pelagianorum & aliorum, qui pro defensione liberi arbitrij gratiam Christi miserentis, aut minus rectè intelligunt, aut prorsus euacuant seu impugnant.

EX his quæ in superiori libro recitauimus, patet multos esse articulos erroneos, in quibus Pelagius volens defendere liberum hominis arbitrium, errauit in articulis fidei gratiæ Christi. Primū Pelagius docuit nos habere possibilitatem vtriusq; partis nobis cōnaturalem, ex qua possumus bene velle, & nō velle: bene & male viuere, atque ita bona opera, inquit, diuino muneri, simul & nostræ voluntati idcirco esse tribuenda, quia Deus hoc posse donauit, ex quo liberum est voluntati bene & male agere. Deinde Pelagius docuit bona opera nō esse in nobis Dei dona, nisi quia à libero fiunt arbitrio, quod Dei munus est, datum cum crearemur, vt essemus homines ratione vigentes. Si quæ alia est gratia, illa vel est lex data, qua sciamus legis præcepta: vel solum, inquit, valet ad facilius implendum mandata, vel est remissio peccatorum, quæ, inquit, datur secundum meritum hominis credentis & penitentis: non tollimus, inquit Pelagius, Dei auxilium: nam per Dei gratiam possumus omne quod possumus, sed vtrumq; suis finibus terminamus, vt cœlestis sit gratiæ, quod Deus dederit liberi arbitrij potestatem sui; cognitionē per legem: nostræ autē voluntatis sit facere & nō facere, quod ex lege cognoscimus faciendū esse. Atq; ita omne bonum cogitare, facere, ac dicere Dei munus est, qui hoc posse donauit, qui hoc posse adiuuat suæ legis cognitione. Tertiō Pelag. docuit fidē non esse Dei donum, nisi quia ex Dei prouidētia Euangeliū nobis prædicatur. Euāgelio aut prædicato credere & obedire, & secundū illud rectè viuere quisq; habet in sua potestate per vires liberi sui arbitrij absq; alterius gratiæ auxilio. Quartō Pelag. docuit vnūquemq; ex sola legis cognitione per vires liberi sui arbitrij posse adimplere omnia mādata. Quintō Pelag. docuit omnē hominē ex solis viribus liberi arbitrij naturæ cōgenitis posse vitare oīa peccata, & esse sine peccato, ac viuere sine macula & ruga. Sextō Pelag. docuit, qd gratia remissionis peccatorū, etsi non detur secundū merita bonorū operū, quia per ipsam bene operamur, tamen datur inquit secundū meritū bonæ voluntatis, quia bona voluntas orātis, inquit, præcedit, quā præcessit voluntas credentis, vt secundū hæc voluntatis merita sequatur gratia Dei exaudientis: atq; Deus expectat, inquit, hominum voluntates, vt credant, peniteant, & cōuertantur: proindeque iudicandi sunt impij, quia cum habeant liberum arbitrium, per quod ad fidem venire possent, & Dei gratiam promereri, male vtūtur libertate concessa. Iusti verō remunerandi, inquit, sunt, quia bene vtentes libero arbitrio, merentur assequi à Deo gratiā, qua saluentur ac perueniant ad regnū cœlorum. De his omnibus Pelagij erroribus habes censuram August. in libris multis contra Pelagium æditis, & præsertim lib. 1. contra Cœlestiū & Pelagiū, cap. 13. 14. 17. & 24. & in lib. cōtra Iulianū. Itē in lib. de natura & gratia. 6. 7. & 8. cap.

Adducit autem Pelagius pro huiusmodi suis erroribus confirmandis rationes & argumenta.

Primum argumentum sumit sibi media, quibus Pelagius probare conatur naturalem possibilitatem liberi arbitrij omni homini esse insitam, qua quisque habens iam vsum rationis, potest incipere & facere tam bona opera, quàm mala. Nam scripturarum testimonia docent, inquit, situm esse in voluntate hominis, tā facere bona opera, quàm mala, dicente scriptura, Deus fecit hominem rectum, Ecclesiastici septimo, & alibi, Deus ab initio cōstituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui, adiecit mandata & præcepta sua. Si volueris, inquit mādata seruare, seruabunt te. Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris, porrigere manum

Scriptura, quibus ostēditur in hominis potestate esse sensus, membra & vires.

Homo dominus est suorum membrorum & actuum.

Argumenta quibus Pelag. suū conatur probare sententiam.

manum tuam. Ante hominem bonum & malum, vita & mors, quodcunque voluerit dabitur. Quid est quod dicit? Reliquit eum in manu consilij sui, nisi quod reliquerit illum in potestate sui liberi arbitrij, vt agat quod volet, siue bonum siue malum. Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis: quod si nolueritis, gladius deuorabit vos. Item, Si quis vult venire post me, abneget semetipsum. Item, Si quis diligit vitam, & vult dies videre bonos, prohibeat linguam suam à malo: & cætera id genus scripturæ testimonia, quibus nihil aliud significari videtur, quàm hominem posse facere bona opera, & rectè viuere si voluerit. Saluator quoque in Euangelio, inquit Pelagius, docuit bonū & malum ex æquo nos posse facere, Facite, inquit, arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam & fructum eius malum. In nostra ergo potestate videtur situm esse mouere voluntatem nostram, tam in bonum quàm in malum. Et ita gratia nihil aliud esse videtur, quàm potestas bene operandi. Quemadmodum & scriptura docere videtur, cū dicit, Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Et alibi, Cū volueritis potestis illis benefacere. Operamur bene, inquit Pelagius, ex Dei munere, id est, ex potestate diuinitus accepta. Et in confirmationem doctrinæ Pelagij videtur esse, etiam secundum sacræ theologiæ interpretes, ratio commonstrans Deū dare nobis non bonum opus, sed solum potestatem bene operandi. Nam gratia Dei videtur esse fides aut charitas: hæc autem, sunt virtutes. Virtus autem est bona qualitas mentis, qua mens est parata, prompta & habilis bene operari cum velit. Quemadmodum ait Augustinus, Habitus est quo vtimur cū opus est. Vnde & secundum moralem philosophiam subiectum ante acquisitionem virtutis potest in similia opera, licet non promptè & expeditè, quia habitus ad tales sunt operationes ex qualibus & generatur. Iam verò si dixeris, opus esse medico, qui peccatorum vulnera curans sanat & iustificet liberum hominis arbitrium, priusquàm rectè valeat operari. Hoc nihil ob stare videtur sententiæ Pelagij. Nam peccatorum remissione & fide, ac charitate acceptis, videtur homo stante generali fluxu Dei, posse ex fide & charitate operari absq; cōcurso cuiusuis alterius auxilij specialis. Vnde & Pelagius suam positionem declarans exemplo. Si medicus meam, inquit, sanauerit tibiam, per quam rectè ambulare iam valeo, rectè confiteor me ambulare ipsius medici dono atq; auxilio, tamen si medicus iam aut perierit, aut nihil amplius me iuuerit. Ita & in proposito, inquiunt, omnia bona opera esse tribuenda Deo, qui potestatem dedit bene operandi. Non tollimus, inquit Pelag. Dei auxilium: nam per gratiam Dei possumus omne quod possumus, sed vtrūq; suis finibus terminam, vt cœlestis gratiæ sit quod Deus dedit liberi arbitrij possibilitatem, suiq; cognitionem per legem, & Euangelij prædicationem: & nostræ sit voluntatis per seipsam obedire, & non obedire, credere & non credere prædicanti, facere & non facere, quod lex iubet esse faciendum. Cogitare igitur bonū, dicere, aut facere bonum, est Dei munus, qui non opera facit in nobis, sed hoc posse facere donauit nobis. Et consonare videtur scriptura Euangelij dicentis, Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius. Vbi scriptura apertè videtur insinuare in arbitrio voluntatis esse, recipere Christum prædicantem, & potestatem à Deo accepta, nostræ voluntatis opus esse si filij Dei velimus fieri. Secundum argumētum sumit media, quibus Pelagius probare conatur, q̄ Deus nō operatur in iustis opera bona. Et huiuscemodi media hoc pacto recitat Hier. Si omnia opera bona nostra Deus operatur in nobis, ita quod sine eo nihil possumus facere, non mihi debetur merces, sed ei qui in me operatur contra scripturam dicentem, Deus reddet vnicuiq; secundum opera sua. Præterea, si non fecimus bonum opus, seu bonæ voluntatis

motum,

motum, aut voluit nos adiuuare Deus, aut noluit. Si voluit, ergo adiuuit, si non fecimus igitur bonum, ad quod faciendum Deus nos adiuuit, voluntas eius à nostra voluntate erit separata, quod est absurdum. Nam volūtatē illius, nemo potest resistere. Si autem noluit nos adiuuare Deus vt faceremus, non est culpa nostra, si non fecimus. Quandoquidem sine illo operante in nobis nihil potuimus facere. Ex huiusmodi argumentis Pelagius arbitratur hominis voluntatem in suis motibus bonis, & in omnibus operibus, nō à Deo regi, sed liberè quod voluerit posse. Scripturas autem sacras, quibus significatur Deum in nobis operari omnia opera bona, etiam motus interioris volūtatē, veluti cum dicit Apostolus, Deus est qui operatur in nobis velle & operari pro bona voluntate, interpretatur referens huiusmodi diuinam operationem, nō ad actum, sed ad potestatem, ad doctrinā legis, aut prædicationē Euangelij, aut naturā rationalem, qua sic creati sumus liberi arbitrij quo dominemur, nō solum volucris cœli, piscibus maris, sed & omnibus viribus animæ. Eandē rationem Pelagij sic recitat Aug. Quomodo meo vitio, inquit Pelag. nō habeo quod non accipi à Deo, à quo nisi detur, nō est oīno aliud, à quo tale, ac tantum munus habeatur: si in me factū fuerit quod Deus iubet, agendæ sunt gratiæ Deo, qui dedit mihi bene velle, & bene operari. In me autē si non sit factum, quod Deus iubet, non ego corripiendus, sed Deus orandus, vt det id, quod nōdum dedit, videlicet ipsius Dei & proximi charitatē, bonamq; voluntatem, & bonā operationē. Huius argumenti vis est talis, Si bona opera ita sint Dei dona, quod ipse operetur illa in nobis, nō essent prauī homines corripiendi, sed esset pro ipsis tantum orandū, venientq; peccatores admonendi, vt orarent pro impetranda gratia magis q̄ corripiendi. Quid me arguis, inquit Pelagius, si nihil habeam boni quod sit meum? Si non sit in potestate mea cor meū, voluntas mea, quid me corripis, & nō poti⁹ Deū rogas, vt ipse operetur in me velle & operari. Rectè autem, inquit, corriperer, si bonam voluntatem mea culpa non haberē, si illam possim mihi dare, vel altero donante spernerem, & accipere noluissem.

Tertium argumentum sumit media, quibus Pelagius probare conatur, quod quis Euangelio sibi prædicato, possit viribus sui liberi arbitrij, absque Dei gratia credere ex fide accepta, rectè operari. Nam si omnes homines, inquit, ita in Adā perierunt, vt nihil in eis remanserit, quod per prædicantem excitetur ad credendum ea quæ prædicantur, exclusus erit omnis prædicandi vigor, & inanis erit prædicandi labor, nihil enim fiet, nisi diuinitus data fuerit credendi voluntas. Cū igitur secundum infallibilem ecclesiæ catholicæ doctrinam, non est inanis prædicandi labor, consequens videtur hominem posse Euangelio prædicato assentire æquè vt non assentire viribus suæ liberæ voluntatis. Insuper Apostolus ad Romanos conclusit, fidem esse ex auditu per prædicantem verbum Christi.

Præterea in scripturis sacris, inquit, credere Euangelio prædicato, exigitur à libero arbitrio. & præcipitur ei. Insuper quærere, pulsare, orare, inuocare, diabolo resistere, confugere ad Dominum Deum, & facere sibi cor nouū, & spiritū nouum, declinare à malo, facere bonum, ceteraq; id genus opera bona multa exiguntur ab hominibus generaliter omnibus, qui si hæc non præstiterint, efficiuntur rei ac damnabiles: videntur igitur hæc esse sita in potestate liberi arbitrij. Frustra enim exigeretur ab aliquo, vt faceret aliquid, quod facere non posset. Crede, inquit, scriptura, & saluus eris: Qui enim crediderit & baptizatus fuerit, salu⁹ erit, qui verò non crediderit, condēnabitur: Quærite & inuenietis: Cōuertimini ad Deum, & conuertetur ad vos, In singulis istis, vnum horum, inquit Pelagius, exigitur, alterum offertur, vt propter id quod exigitur, si hominis voluntas dederit, deinceps quod offertur à Deo tribuatur. Quod igitur credere seu assentire, vel

Q obedire

Augustinus recitat Pelagij rationem.

Tertium argumentum.

Habitus.

Secundum argumētum Pelag.

obedire Euangelio prædicato, aut diuinæ inspirationi pulsanti, Deo ostium cordis aperire, item orare, petere, & pulsare, non sint in humana voluntate Dei dona, sed liberæ nostræ voluntatis opera, probat Pelagius tali argumêto. Nam si huiusmodi, inquit, essent in humana voluntate dona Dei operâti huiusmodi opera, frustra exigeret ista Deus à nostra voluntate, quia nisi ipse dederit, illa habere non possumus. Quomodo enim meo vitio, inquit, non habeo, quod nisi Deus dederit, accipere non valeo? Insuper & pro huiusmodi suis erroribus strenuè corroborandis, adterebat varia patrum prædecessorum testimoniâ, & ipsius etiam Augustini, docentium passim in suis scriptis, quod nostrum est velle, nostrum est incipere, nostrum est credere, nostrum est mutare voluntatem ex bona in malam. Dei autem est, quod credentes iustificamur, saluamur, bene operamur, & mandata illius custodiamus. Sic contra Adimantium, cap. 26. August. dicit, Nisi quisquâ voluerit, inquit, suam mutare voluntatem, bonum operari non potest, quod in nostra potestate esse positum, in quodâ loco docet Saluator dicens, Aut facite arborē bonā, & fructum eius bonum, aut facite arborem malam, & fructum eius malum.

Quartū argumentum

Quartum argumentum sumit media, quibus Pelagius probat hominem ex viribus liberi sui arbitrij posse adimplere omnia mandata Dei. Nam possibilia, inquit, dedit Deus mandata. Nempe si impossibilia, ipse esset iniustitiæ author, exigens id fieri à libero hominis arbitrio, quod non posset facere. Cùm igitur hoc sit absurdum, ex necessitate consequi videtur, vnumquodque accepta sola legis notitia posse implere diuina mandata. Præterea non boni principis officium, sed tyrannidis potius est, imponere populo grauiâ onera & importabilia, supra vires populi. Non igitur iussit, inquit, Deus, quod sciuit ab homine non posse fieri. Deinde quæ mandata Dei sunt viribus liberi arbitrij possibilia, quodque homo ex illis possit adimplere omnia si velit, probat Pelagius scripturæ testimonijs. Dicit enim Saluator, Iugum meum suauē est, & onus meum leuē. Ioan. Apostolus, Mandata eius grauiâ non sunt. Item Deut. 30. Mandatum, inquit Dominus, quod ego præcipio tibi, non est supra te, nec procul à te, nec in cælo situm, vt possis cauſari & dicere, Quis potest illud ad nos vsque deferre? sed iuxta te est sermo meus valde in corde tuo, & in ore tuo vt facias illud. Quid est, inquit, quod dicit Dominus? Mandatum non esse supra te, sed iuxta te, nisi mandatum Dei non esse supra potestatem tuam? sed moderatum est atque temperatum viribus tuæ voluntatis. Item Saluator, Si vis ad vitam ingredi, serua & cæt. Item Ecclesiast. 15. Ante hominem bonum & malum, vita & mors, quodcunque placuerit, dabitur ei, adiecit mandata & præcepta, Si volueris mandata seruare, seruabunt te. His omnibus videtur scriptura obseruantiam mandatorum Dei ponere in voluntate hominis. Ex his & similibus arbitratum Pelagius cõcludendum, hominem sine peccato esse, si velit, & hominem facile custodire mandata Dei, si velit.

Quintū argumentum

Quintum argumentum sumit media seu rationes, quibus Pelagius ipse demonstrare conatur, omnem hominem, præsertim iam atsequutum remissionem peccatorum, posse per liberi arbitrij potestatem, & vitare omnia peccata, prorsusque viuere absque macula & ruga, si velit. Prima & præcipua ratio eius ex similitudinibus rerum corporaliū sumpta, Quod loqui, inquit, possum, meum non est, quod autem loquor, meum est, id est, voluntatis meæ opus, & quia quod loquor meum est, ideo vtrumque facere possum, & loqui & non loqui: quia verò quod loqui possum, non est meum, id est, arbitrij mei, idcirco necesse est me semper posse loqui, velim, nolim, necesse est me semper habere possibilitatē, qua loqui possum, nisi forte mihi membrum quo loquor, adimatur. Simili modo, inquit Pelag. non peccare meum est, posse verò non peccare, non est meum, quia velim nolim, possibilitatē habeo

non

non peccandi. Et quia non peccare meum est, ideo accepta semel possibilitate ex illa, possum peccare & non peccare. Si enim naturali necessitate ad peccandum constringor, voluntatis arbitrio, ac deliberatione careo. Hoc autem absurdum, possum igitur si uelim omnia vitare peccata. Secunda Pelagij ratio, Peccatum est quod vitari potest. Nulla enim ratio vel iustitia, patitur id dici peccatum, quod vitari nullo modo potest. Nemo enim condemnatur pro eo quod non fecit, quod facere non potuit. Tertia ipsius ratio. Homo debet esse sine peccato. Præceptum enim est illi, vt sit sine peccato. Sobrius estote, inquit, scriptura, vigilate iusti, & nolite peccare. Item ad mulierem in adulterio deprehensam, Vade, inquit, & amplius noli peccare. Non autem præcipitur homini quicquid, quod fieri non potest, Potest igitur homo si velit, non peccare, & sine peccato viuere. Frustra autē præciperetur aut prohiberetur homini, quod ipse homo aut implere, aut cauere non possit. Quarta eiusdem Pelagij ratio. Possibile esse homini iam iustificato in hac vita iugiter sine peccato viuere, & ita in bona voluntate perseverare: nam & plurimi sancti, inquit, leguntur post acceptam remissionem peccatorum in scripturis sanctis iugiter vixisse sancti & irreprehensibiles, & mansisse in iustitia, Abel, Enoch, Melchisedech, Abraham, Ioseph Mariæ vir, & Simeon senex, Zacharias, Elizabeth, & Ioannes Bap. in scripturis sacris commemoratur fuisse iusti, neque leguntur peccasse vnquam. Vnde & Manasses in oratione, Tu Domine, inquit, iustorum, non posuisti penitentiam iustis Abraham, Isaac, & Iacob, his qui tibi non peccauerunt. De Iob dicit scriptura, quod erat vir rectus, & timens Deum, recedensque à malo, & quod non erat illi similis in terra, adhuc retinens suam innocentiam. Qui & de seipso dicit, cap. 13. Si fuero iudicatus, scio quod iustus inueniar. Non reprehendet me cor meum in vita mea, cap. 27. David quoque ad virilem vsque ætatē sine peccato vixit, super cuius & sanctitate testimonium dedit Deus, Inueni, inquit, David virum secundum cor meum, qui facit omnes voluntates meas. De Zacharia & Elizabeth, inquit Euangelista, Erant ambo iusti in conspectu Domini, incedentes in omnibus iustificationibus Domini sine querela. De Nathanaele dicit Saluator, Ecce verè Israelita, in quo dolus non est.

Secunda ratio Pelagij.

Tertia ratio Pelagij.

Quarta Pelagij ratio.

Quintò pro hac sua sententia argumentatur Pelagius. In scripturis sacris præcipitur nobis, vt exhibeamus nos perfectos in iustitia, id est, sanctos & immaculatos, mundos cordibus, & irreprehensibiles coram Deo. Dicitur in Deuteronomio, Tu autem perfectus esto coram Domino Deo tuo. Perfectus eris & absque macula cum Domino Deo tuo. Apostolus ad Colossos. Exhibete vos sanctos, immaculatos, & irreprehensibiles. Et ad Timotheum. Præcipio tibi vt serues mandata sine macula irreprehensibilis, & cæt. Saluator ad discipulos, Estote perfecti sicut & pater vester cælestis perfectus est. Item, Si velis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes. Non est autem vera perfectio hominis, nisi prorsus sit iustificatus, & sine peccato. Cùm ergo scriptura referat perfectionem ad potestatem humanæ voluntatis, consequens videtur hominem posse per suæ voluntatis potestatem esse perfectum, id est, sine peccato si velit. Scriptura dicens, Si vis talis, vel talis esse, indicat situm esse in nostra potestate, si velimus tales fieri, vel tales. Præterea in scripturis commendantur, qui tales sese præstant, quemadmodum ait propheta, Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Et alibi, Quis habitabit in tabernaculo tuo? Respondet, Qui ingreditur, inquit, sine macula, & operatur iustitiam. Item, Quis ascendet in montem Domini, Respondet, Innocens manibus & mundo corde, id est, qui nec in opere, nec in cogitatione peccatum habet. Beati mundo corde, inquit Saluator, quoniam ipsi Deum videbunt. Item Apostolus ad Timotheum. de seipso, Gratias, inquit, ago Deo meo, cui seruo in conscientia pura. Nihil, in-

Quinta Pelagij ratio.

Q ij quit,

quit, mihi conscius sum, sed nō in hoc iustificatus sum. Præterea de ecclesia Christi dicit idem Apost. Quod Christus ita dilexit eam, vt exhiberet eam sine macula & ruga. Item Ecclesiast. 13. Bona est substantia cui non est peccatum in conscientia. Et Ioannes Apostolus, Qui natus est ex Deo non peccat, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. Si non reprehendat nos cor nostrum, fiducia habemus ad Deum. His ergo & similibus scripturæ exemplis, atq; testimonijs arbitratur Pelagius multos in hac vita & fuisse, & esse iustos, qui iugiter vixerunt sine peccato, aut saltem, qui post acceptam semel remissionem peccatorum possent iugiter sine peccato viuere, & omnibus tētationibus resistere, vt nō peccēt vnq; nec habeant quotidie orare, Dimitte nobis debita nostra.

Sextum argumentum sumit media, quibus probare videtur hominis voluntatem præcedere omnem specialem Dei gratiam & misericordiam, Deumq; expectare hominum peccatorum voluntates, quæ gemendo & pœnitendo præuenientes impetrent Dei misericordiam & gratiam. Quam sanè sententiã Pelagius conatus est probare scripturæ sacræ testimonijs, quibus significatur motus bonus humanæ voluntatis, interiorq; gemitus, & pœnitentia esse prior, quàm remissio peccatorum, & initium salutis esse ex eo q̄ homo peccator parat sibi opem diuinæ gratiæ credendo, & pœnitendo, orando, pulsando, & conuertendo. Quacumq; hora conuersus ingemueris, inquit Ezechiel propheta, saluus eris. Conuertimini, & agite pœnitentiã ab omnibus iniquitatibus vestris, & nō erit vobis in ruinã iniquitas. Item si impius egerit pœnitentiã ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudiciũ & iustitiã, vita viuet & non morietur. Item, Conuertere Ierusalem ad Dominum Deum tuum, Conuertimini ad me, inquit Dominus, in ieiunio, & fletu, & planctu, & ego conuertar ad vos. Præparate corda vestra Domino: hominis enim est præparare cor, & à Domino responsio linguæ. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Redite præuaricatores ad cor. Pœnitimini & credite Euangelio. Pœnitentiã agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Ex his & similibus scripturis arbitrantur Pelagiani voluntatem hominis pœnitentis & ingemiscens esse priorē diuinæ gratiæ, gratiamq; remissionis peccatorum dari secundum meritum bonæ voluntatis credentis, gementis, & ad Deum sese conuertentis. Hac enim ratione, & Saluator monet, inquit, liberum hominis arbitrium dicens, Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Velle adiacet mihi, inquit Apostolus, perficere autem non inuenio. Loquebatur autem Apostolus ibidem non de velle vitij, nec de velle naturali, sed de velle salubriter & rectè. Ex huiuscemodi erroribus distinctim collectis, habes quod Pelagius in omnibus dixit humanam voluntatē esse priorē, q̄ Dei gratiam, & ita humanã voluntatem esse ducem, & antecessorem, Dei autem gratiam comitem & pedissequam. In veris virtutibus acquirendis dixit homines nasci bonos, & innocentia plenos, nec esse in ira Dei aut malos, nisi accedente rationis vsu peccauerint propria voluntate, & idcirco homines si manserint, quales & in hunc mundum nascuntur, placere Deo, & non indigere redemptoris gratia, eosdemq; ante gratiã posse incipere opera bona Deo placentia, quibus mereantur à Deo gratiam ad obtinendam vitam æternam. Quod si accedente rationis vsu peccauerint, dixit in peccatis remittendis humanam voluntatem per vires suas posse credere & ingemiscere. Atq; ita remissionē peccatorum obtinere secundũ merita voluntatis hominis credētis & pro peccato ingemiscētis, addens in futuris peccatis vitãdis humanã voluntatē accepta legis cognitiõe ex naturali possibilitate sibi sufficere ad seruandũ omnia mandata, & ad vitandum omnia peccata in regno cœlorum

asséquen-

asséquendo, tradens hominem, priusquam Euangelium ipsi prædicetur, posse per vim liberi arbitrij mereri à Deo, vt Euangelium sibi prædicetur, eundemque Euangelio sibi prædicato posse per vim liberi arbitrij credere & obedire, eum inquam qui tempus acceperit liberæ voluntatis. Duo sunt, quæ humanam operantur salutem, Dei scilicet gratia, & hominis obedientia, addens priorem esse hominis obedientiam, quàm Dei gratiam, quia hominis est quærere, petere, pulsare, orare, desyderare gratiam, credere & obedire, quod si præter Euangelij annunciationem, sit alia quædam ponenda gratia, illam solum valere, inquit, vel ad remittēdum peccata, vel ad facilius implendum præcepta, vel ad facilius vitandam peccata. Sine gratia, inquit Pelagius, possumus quidem per liberi arbitrij potestatem implere omnia mandata, sed difficulter: cum gratia autem facilius: facilius autem sine gratia fit malum. Tantis autem prolixitatibus recensuimus huiuscemodi errores non solum, quia ad illos cauendos cauti esse debemus, verum etiam, quia ad docendos vel monendos ignorantes, vel errantes si patiantur pigrescere non debemus. Princeps huius mundi sciens impossibile esse quæpiam sine fide Deo placere, nihil sic agit in hominibus, quàm vt non credant in Deum, & ad mediatorem Iesum, à quo soluuntur opera, non veniant credentes in eum. Habes contra huiuscemodi documenta pulcherrima apud Augustinum in epistola ad Paulinum, in epistola ad Sixtum presbyterum, in epistola ad Vitalem. Item in diuersis libris contra Pelagium, contra Iulianum, cæterosque hæreticos editis, in quibus omnes supradictos errores recitat, omniaque supradicta eorundem argumenta ac rationes aperit atque dissoluit, elucidans clarissimis sententijs sacræ scripturæ testimonia pro huiuscemodi erroribus stabilendis, per eosdem hæreticos in medium producta atque allata.

Sequitur secunda pars.

¶ Secunda pars huius capituli, in qua soluuntur Pelagij argumenta.

AD primum argumentum dicimus non valere consequentiam, qua concluditur gratiam non esse aliud, quàm naturalem liberi arbitrij possibilitatē, ex eo quod quisque iam habes liberum rationis vsu potest rectè viuere, & facere opera tam bona quàm praua. Nam quæadmodum ex superioribus patet, quisque bene viuit, is libero arbitrio bene viuit: & quisque peccat, libero arbitrio peccat. Sed libero arbitrio nemo bene viuere potest absq; gratia Christi sanantis & adiuuantis liberum arbitrium. Atq; ita gratia non est naturalis possibilitas, sed est fides in Iesum per dilectionē operans, naturali possibilitati aduenticia, de qua dicitur, Dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius. Sicuti ait Apostolus, Gratia saluati estis per fidem, & hoc nō ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis gloriatur, ipse enim sumus creatura conditi in Christo Iesu ad opera bona, quæ præparauit Deus, vt in eis ambulemus. Scriptura verò ecclesiastica, quæ dicit, Ab initio Deus fecit hominem rectum, verissima quidem est: nam Deus ab initio instituens humanũ genus talem fecit hominem, & reliquit eum in manu cõsilij sui. Nunc autem omnis homo nascitur malus, filius iræ, donec liberetur per gratiã Dei miserentis. Ad reliqua scripturæ testimonia, quibus dicitur, Si volueritis & audieritis me, bona terre comedetis. Si quis vult vitam, & cæt. Si quis vult venire post me, & id genus alia, dicimus, Certum est nos habituros vitam æternam, & dies bonos si bene volumus, & ex bona voluntate rectè viuimus, sed non possumus incipere bene velle salubriter quicquam operari & perseuerare, si non Deus inspirata fide transferat nos de potestate tenebrarum in regnum charitatis suæ, & adiuuet nos, vt inspirata

Q. iij. fide,

Recapitulatio
erroris Pelagij
de gratia & li-
bero arbitrio.

Homo si uelie
credit, sed ut ne
lic Deus, immutat

fide, & charitate bene uolentes perseueremus. Si uolueris seruare mandata, seruabunt te. Si vis eligere vitam, dabitur tibi, sed ut salubriter uelis, ut recte eligas Deus inspirat fidem & charitatem. Potest quidem homo credere si uelit, potest & recte uiuere, & seruare mandata si uelit. Indulgentiam insuper Deus homini promittit, si pœnitere, si reuerti uoluerit, sed ut uelit credere, ut uelit bona uoluntate seruare mandata, ut uelit pœnitere & reuerti, Deus operatur, inspirans motum uoluntatis ex fide resilientis à peccatis in Deum ipsum.

Ad uerbum Saluatoris, Aut facite arborem bonam, & cetera. Respondeo. Nos facimus arborem bonam, id est, uoluntatem bonam, & fructum eius bonum. Facimus etiam arborem malam, & fructum eius malum: sed bonam hanc arborem facimus, non per nosmetipsos & sine Deo, sed ipso Deo prœueniente, & prœparante uoluntatem nostram, charitate diffusa in cordibus nostris per spiritum sanctum. Vnde Augustinus in retractationibus illustrat supradictum Saluatoris uerbum, deducens ipsum in illam eandem sententiam, ut latius infra.

Et dum infertur in argumento, Gratia Dei cū sit uirtus & fidei, & charitatis, nō uideretur esse aliud, quàm potestas bene operandi. Respondeo consequentiam esse inuolidam. Ad quod intelligendum, sunt quatuor consideranda. Primum quendam esse Dei gratiam, quæ potestas quædam est bene operandi, qualis est fidei & charitatis uirtus, manens in homine etiam dormiente, sed hoc non suffragatur sententiæ Pelagij, qui dicit hominem habere illam potestatem à natura, & eandem potestatem nihil aliud esse, quàm possibilitatem liberi arbitrij naturalis, qua potest homo bene & male agere, & Euangelio sibi prædicato, aut lege monstrata, iuste uiuere sine ulla Dei gratia liberante & adiuuante desuper inspirata. Deinde & hoc considerandum, quod in scripturis sacris gratia Dei est non solum uirtus diffusa per spiritum sanctum, sed & opus uirtutis, ut pote fidei & charitatis. Insuper & uita æterna nomine gratiæ appellatur: nam hæc omnia ex gratia Dei tribuuntur homini, meritaq; ipsa, quibus tribuitur uita æterna, sunt Dei dona, quia ex gratia Dei miserentis, habent quod sint opera bona. Item dum incipit homo credere, & recte uelle, hoc est, Deo prœparante uoluntatem hominis, & remittente peccata, & largiente fidei & charitatis spiritum, qui adiuuet imbecillitatem hominis. Pelagius autem arbitrabatur Deum non dare ullam uirtutem iustificantem & sanctificantem, sed uirtutem naturalem solum excitari, aut per hominem, aut per alium quemuis fornicosus prædicato, aut quasi de spiritualibus bonis nihil Adam præuaricando perdidit. Super quo uide beatum Prosperum contra Cassianum monachum, definitione nona.

Tertio considerandum, quod uirtus iustificans in homine, ortum habet nō à potentia naturali, sicut uirtus per assuefactionem liberi arbitrij acquisita, sed à spiritu sancto, per quem ut ait Apostolus, diffusa est charitas Dei in cordibus nostris. Vnde Apostolus, Diuisiones gratiarum sunt, vnus autem spiritus qui operatur omnia in omnibus, diuidens singulis prout uult.

Postremum uirtus per assuefactionem acquisita, non dat naturæ potestatem nouam, id est, potestatem ad opus aliquod nouum, in quod naturaliter prius non potuisset, sed solum facit potentiam expeditam & paratam ad opera, in quæ etiam ante huiusmodi uirtutis ademptionem poterat naturalis uirtus. Spiritus autem iustificans impium, inspirans uirtutem fidei & charitatis, nouam dat naturæ potestatem, eleuans & dignificans potentiam ad opera, quibus peruenitur ad ea quæ sunt supra naturæ vires, dicente Apostolo Paulo, Gratia salui estis facti per fidem, & hoc nō ex uobis. Et talis uirtus dependet in anima à Deo sicut lumen pendet in aere à sole. Proinde huic rei neque congruit exemplum de medico,

Differentiam
rer uirtutē in-
fisionē & ac-
quisitam.

de medico, Nam is postquam sanauit, abscedit, & relinquens iam hominem suis uiribus, non amplius cooperatur. Deus iam hominem suæ fidei gratia sanatum non deserit, sed per spiritum sanctum inhabitantem conseruat, uetat per assiduum spiritualis uitæ influxum, contra tentationes, adiuuans hominem, ut faciat fructus spiritualis uitæ, quemadmodum & in superioribus latè satis declarauimus. Ad bene igitur uiuendum non sufficit liberi arbitrij potestas naturalis, qua & bona, & mala operamur, sed necessaria est Dei miserentis uirtus, qua sola liberante & adiuuante operamur bona. Neque sufficit sciētia legis, sed opus est gratia Dei miserentis. Lex per Moysen est data, gratia per Iesum Christum est facta. De plenitudine illius omnes accepimus gratiam. Vnde & impius Euangelio prædicato non potest credere, non potest salubriter obedire, si non Deus misericorditer intus operetur, largiens indebitam gratiam, qua Christianus fiat. An autem homini ex prœueniente inspiratione Dei facienti, quantum ex se est, Deus largiatur huiusmodi indebitam gratiam, alia quaestio est, de qua infra latius. Ex scriptura autem quæ dicit, Dedit eis potestatem filios Dei fieri, non est consequens omnem hominem habere naturalem potestatem ab initio sibi insitam, qua sine gratia Dei ualeat saluus fieri. Nam & ex ipsa eadem scriptura, ibidem manifestum est eam non de omnibus hominibus loqui, quasi singuli acceperint ex conditione naturæ potestatem, qua efficiantur filij Dei adoptiui, sed de iam credentibus & iustificatis, non dixit, Dedit omnibus hominibus potestatem filios Dei fieri, sed quotquot receperunt, inquit, eum, hoc est, quotquot crediderunt in eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Nemo enim recipit eum, nisi pater cœlestis traxerit illum, inspirans illi non solum motum seu actum credendi, sed & uirtutem credēdi, quæ potestas quidē est, qua ualeat filius Dei fieri. Vnde & continuo aperiens hanc gratiam, addit, his qui credunt in nomine eius. Et ne quis arbitraretur, sic credere esse per solius naturæ vim, mox sequutus adiecit. Qui nō ex sanguinibus, neque ex uoluntate carnis, neque ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt. Alia est ratio credentis, inquit Augustinus, alia non credentis. Credēs potestatem habet, qua recte uiuat, & filius Dei fiat in regeneratione secunda: non credens, nondum habet uirtutem, qua recte uiuere ualeat. Verum tamen & Deus adiuuat non credentes, etiam efficaciter ut credant, ubi & quando misereri uoluerit. De non credente dictum est, Non est uolentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Iam uerō credentis, id est, illuminati, & reparati in libero arbitrio, uox est, Uelle adiacet mihi. Et iterum, Ex uoluntate mea confitebor illi, uoluntariè sacrificabo tibi. Dominus illuminatio mea, & salus mea quem timebo.

Dedit eis potestatem filios Dei fieri.

Ad secundum argumentum dum primo dicitur, Deus si operatur in nobis opera bona, non ergo nobis debetur merces operum, dicimus consequentiam esse inuolidam, non enim Deus operatur bona merita in nobis, nihil operantibus nobis, sed tamen nobis quasi Deo prœuenienti, socijs, & cooperatibus ei, qui nos iam liberatos adiuuat ducendo, ut & nos libera uoluntate operemur bene, & ita apud illum uitam æternam mereamur, etiam in ipso momento iustificationis, quo uoluntariè credentes acquiescimus ei saluare uolenti. Vnde Aug. super. 14. cap. Ioannis, Credere, inquit, est opus Christi, quod ipse operatur in nobis, sed non sine nobis. Ipse prius facit, deinde nos facimus. Ipse dicitur operari sine nobis, quia secundū cōsiliū suæ sapiētiae & bonitatis, nostrā cogitationē & deliberationem prœueniens facit nos cogitare & uoluntariè credere, aut uelle quæ sunt salutis nostræ. Sed de his latius in capitulo de meritis. Ad aliam consequentiā qua dicitur, Si non fecimus bonum opus, aut uoluit Deus adiuuare nos, aut noluit, Dicimus, Deus plarūq; uolūtate desiderij & præcepti, uult adiuuare nos, dās adiutorium quo

quo valeamus facere, sed non semper vult voluntate electionis, quæ est secundum æternum suum propositum sic adiuuare nos, vt faciamus. Manifestum est autem ex scripturis nos ex potestate diuinitus accepta, posse facere multa, quæ non facimus, dicente scriptura de viro iusto, qui potuit facere malum, & non fecit. Et in hoc vno præcipue manifestatur libertas nostri arbitrij. Item, Deus in hac vita nos plerumque adiuuat, vt non cadamus in nouam culpam, sed nõ semper nos adiuuat, vt mereamur palmam. Proinde infidelitas negatiue accepto vocabulo, quamuis non est sine peccato, non tamen est peccatum in eis, qui credere non potuerunt, non habentes à quo discerent quod crederent, iuxta verbum Saluatoris, si non venissem, & loquutus eis fuisset, peccatum non haberent. Deinde Deus adiuuat plerumque hominem suauiter ad aliquid faciendũ, præmittens præcursores, cogitationes, inspirationes, & instinctus, quib⁹ excitatus hominis animus sufficienter adiuuatur, vt non contemnat vocantem, vt non obduret cor suum. Et ita Deus etiam ante fidem & charitatem ex voluntate sui beneplaciti, aliqua vult fieri in nobis, præmittens plerumque gratuita quædam auxilia, quibus voluntas humana pulsata, si sensu carnis aliorum trahente reluctatur, & resistit, se reddit ineptam & indignam cui Deus largiatur fidẽ & charitatem. Alioqui reluctantes Deo, vel per homines, vel per angelos admonenti non mererentur indurari. Quamobrem & ipse Deus monet in scripturis, Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Spiritũ nolite extinguere. Vultui cõgregare vos, inquit Saluator ad Ierusalem, & noluisti, & iterum, Duri & incircuncisi corde, vos semper spiritui sancto resististis. Vnde Bernardus, Gratia Dei liberum excitat arbitrium, cũ seminat cogitatũ, sanat cum immutat affectum, iuuat cum perducit ad actum. Postea demonstratur sumus, quoniam modo inter diuinum spiritum suggerentem & carnis appetitum aliorum trahentem tenet medium quendam locum, id quod dicitur in homine liberum arbitrium, id est, voluntas humana. Deus igitur voluntate signi plerumque vult dare antecedentia quædam ad salutem hominis auxilia, quibus tamen voluntate beneplaciti, quæ est secundum æternum suum propositum vult non dare salutem propter ipsius hominis reluctantis inobedientiam. Antecedentia ad salutem sunt auxilia gratuita, quibus liberum excitat arbitrium ad fidem, vel pœnitentiam, sed quia liberum arbitrium sic excitatum, plerumque contemnit diuinum instinctum, idcirco & Deus hoc futurum esse præuidens iusto suo iudicio decreuit non apponere gratiam iustificantem, homini accipere nolenti & spiritui sancto reluctanti. Hic si dixeris, cur Deus habens in potestate mouere voluntates hominum quocumque voluerit, nõ sic moueat vniuscuiusq; hominis liberum arbitrium, vt non contemnat. Respondeo, Deum non æqualiter mouere omnes ad gratiam, quia Deus non sic vult mutare omnium hominum voluntates, qui & posset induratas dæmonum voluntates emollire, si vellet. Vnde & Apostolus Paulus refert effectum diuinæ misericordiæ ad Dei voluntatem, & non ad malũ hominis meritum, vel inobedientiã, Deus, inquit, cuius vult miseretur, & quem vult indurat, hoc ergo quod Deus miseretur videtur esse non propter hominis inobedientiã. Vnde & venerabilis Augustinus passim in omnibus suis libris contra Pelagianos disputans, rationem cur isti credunt, & obediunt, illi non credunt, assignat quia in illis, non in istis præparatur voluntas à Domino. Exercitatus in doctrina Pauli Apostoli, & Augustini manifestum est nõ esse vllam rationem in hominibus, cur Deus in potestate habens hominum voluntates non ita mouet corda hominum, vt neque contemnant, neque resistant. Et cur hunc sic mouet non istum. In talibus enim exclamandum est cum Apostolo, O homo tu quis es, qui

respon-

qui respondeas Deo. Sed hoc amplioem exigit discussionem, de qua in libris de diuina prouidentia, & prædestinatione, ac reprobatione prolixè satis Deo adiuuante tractaturi sumus. Sufficiat autẽ nunc credere, quod ipse Deus, vt nõ essent varia sapientiæ suæ opera ita gubernat hominum genus, vt in hac vita etiam Dei gratia adiuuum, dimittat hominem liberè velle, & potestatem non auferat declinandi ad vitia, dicente scriptura, Qui potuit mala facere, & non fecit. Reliquit eum in manu consilij sui. Et cum adicitur in argumento, Deus si excitat impiorum hominum animas, emittens eisdem cogitationes, & inspirationes ex intentione qua vult, vt homines credant, respiscant, congregentur in vnitatem fidei, homines autem vocati contra huiusmodi voluntatem seu intentionẽ Dei obdurant corda sua. Dei ergo intentio erit frustrata, illiusque voluntas ab humana voluntate erit separata, hoc autem absurdũ. Respondeo, argumentum rectè concluderet, si Deus ex intentione, seu proposito voluntatis sui beneplaciti vellet aliquid fieri, quod non fieret, nunc autem secus est. Deus nempe dat hominibus talenta, potestatem, seu facultatem propter vsum, vel optans seu iubens, vt in talentis acceptis operentur, relinquens tamẽ in eorum arbitrio si velint aut operari, aut non operari, paratus cooperari illis ad quodcunq; opus voluerint extendere manus. Ad bonum tamen faciendum præueniens suorum electorum voluntates, sanans, & liberans illas, ita tamen, vt ipsis iam præuentis non auferat potestatem declinandi ad vitia, & reluctandi inspirationi diuinæ. Et ita quamuis nemo sit rebellis Deo, quin si vellet eius etiam misereri Deus, posset ita vocare eũ quomodo illi aptum est, vt moueretur ad fidem & pœnitentiam, ita tamen suauiter cuncta gubernat, vt creaturam rationalem tam in bono quàm in malo faciat viuere libera & spontanea voluntate. Quemadmodum & dum homines paucis exceptis perierunt diluuiio, potuit paucos illos seruare sine rate, id est, sine arca, sed vt non essent vacua sapientiæ suæ opera, homines illos voluit habere libera voluntate suæ salutis cooperatores. Et quia homines sæges sunt & Deo trahenti resistunt, idcirco plerumq; in scripturis Deus frustra legitur præstitisse auxilium. Frustrã, inquit, percussisti filios vestros, disciplinã noluerunt recipere. Verũ ne ex similibus scripturis quis falleretur, & arbitraretur diuinã voluntatem esse, aut impotentẽ, aut infirmã, & ablatam esse diuinam prouidentia, occurrit scriptura docēs, volũtati illius nihil posse resistere. Sed de his omnibus latius in libro de diuina prouidentia. Nunc sufficiat scire, quod ad bonum, aut nulli, aut casti sunt conatus volũtatis nostræ, si nõ Deus præueniẽs misereatur: e contrario autẽ, Deum frustra suæ nobis misericordiæ auxilia impẽdere, si nõ & nos velimus, ad aliquẽ sensum dici potest, quem legitimus in scripturis. Verũ nunquam intẽtio seu voluntas diuini beneplaciti, à nostra voluntate potest esse aut separata, aut cassata. Et ita dicit August. in lib. ad Simplicianum, nos rectè dicere non posse, Deum frustra misereri, nisi nos volumus, dicente Domino apud Isaiam, Descendit, inquit, imber & nix de cœlo, & illic vltra non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinat eam facit, & dat semen serenti & panẽ comedenti. Sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuũ, sed faciet quocunq; volui & prosperabitur in his, ad quæ misi illud. Loquitur autem propheta de verbo quod caro factum descendit in terram, sicut pluuia in vellus.

Ad aliam Pelagij consequentiã qua dicitur, homines non esse corripiedos, sed orandũ esse solum pro illis, si bona voluntas & omnia bona opera sunt Dei dona. Respondet Aug. in libro de correptione & gratia capitulo septimo, consequentiam esse inualidã. Corripiuntur enim, homines, vt agrotos se esse vidẽt, & medicum querant, confugiant ad gratiam iustificantem. Correptione, inquit Augu.

corri-

Infidelitas quo
modo peccatum
est, & non pec-
catum.

Homines sunt
corripiedos ut a-
grotos se esse
vidẽt, & me-
dicum querant

corripiendus monstratur sibi esse deformis, vt cum seipsum viderit & crediderit deformem, desyderet informatorem. Correptione insuper vel pudor ingeritur, vel dolor, vel vtilis timor. Huic si obieceris, Agnoscere se deformem & peccatorem, & medicum salutis querere, & orare, non potest homo sine Dei gratia.

Prims homo aliquid accipit auxilium ut ex hoc querat aliquid

Respondeo, Deus sua inspiratione praeueniens hominis voluntatem, prius aliquid impendit auxilij, quo potest homo ad id quod nondum accepit ascendere. Adiuuat enim Deus, non modò credentes, vt in eo quod ceperint permaneat, verum & non credentes, vt incipiant velle credere. Peccator iam pridem aut prorsus ignorans calamitatem suam, aut reluctans Deo pulsanti, rursus Deo misericordie excitatur, & iaculis quibusdam salutarium cogitationum praeuenitur. Vnde Aug. in libro ad Simplicianum, quaestione secunda, Incipit homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere. In quibusdam tanta est gratia fidei, quanta sufficit ad obtinendum regnum caelorum. Neq; absurdum est, neq; testimonij scripture contrarium, si quis dixerit initijs quibusdam fidei acquisita hominis voluntatem preparari antequam accipiat spiritum fidei iustificantis, quae simul cum charitate infunditur. De quo latius in libro de natura & gratia.

Ad tertium argumentum respondeo, quòd per Adae peccatum non perijt de humano genere naturalis potentia animi rationalis, quae tanquam vis quaedam media excitari seu inclinari ad fidem vel infidelitatem potest, qua & homo vnusquodq; sibi propositum potest concipere, examinare, & deliberare, & suasionem aliqua vel testificatione idonea interius tractus ita affici, vt velit consentire ei quod dicitur. Post Adae tamen peccatum non remansit aliquid, quod per hominem forinsecus praedicatum excitetur ad fidem, qua Christianus fiat, sic vt Pelagius credidit, qui arbitrabatur naturalis virtutis seminarium, sufficere sibi ad pariedum in sese fidem qua iustificetur, modò Euangelium iustitiae sibi fuerit propositum. Et ita hominem ex naturali possibilitate posse absq; alia gratia Euangelio praedicato sic consentire, vt & Christianus sit & iustificatus. Hoc autem falsum est & contrarium scripturis, quibus docetur tam initium fidei, qua Christiani sumus, quam incrementum esse Dei donum, quemadmodum docet venerabilis Augustinus in libro de praedestinatione sanctorum, & in libro contra Vitalem, tradens iustis & Christianis iam credentibus datam esse misericordiam, quae non modò fecit Euangelium ipsis forinsecus praedicari, sed & intus largitus est spiritum sanctificantem, quae hominem ita docuit suadens, suggerens, & testificans, vt Euangelio praedicato consentiens homo, factus fuerit Christianus, iustificatus, & spiritus sancti habitaculum, principe mundi huius foras eiecto, quae sane officia sunt supra vim humanam voluntatis. Quòd si hanc fidem accipiendam antecedit aliqua vel praeparatio, vel inchoatio à libero hominis arbitrio in catechumenis audientibus euangelij praedicationem. Illa quidem praeparatio cum sit diuinitus ordinata ad fidem iustificantem, simuliter est ex suasionem Dei praeuenientis, qui pro sua misericordia, vel per seipsum, vel per angelum, vel per hominem excitat liberum hominis arbitrium, vt intendat in ea quae fidei sunt & salutis, quemadmodum & in actibus legitur, Aperuit Dominus cor Lidiae, vt intenderet in ea, quae Paulus praedicabat. Mouentur corda hominum ex causis, quae vt existant, vel non existant, inquit Augustinus, non est in hominis potestate, sed veniunt ex occultissima providentia Dei cuncta aut iuste, aut misericorditer erga genus humanum disponens. Et quemadmodum ait Ioseph ad fratres suos, Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum, ita non consilio nostro, sed Dei misericordie voluntate, salutis Euangelium nobis praeter ceteris est annunciatum. Multi fuissent credituri, habentes, si Augustino credimus, in ipso ingenio munus quoddam naturalis

aturalis intelligentiae, quo intus pulsati, fuissent moti ad fidem, si congrua suis mentibus, vel verba audissent, vel signa conspexissent, qui tamè nec crediderunt, nec vnquam sunt credituri, vt patet in Tyrijs & Sidonijs, quibus quoniam vt crederent, non erat datum, etiam id vnde crederent est negatum. Vnde August. in libro de natura & gratia, capite. 4. Iuste damnantur hi, qui fidem Christi audire non potuerunt: non potuerunt, inquam, vel per aetatem, vt paruuli & infantes in vtero mortui, vel non habentes à quo discerent. Et ibidem cap. 8. Rectè non admittitur in regnum caelorum, non regeneratus etiam quamuis nec Christianus esse poterit, sed longè minus iudiciu subibunt, quam hi quibus, vnde crederet erat datum. Fidei spiritum ac virtutem qua iustificamur, Deo operatur in nobis sine nobis. Opus verò virtutis nobiscum operatur Deus. Quaedam sunt dona Dei, quae dantur non orantibus, sicut initium fidei. Quaedam verò dona sunt Dei, quae non nisi orantibus tribuuntur, sicut continentia, perseuerantia, patientia. Quantumlibet autem quispiam ex testificationibus hominum, aut visis miraculis credat Euangelio praedicato, si non adsit illi fides, quae à Deo est, per dilectionem operans, gratis iustificans, in nihilum computabitur. Multi haeretici, schismatici, arbitrantur quidem sese habere fidem, & reuera intus percipiunt se credere Euangelio, videntur sibi orare, & pulsare, videntur sibi rectè & bene viuere, sed quia fidem non habent, quae à Deo est gratis data, qua quisq; & Christianus, & in ecclesia catholica efficitur, salutem non assequuntur. Fidem hanc, neque praedicator Euangelij, neque auditor, sed Deus in homine facit. Ipsi autem ministri praedicantes, & fidei doctores, quauis nequeant intus dare aut seminare huiusmodi fidem, non frustra tamen suas impendunt operationes, non in vacuum annunciant salutis verba, non frustra arguunt, corripunt, increpant, obsecrant. Quemadmodum & agri & vineae cultor, quamuis nequeat aut in agro segetem facere, aut in arbore fructus facere, neq; frustra tamè seminat, neq; frustra plantat, neq; inaniter laborat. Sicut ad arborem, vel agrum colendum sese habet cultoris negligetia, ita sese habet ad animam docendi segnitia, veruntamè discrimen est. Nam agri cultor inijcit terrae semen, quod vim habet actiuam naturaliter germinandi in terra, tale autem semen non potest fidei praedicator mentibus hominum inferere, suum tamen praestans ministerium, res salutare proponit hominum mentibus per signa quaedam forinsecus adhibita, quibus mens excitata conspicit, perspicit res ipsas significatas, ad quas credendas & ipse magister forinsecus inuitat, quantum in se est suadens, suggerens, & testificans argumentis quibusdam, & indicijs apud audientes verisimilibus, Potuit quidem Christus subito mouere animos Iudaeorum, & non visis vllis miraculis, non auditis per hominem Euangelij doctrinis, intus inspirare fidem, donare sapientiam, de qua dicit scriptura, Per sapientiam sanati sunt quicumq; tibi placuerunt ab initio, sine qua & desuper accepta nemo saluari, aut potuit, aut poterit vnquam. Deus tamen pro sua sapientia volens humanum genus suauiter gubernare, & vt non essent vacua sapientiae suae opera secundum vires semel insitas dirigere, voluntarijs hominum vitur ministerijs, & ad fidem desuper aut accipiendam, aut ad eam iam acceptam nutriendam, ac stabiliendam, multis vitur argumentis: multis insuper apparitionibus, indicijs, miraculis, & signis, voluit veritatem suae fidei declarare & confirmare, qui tamen & in sua habuit potestate conuerrere Iudaeorum ac discipulorum corda ad fidem absque miraculis, cui data erat omnis potestas in caelo, & in terra. Ipse post passionem suam frustra non fecit quicquam, praebens seipsum viuum in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis & loquens de regno Dei. Vt quid haec fecit, si ipse in omnibus intus opere tur fidem? Ita placuit diuinae sapientiae homines facere acceptos & praeparatos, vt velint

Dona Dei sunt duplicia.

Sola fides quae est à Deo, est vera virtus.

vt velint credere, & ecclesiam Dei non contemnere, quibus & absque miraculis & prodigijs potuisset voluntatem credēdi inspirare. Proinde & Augustinus contra epistolam fundamenti, Præter sincerissimam, inquit, sapientiam ad quā perueniunt hi, qui in ecclesia catholica sunt spirituales alia multa quæ tenent me in eiusdem ecclesiæ gremio. Tenet enim consensus populorum & gentium, tenet scribentium autoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata, tenet successio sacerdotum ab ipsa sede Apostoli Petri, cui pascendas oues post resurrectionem suam Dominus commendauit vsque ad præsentē diē, tenet me postremo ipsum ecclesiæ catholicæ nomē, quod nō sine causa inter tantas persecutiones, inter tam multas hæreses, sic ista sola ecclesia obtinuit, vt nullus hæreticorum audeat, vel domum, vel Basilicam ostendere. Apostolus autem ad Romanos cum dicit fidem esse ex auditu, loquitur quidem de fide non acquisita persuasionē humana, sed de illa qua efficitur quis Christianus, qua & inuocatur nomen Domini, de qua per omnem locum eiusdē epistolæ dicit homines gratis iustificari ex fide sine operibus legis. Huiuscemodi autem fides est quidem ex auditu Euangelij, tanquam ex conditione, quæ est de ratione fidei, & sine qua non est fides, sed non ita, vt aut sola conceptio, vel cogitatio rerum credendarum, aut sola voluntas absq; Dei gratia credibilibus mēti propositis faciat in anima fidem. Illa enim est impia & danata Pelagianorū sentētia dicentū, gratiā Dei ad accipiendum fidē iustificantiem solum in hoc esse, vt Euangelium nobis prædicetur, in solis viribus nostræ voluntatis sitū esse Euāgelio prædicato ita consentire, vt Christiani simus & iusti. Fit quidem sic credere ex imperio voluntatis, sed vt tale imperium voluntas habeat, voluntas sola non sufficit. Hoc autem, vt magis fiat manifestum, non est inutile considerare, discriminē esse inter credere & scire. Nam quod scimus nostræ rationis debemus testimonio, cui res sunt præsentēs. Quod autem credimus debemus alienæ rationis testimonio. Videntur & sciuntur præsentia, creduntur absentia ex testimonijs aliorū, quibus hæc præsentia & explorata esse credimus. Credibilia igitur fidei Christianæ cum omnem superent indaginem rationis humanæ, & talia sint, quæ non potuerunt vnquam fuisse proposita humano generi, nisi ex bonitate solius miserentis Dei, cui soli & iam beatis cū ipso hæc præsentia, seu visa esse possunt, idcirco aliud est de fide humanarum rerum: aliud de fide credibilium super salute nostra. Nam credibilia humanarum, aut corporalium rerum huius mundi, quæ alijs sunt incerta & incognita, alijs sunt certa, euidētia, & experimento comprobata. Credibilia autem pro salute nostra qualia sunt creationis, trinitatis, incarnationis, ac redemptionis nostræ mysteria nulli hominum per lumen rationis internæ poterunt esse certa. Et ita huiuscemodi mysteria, viamq; salutis credere homines non potuissent, nisi mediātē, vel immediātē, hæc ex Dei testimonio didicissent. Audire autem non possunt, nisi prædicantes diuinitus missi essent. Quod ergo mittuntur prædicantes gratia est, quod audiuius, & intus credibilia mente cōcepimus, gratia est, & talis gratia in quam etiam nobiscum sentit ipse Pelagius. Verum super hæc omnia, nisi Deus miseretur, & voluntate credendi diuinitus inspirata eijciat foras principem mundi huius, transferens nos in regnum charitatis Christi, diffusa charitate per spiritum sanctum in cordibus nostris, rectē credere, ac iuste viuere non possumus. Ad aliā consequentiam qua dicitur, Credere exigitur à libero voluntatis arbitrio, est ergo in potestate liberi arbitrij. Respōdemus argumentum hoc rectē concludere. Nam credere etiam sic vt Christianus credit est quidem in potestate voluntatis, quia nemo credit nisi volūtariē: sed hæc potestas non exit in actū, nisi Deus intus traxerit, & dederit spiritum seu virtutē fidei. Fides enim hæc qua Christiani tu-

De fide, qua
Christianus
quisq; efficitur.

mus

mus, qua & translatus sumus à potestate diaboli in regnum Christi est virtus, quæ nō sola humana sit operatione, sed & diuina inspiratione per spiritū Christi. Sermo & prædicatio fidei nostræ, inquit Apostolus, non est in persuasorijs humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus & virtutis, vt fides nostra sit nō in sapientia hominum, sed in virtute Dei, vt sublimitas sit virtutis Dei, & in omnibus honorificetur Deus. Hanc fidem offert multis, qui nolunt accipere, offert quidem non sic solum, vt Pelagus, sensit, docens gratiā præuenientem consistere in doctrina legis, Euangelijq; prædicatione, & naturalem vim sibi sufficere, quæ pariat in se fidem, qua iustificetur, sed & sic vt is, qui intus suggerit, sufficienter adiuuet homines vt valeant sese ad accipiendam fidem hanc accommodare. Qui dū corda sua obdurant, Deo intus suggerenti rebelles lumini, sunt digni obtusione. Ex supradictis igitur est manifestum, non oportere si credere exigatur à libero nostro arbitrio, quod ergo consequens sit ipsum credere esse in potestate solius liberi arbitrij. Quemadmodum enim à nobis iam credentibus exiguntur opera, quæ facimus Deo adiuuante, quibus & meremur à Deo accipere alia nondum accepta. Ita & à nobis exigit Deus, vt incipiamus & credamus, quamuis hoc nō ex nobis, sed ex Deo adiuuante facimus. Et hoc est quod præcipuē solet fallere eos, qui cū iniuria diuinæ gratiæ liberum conātur defendere arbitrium. Qui cū passim tum apud veteres, & præcipuē Orig. Chry. Amb. & Hiero. tum apud recentiores legūt, quod nostrum sit incipere, nostrum sit credere, quærere, pulsare, & orare, & alia id genus opera facere, arbitrantur ea esse nostra solius opera, atq; ita fallūtur, vt præsumant docere Chrysostr. & cæteros antecessores contra Manichæum pro defensione liberi arbitrij, differentes non rectē sensisse. Falluntur certē, nescientes quod singula quæ Deus fieri iubet opera bona, sint sua in nobis dona, & nihilominus ea esse nobis præcepta, vt intelligamus quod nos facimus ea, sed Deus facit, vt faciamus ea voluntate libera, & sic tota Christianorū schola, liberū arbitrium defendit, simul cum gratia. Quam & venerabilis August. passim suis in libris contra Pelagij hæresim illustrauit. Nostrum igitur est incipere, nostrum est credere, nostrum est velle, nostrum est operari, nostrum est facere arborem bonam, & fructus bonos, nostrum est orare, & pulsare. Nostrum, inquam, id est, nostra volūtatis opera, sed huiuscemodi bona nostra nō essent, nisi gratia Dei nostras præuenisset voluntates. Quemadmodum ait Apосто. Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona volūtate. Vnde Aug. lib. 1. retract. cap. 22. Nisi quisq; mutauerit voluntatem, bonū operari nō potest, quod in nostra potestate esse sitū docet Saluator cum dicit, Aut facite arborem bonam, & fructū eius bonum: aut facite arborem malam & fructum eius malum. Sed hoc non est, inquit, cōtra gratiam, quā prædicamus. In potestate quippe hominis est mutare in melius voluntatem, sed ea potestas nulla est nisi detur à Deo, dicente scriptura, Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Facit homo arborem bonam; quando accepta Dei gratia incipit voluntariē credere & diligere. Homo enim per seipsum nō facit se ex malo bonum, sed ex illo & per illum, qui semper est bonus, qui non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos fecit nos, faciēs non tantum, vt arbor, id est, voluntas nostra sit bona, sed etiam, vt ipsa volūtatis fructus faciat bonos, id est, opera forinfecus bona. Hæc oīa in superioribus sunt scripturæ sacrę testimonijs roborata. Malam verò arborem per seipsum homo facit, quando à bono incommutabili deficit. Arborem autem vel bonā vel malā non naturale potentiam, sed motum voluntatis bonum aut malum intellige. Origo seu radix arboris malę ipsa est cupiditas, quæ non est à Deo patre. Radix autē vel semen arboris bonæ est fides per dilectionem operans, diffusa in corde hominis

R

per

per spiritum sanctū. Naturalis autē rationalis animæ possibilitas, quam Pelagius dixit ad bonum sufficere, est velut ager vtriusq; radicis seu seminis capax, quæ à Deo condita est recta, sed deferens sub Deo obedientiâ, facta est mala per voluntariam mentis auersionē, per quam in hac vita semper habet ager noster semen malum, vtpote fomitem ex quo & nasci apta est arbor mala, ex quo & in voluntate iam facta arbor bona, iterū potest fieri arbor mala, ex qua semel mala rursus arbor fieri bona nō poterit, nisi celestis agricola De⁹ semē bonū rursus inrursuerit.

Mandata Dei
quomodo possi-
bilia est quomo-
do impossibilia.

Ad quartum argumentum dicimus possibilia dedit Deus mandata, quia nihil exigit ab homine fieri, quod facere prorsus sit impossibile, aut alienum ab hominis potestate. Non præcepit homini, vt volet in aera, vt pedibus ficcis mare transeat. Non iubet homini, vt non moriatur, non iubet cæco corporaliter vt videat, vt corpus sanum, aut diuitias habeat. Non iubet homini pauperi, & nihil habenti, vt corporali elemosyna subueniat indigenti, quin potius consulit homini, vt ponat animam suam. i. vitam corporalem pro fratribus, vt relinquat omnia quæ possidet, neq; imperaret hoc Deus, inquit Augustinus, vt faceremus, scilicet animam pro fratribus ponere, si impossibile hoc esse iudicaret ab homine fieri. Si cōsyderes infirmitatem tuam, defcis sub præcepto, sed Christus qui præbuit exemplū, adest tibi, vt præbeat & auxiliū. Hęc ille super titulo Psal. 56. Sic opera in decalogo scripta, vt colere vnum Deum, honorare parētes. Item, Non committere furtum, homicidium, falsum testimoniū sunt sita in potestate hominis. Verūm nihil horū potest homo facere, ex voluntate bona Deoq; placente, nisi desuper accepta charitate ex impio fiat iustus. Nempe & obseruatio mandatorum, de qua Saluator ad adolescentem dicit, Si vis ad vitā ingredi serua mandata, si credimus August. cōsyderanda est non secundum literam, sed secundum spiritum viuificatē, Nam litera occidit, spiritus autem viuificat. Spiritus quidē viuificat dum facit hominem voluntariē abrenunciare omnibus, quæ possidet, & ex fide adhærere Christo, & ita nemo ex viribus liberi arbitrij absq; gratia idoneus est obseruare mandata, sic vt habeat æternam vitam. Faciunt quidem impij, & gentiles absque gratia Dei miserentis multa mandatorum officia, dum honorant parentes, cauent homicidia, mendacia, & falsa testimonia. Sed quia non faciunt hæc ex charitate diffusa in cordibus suis per spiritum sanctum, idcirco non ingrediuntur ad vitam. Deinde & cum hominis voluntas iam fuerit bona & recta, nō perseuerat in accepta bonitate, nisi mentis vigilia, & orationum instantia imploret quotidiana diuinæ gratiæ auxilia. Vigilate & orate, inquit Saluator, vt nō intretis in tentationem. Præcepit autem Deus ea, inquit Augustin. quæ per nosmetipsos implere non possumus, vt cognoscentes Dei adiutorium nobis esse necessarium confugiamus ad gratiā illius. Rursus in libro de natura & gratia, Non igitur Deus impossibilia iubet, sed iubendo admonet, & facere quod possis & petere quod non possis. Amplius autem per vigiliam assiduam, & orationum instantiam iusti perseuerantes in accepta iustitia, non ita perficiunt omnia mandata, vt in nullo vnquam deficiant. Nam & huiuscemodi duo præcepta, nō concupisces, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &cæ. nemo iustorum in hac vita tam integre seruat, quin contra illa crebrō peccet, quod latius infrā declarabimus, & idcirco non possumus in hac vita prorsus viuere sine peccato. Neq; enim est homo in terra, vt inquit scriptura, qui benefaciat, & nō interdum peccet. Item Bernard. Non latuit præceptorē præcepti pōdus excedere hominum vires, sed dando legem, indicauit esse vile homines admonere suæ insufficientiæ, & ita mandando homini impossibilia, non præuariatōres fecit homines, sed humiles esse voluit, vt agnoscentes sese in hanc impossibilitatem lapsos per primi hominis in-

Berna. sermo
90. super Cantic.
Deus quomodo
mandat impossibilia.

obedi

obediētiam, quarant saluatorem & adiutorē, qui & soluat huiuscemodi impossibilitatis reatum, & adiuuet infirmitatem, & discant in hac vita charitatem illam diligere, & desyderare, qua prorsus viuant sub Dei obediētia sine peccato. Cum autem dicit Ioannes Apostolus, Mandata eius graua non sunt, intelligit ea non esse graua habentibus iam voluntatem bonam, id est, habentibus iam charitatē, quæ facit hominem custodire mandata ex amore, & delectabiliter viuere sub Dei creatoris, & redemptoris sui obedientia. Verūm quia charitas huius vitæ nō tollit legem carnis concupiscentis aduersus spiritum, idcirco anima in hac vita quotidie ingemiscit, intelligens se nondum accepisse donū perfectum quo non sint graua mandata. Ad verbum scripturæ ex cap. 30. Deuter. Propē est verbū in ore tuo, Responso patet ex doctrina Apostoli, ad Romanos cap. 10. tribuentis Christo vero Dei verbo, vitam & iustificationem, quam Moyse tribuit verbo legis, quia finis legis est Christus ad iustitiam omni credenti. Christus autem à cœlo in terram descendens manifestauit iustitiam suam, loquens ore ad os, & ex terra ascendēs in cœlum misit spiritū veritatis manentē in ecclesia vsq; in finem seculi, relinquens Apostolos operis sui vicarios in omnem terram, atq; ita ad assequendam iustitiam nō est opus labore multo, aut longa peregrinatione, sed ppē in animo nostro est fidei verbū, quia si credimus in Iesum, vt in Saluatorem, sine quo nullus potest assequi iustitiam, salui erimus, sed ex his nō sequitur hominem posse suis solius viribus peruenire ad salutem. De cæteris consequētijs in eodem 4. argumento adductis patet latius in libro de liberi arbitrij captiuitate, seruitute, & impotētia vitæ peccata, & facilis erit solutio si cōsyderetur quod omnis homo suæ naturæ relictus, est peccator & perditionis filius, & q̄ liberū arbitrium iam sub peccato dānatum ad bene operandum non est liberum, nisi liberatum fuerit per saluatorem Iesum accepta per spiritum fidei voluntate bona.

Mandata gra-
ua non sunt.

Prope est verbū

Solutio quinti
argumenti.

Ad quintum argumentum similiter dicimus consequentiam esse inualidam. Nam etsi iustus in scripturis admoneatur, vt in eo quod cœpit permaneat, nō ob id consequens est eundem ex viribus suis solius sic permanere: quemadmodum si claudo præcipiatur, vt maneat erectus, & ambulet, nō idcirco consequēs est claudum posse ambulare sine baculo. Perseuerare in fide & charitate est quidem in liberi arbitrij naturali potestate, sed Dei gratia illam adiuuante, & ita non est in potestate solius liberi arbitrij. Nam fides, & charitas non auferunt ab homine carnis concupiscentias cæteraq; impedimenta charitati obuiantia, quibus à charitate abstrahitur, & illicitur humana volūtas, & idcirco iustus homo in hac vita sub tot & tātis periculis cōstitutus implorat quotidianæ gratiæ auxiliū. Deinde quēadmodum iam saepe diximus, potest quidem homo per quotidianum Dei adiutorium in fide & charitate accepta perseuerare, sed non potest prorsus in fide & charitate sine peccato viuere. Propterea autem iubet Deus perseuerare & facere ea quæ per nosmetipsos nō possumus, vt in nobis deficientes ad illū confugiamus.

Iam restat soluere rationes Pelagij, quibus ipse pbare conatur hominē ex solis liberi arbitrij viribus posse viuere prorsus sine peccato. Ad primam, in qua Pelagius probare conatur possibilitatem non peccandi esse non in arbitrij potestate, sed in necessitate naturæ, & ita hanc possibilitatem pertinere ad conditionem naturæ, Respondet Augu. in lib. de natura & gratia cap. 48. & sequentibus. Quemadmodū similitudines, inquit, quas asseruit Pelagius de posse loqui, & non loqui sunt falsæ, ita & falsum est id quod per eas voluit adhibere. Potest mihi nō adempta lingua loquendi possibilitas tolli vexato pulmone, vel aliquo interiori alio corrupto. Potest insuper & os meū sic vinculis claudi & obserari, vt illud sperire minimē valeam. In membris quoque singulis potentia, aut vinculo quoda-

R ij dam

dam aut vitio præpediri possunt à suis officijs. Ita in ppositio potentiam iustè, rectèq; viuendi, & nunquã peccandi dicimus posse vitari, infirmari, & impediri. Vnde & ex similitudine corporalium sensu in scripturis passim legitur interior rationalis animæ sensus aut excæcari, aut obtenebrari, aut obsurdescere. Dicimus ergo possibilitatem rectè viuendi & perseuerandi, possibilitatem non peccandi non esse inseparabiliter insitam naturæ, cuius Deus est author. Vbi enim est inseparabilis nunq; peccandi possibilitas, ibi non potest accidere vlla volutatis infirmitas. Possit non peccare. i. prorsus viuere sine peccato, fuerat quidè conditio nature primitus à Deo instituta, sed illa tamen in eadem natura possibilitas non erat inseparabilis, seu inamissibilis pprietas, quandoquidem illa natura vitari potuit, & vitata iam est lapsa in necessitatem quandã, & peccandi interdũ, & habendi peccatum. Rursus nec valet consequentia. Peccare nostrũ est, ergo possumus & velle peccare & nolle peccare. Sicut non sequitur, velle beatitudinẽ nostrum est, ergo possumus & velle, & nolle beatitudinem. Amplius autem naturalis illa possibilitas, qua possumus non peccare, quam Pelag. posuit naturaliter insitam, si intelligatur ipsa vis naturalis animæ, ipsa in quã, voluntas, est quidè ab anima rationali inseparabilis, sed aut sibi relicta aut vincita, aut vitata, multa non potest facere, quæ alioqui facere posset. De quo si placeat, vide in lib. de seruitute & captiuitate liberi arbitrij. Ad rationem secundam respondet idẽ Aug. in eodem libro de natura & gratia, cap. 67. Potest homo nõ peccare, inquit, potest & resistere peccato, sed non sine vlllo opitulante, cui dicimus, Ne nos inducas in tentationẽ. Deus in adiutoriũ meum intẽde. quod adiutoriũ non posceremus, si nos peccato resistere nullo modo posse crederemus. Potest homo insuper fugere, euadere seu euitare peccatũ, & liberari ab illo, sed per Iesum Christũ, opitulante illo cui dicimus, Dimitte nobis debita nostra. Sicut enim in corpore duob; modis cauetur morbi malum, Vno modo, vt non accidat. Altero, vt si accidat, citius sanetur. Sic & in anima, vt nõ accidat peccatũ cauemus, dicẽdo, Ne nos inducas in tentationem. Vt citò sanetur cauemus, dicẽdo, Dimitte nobis debita nostra. Peccatũ igitur siue insit, siue nondũ insit, caueri potest. Ex necessitate quadã habemus peccata, id est, praua desyderia, quibus caro cõcupiscit aduersus spiritũ, vbi volunt iusti rectè facere. i. non facere vlla huiuscemodi desyderia praua, & non possunt prorsus cauere illa, dicẽte Paul. Quod odi malũ hoc facio, sed hæc necessitas pœna est hominum ex peccato Adẽ, neq; damnabiles facit homines iam per Christum regeneratos, si non consentiant. Non tibi imputatur ad culpã, quod inuitus ignoras, sed quia negligis querere quod ignoras, non imputatur ad culpam, quod vulnus peccati sentias, sed quod volentem sanare cõtemnis. Vbiq; Deus est præsens, qui multis modis per creaturã sibi Domino seruientẽ, auersum vocat, docet credentem, consolatur sperantẽ, diligentẽ adhortatur, conantẽ adiuuat, deprecantem exaudit. Hactenus ille. Deinde & hoc addimus, quod singula peccata vitare potest homo iã sub gratia adiuuante constitutus, sed non tota sua vita potest vitare in vniuersum omnia, & peccat in eo q non vitat peccatũ quod vitare debuit, sed non distincto peccat peccato in eo q non vitat oia. Habet quidè iustus pro loco & tẽpore voluntatẽ bonã Deo adhærentẽ, sed nõ potest in hac vita sub tot & tantis tentationibus habere hoc velle perpetuũ. Disfrahitur enim mēs hominis iusti, & in huius mundi magno mari varijs iactatur fluctibus.

Ad tertiam rationem dicimus præceptum esse homini, vt non peccet, vt sobriè viuat, vt vigilet, oret, & nolit peccare, sed non est præceptum, vt non sentiat peccatum, vt sit sine peccato. Scriptura nõ dicit, Non habete peccatũ, sed nolite, inquit, peccare. Nõ semper autẽ peccat, qui aut peccatũ habet, aut nõ sine peccato viuẽt

eo viuẽt. Stat eum, qui habet peccatum, rectè & ex charitate operari.

Ad quartam rationẽ patuit solutio ex supradictis. Verum quidem est q, in scri-
pturis legim; multos fuisse sanctos, iustos, & irreprehensibiles, sed tales iustos, qua-
les fuerunt de quibus dicit scriptura, Iustus, accusator est sui in principio sermo-
nis. Septies in die cadit iustus, & resurgit. Tales iusti erant Apostoli dicentes, In
multis offendimus omnes. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi
nos seducimus, & veritas in nobis non est. Non est iustus in terra, qui faciat bene,
& non peccet. In die iudicij vix iustus saluabitur. Saluaretur autẽ facilẽ, si nihil in
se haberet maculæ. Rectè iustus quisquẽ in hac vita orat, Non intres in iudicium
cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.
Cum rex iustus sedeat in thorno, quis gloriabitur castum se habere cor? Quan-
talibet iustitia, inquit Augustinus, sit præditus homo, cogitare debet, ne aliquid
in illo, quod ipse non videt, inueniatur esse culpandum, cum rex iustus se debet
in throno cuius scientiam delicta fugere non possunt. De quibus dictum est, De-
licta quis intelligit. Et idcirco nemo sanctorum in sua iustitia, sed in ipsius iudicis
glorietur misericordia. Nec oportet consequens esse, si in scripturis multi inueni-
antur sancti, qui non leguntur peccasse vnquam, quod ergo nõ peccauerunt vn-
quam. Rursus nec sequitur, Homo iste manet iustus, ergo neque peccat, neq; pec-
catũ habet. Ad id autem q sancti quidã leguntur vixisse irreprehensibiles & sine
querela, respondet Augustinus in libro de perfectione iustitię. Aliud est esse sine
peccato, aliud sine querela in cõuersatione humana. Nemo iustè queritur de eo
qui nemini malè vult, qui & quibus potest fideliter consulit, nec tenens in corde
contra cuiuspiam iniurias libidinem vindicandi. Esse igitur iustum & incedere
in omnibus iustificationibus Domini sine querela, id est, absque reprehensione
est sine crimine vitam agere, in cõuersatione non rumpere vnitatem spiritus in
vinculo pacis. Reliqua scripturę testimonia quæ videntur huic sententiã obuiare
planè interpretatur Augustinus in libro de perfectione iustitiã docens immacu-
latum, id est, sine macula in via eum dici, nõ qui iam perfectus est prorsus sine ma-
cula & ruga peccati, sed qui ad ipsam perfectionem currit irreprehensibiliter, id
est, carens criminibus, nõ negligens etiam ipsas maculas venialium peccatorum,
mudare orationibus & elemosynis. Beatus Iob cũ dixit, Non me reprehẽdit cor
meũ in omni vita mea, nõ intẽdit se prorsus vixisse sine peccato, alioquin esset con-
trarius sibi metipso dicenti & contententi peccata sua, Nihil te latuit peccatorum
meorum, Signasti (inquit) quasi in sacculo omnia peccata mea. Quis enim est mũ-
dus à peccato? Nec infans cuius diei vnus est vita super terram. Quod ergo ait
capite vigesimo septimo, Non me reprehẽdit cor meum in omni vita mea, intel-
ligit in omni vita quam spiritualiter viuo, Cor meum non arguit me, quod iusti-
tiam quam cœpi deseruerim, non reprehẽdit me vllius criminis, non arguit, q
peccatum habeam quo aberrem extra viam Domini. Et hic sensus est manifestus
ex sententiarum coherentia ibidem positarum, ait enim, Donec deficiam nõ re-
cedã ab innocentia mea, Iustificationẽ quam cœpi tenere nõ deseram, & tum se-
quitur, neq; enim reprehẽdit me cor meum, nequaquam tamen voluit Iob af-
firmare sese prorsus absq; peccato & sine macula esse. Nã & cap. vltimo, inquit,
Insipienter loquutus sum, idcirco ipse me reprehẽdo, & ago pœnitentiam in fa-
villa & cinere. Quemadmodum ait Paulus Apostolus, Nihil mihi conscius sum,
sed non in hoc iustificatus sum, insinuans se non esse conscius vllius criminis, id
est, vllius peccati quod impediatur iustificationem eius. In cæteris autem peccatis
dicit cum alijs Apostolis, In multis offendimus omnes. Deinde ad id quod in Iob
legitur, abstinuĩse ab omni re mala, dicimus abstinere ab omni re malã etiã eum,

qui habet peccatum, quod in se regnare non sinit, cui subrepat improbanda cogitatio, quam peruenire ad finem operis nō permittit, qui est interdū percutiatur, non tamen occiditur, non sternitur, non deijcitur. Iustus abstinet se ab omni re mala pro loco & tempore secundum conditionem fragilitatis humanæ, ita ut & si interdum in via titubet, non tamen à via deficit, non extra viam errat.

De Iob, quare
tione dicit se nō
peccasse.

Deinde etiam pro intellectu omnium sententiarum, quas super sua innocentia protulit beatus vir Iob, hic est annotandum, quod ipse commonstrans amicis suam innocentiam, non intendebat simpliciter asserere sese nō peccasse vnquam, aut sese nunquam Deum offendisse in aliquo, sed intendebat tradere sententiam contrariam opinioni amicorum suorum, contra quos disputabat, qui putabant omnia flagella illa super ipsum cœlitus descendere propter peccata ipsius. Atque ita ipse hanc eorum opinionem refellens asserit se non peccasse, ut sic flagellaretur, vnde & ipse ait, Et nunc scio, quod non æquo iudicio Deus me afflixerit, hoc est nō iudicio suo retributionis pro peccatis meis misit Deus supra me afflictiones istas. Insuper & Iob multa propheticè dixit, gerens typum Christi, nunc loquens in persona Christi, nunc in persona corporis Christi, quod est ecclesia. & idcirco in omnibus dictis consideranda est sententiarum dependentia & consequentia. Sed de his latius diximus in libro tertio, de ecclesiasticis scripturis, & dogmatibus.

Ad quintam rationem, qua dicitur, In scripturis sacris exigitur ut simus perfecti, ergo iam iustificati possumus Dei gratia adiuuante in hac vita prorsus viuere & perseverare sine macula & ruga. Respondeo consequentiam esse inualem. Siquidē perfectio vite huius non est prorsus perseverare sine macula & ruga, sed est assidue proficisci ad esurire, & sitire iustitiam, quo tandē exhibeamur in conspectu Dei, sine macula & ruga. Vnde & scripturæ in hac re inter sese discordare videntur, quibusdam docētibus neminem hic viuere sine macula & peccato. Alijs verò iubentibus ut nos perfecti simus & sine macula & peccato viuamus. Harum enim scripturarum concordiam poterimus considerare, si ostendamus in scripturis sacris geminam reperiri perfectionem. Vnam viæ, Alteram patrię. Vtrāq; designauit Paulus Apostolus ad Philip. cum dixisset, Non quod iam acceperim aut perfectus sim, paucis interpositis subdit. Quicumq; ergo perfecti sumus hoc sentiamus. Ecce qui dixerat, Non sum perfectus, iam dicit, Quotquot perfecti sumus hoc ipsum sentiamus. Iusti ergo in hac vita perfecti sunt & imperfecti. Perfecti viatores, sed nondū perfecti habitatores, nondū possessores, nondū assequuti perfectionem iustitiæ sine macula, & ruga, quam & Paulus dicit se nondū apprehendisse, Velle, inquit, adiacet mihi, perficere autem non inuenio. Vnde perfectio iustitiæ in hac vita talis est perfectio, qualis est ea secundum quam dicimus, aliquem esse perfectum militem, perfectum viatorem & peregrinum, quando strenuè militat, & non segniter progreditur tendens in pacem & patriam, quæ finis est ipsius peregrinationis & belli. Sic & perfectio Christianæ conuersationis contingit in hominibus iustis, Vnde & societas iustorum in vita hac vocatur ecclesia militans, quorū conuersatio perfecta est quotidie ad æternę iustitiæ pacem suspirare, & cognoscere se esse imperfectos & vanitati subiectos, non esse securos, se esse nondum in portu, non in pace plena, nondum in patria, sed in cursu, in peregrinatione, in via, in prælijs & bellis & in mille periculis. Quemadmodum venerabilis ostendit Cyp. in epistola de mortalitate, Obsessa mēs hominis Christiani, & vndiq; diaboli infestatiōe vallata vix occurrit singulis. Tot persequutiōes quotidie patitur, tot periculis pectus vrgetur & delectat hic inter diaboli laqueos diu stare, cū magis optandū sit ad Christū subueniente velocius morte propere

Duplex in scri-
pturis sacris per-
fectio legitur.

rare, ut dicat quisque cum Paulo, Mihi viuere Christus est, & mori lucrum: arbi-
trari maximum esse lucrum, secularibus iam laqueis non teneri. Et cum in robo-
rationem argumenti sumitur, iustos in scripturis commendari, qui tales sese præ-
stāt, ut videlicet in hac vita perseverent prorsus sine macula & peccato.

Respondeo iustos cōmendari, qui in hac vita talem iustitiæ perfectionē sitiūt, & esuriunt. Vnde & scripturæ, Beati immaculati in via: Beati mundo corde: cæ-
terāq; id genus sententiæ sacræ nō asserunt sanctos, & iustos in hac vita prorsus esse
immaculatos, id est, sine peccati macula. Sed perfectionē ostendūt iustitię, quā
desyderemus, & in quam debeamus tēdere & suspirare. Aliud, inquit, August. est
perficere præceptum, Non concupisces. Aliud est per quendam abstinentiæ cona-
tum, saltem id agere, quod scriptum est, Post concupiscentias tuas non vadas: ita
aliud est hominē prorsus esse mundum corde, & habere cor immaculatū absque
macula & ruga: aliud est hominem per quendam charitatis conatum secundum
conditionem fragilitatis humanæ custodire cor suum, ut seruetur mundum, & ex-
hibeatur tandē immaculatum in conspectu Dei. Potest quis per Dei gratiam ad
breue tempus esse mundus corde, absq; macula & ruga, sed nō potest in hac vita
diu sic viuere prorsus absq; macula. Quemadmodum ex scripturis ipse idem ve-
nerabilis docet Cypria. Opus, inquit, est quotidiana sanctificatione, ut qui quo-
tidie delinquimus sanctificatione assidua delicta nostra repurgemus. Instruitur,
& docetur homo, ut agnoscat se quotidie peccare, dum quotidie pro peccatis iu-
betur orare & dicere, Dimitte nobis debita nostra, ut dum indulgentia de Deo
petitur, cōscientiæ suæ animus recordetur. Scripturæ autem quæ iubēt, ut simus
perfecti & absque peccato, ut leuemus manus puras ad Deum, ut habeamus my-
sterium fidei in conscientia pura, cum his qui inuocant Deum de corde puro, &
id genus similes, non asserunt iustos in hac vita prorsus viuere, & permanere im-
maculatos, sed iubent ut tales permaneant, & ne vnquā peccent. Sed quia tales in
longum tempus perseverare non possunt, idcirco & præcepta omnia seruare ne-
queunt, quamobrem & quotidie orant, Dimitte nobis debita nostra. Vnde &
David propheta, Septies in die cadit iustus & resurgit. Cadet quidem, sed in die,
& in via ita cadens, ut maneat iustus in die fidei, & in via charitatis. Et secundum
hunc intellectum intelligendum est, quod ecclesiastici patres tradunt præcepta
Dei nunc esse impossibilia humanæ fragilitati, nunc verò possibilia. Vtrumque
enim verū est secundum suum sensum quendam intellectum. Sunt præcepta im-
possibilia humanæ fragilitati, ita etiam ut iusti in eis seruandis perseverare ne-
queunt absque peccato & absque macula. Possibilia verò ita, ut gratia Dei adiu-
uantis valeant in eis seruandis perseverare in iustitia, utpote in fide & charitate.
Scripturæ igitur, quibus præcipitur ut simus perfecti & immaculati, ut oremus
puro & mundo corde, non ita sunt accipiendæ, ut in eis doceantur iusti posse in
hac vita gloriari sese esse prorsus immaculatos & sine peccato, & apprehendere
huiuscemodi iustitię perfectionē: alioqui quomodo stabūt scripturę, Quis potest
dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato. Non iustificabitur in cōspe-
ctu tuo omnis viuens. Non est homo in terra qui beneficiat, & non peccet.

Ad verbum Apostoli Ioannis dicentis, Si cor nostrum nō reprehendat nos, si
duciam habemus ad Deum quæcūq; petierimus, accipiemus ab eo. Nam hoc in
loco, si August. credimus, videtur admonuisse Iōānes Apostolus, ne in ipsa ora-
tione, & petitione nostra reprehendat nos cor nostrū, arguēs nos nō diligere iusti-
tiā, & nō odire peccatū habitans in carne nostra, hoc est cū cœperimus dicere,
Adueniat regnū tuū, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debi-
toribus nostris. Arguat nos cor nostrum, aut non facere quod dicimus, videlicet,

Non

si cor nostrū nō
reprehendat nos

Non dimittere peccantibus in nos, aut non odire peccata, pro quibus diluendis oramus, aut non petere integro corde regnum Dei. Petimus quidē ore, sed nō accipimus, eo q̄ male petimus. Tunc ergo in ista vita qua ex fide viuimus, nō reprehendit quenquam cor suum, quando eadem fides qua corde creditur ad iustitiā, nō negligit & amare iustitiam, & reprehendere peccatum, tam quod habitat in membris suis, quā quod perpetravit culpa suę voluntatis. Peccatum habitās in carne, illiusq; concupiscentia, est via quādam iniquitatis, via mala, id est, ducens ad peccatum & iniquitatem, de qua loquitur propheta, Ab omni via mala prohibui pedes meos. A mandatis tuis intellexi, propterea odiui omnem viam iniquitatis. Et ad sic orandum preparatur voluntas à Domino.

De ecclesia sine macula et ruga

Ad verbum autem Apostoli Pauli dicentis, Christus dilexit ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquę in verbo vitę, ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, sed ut sit sancta & immaculata. Respondeo. Impossibile est totam ecclesiam in hac vita esse sine macula & ruga, quia non potest in hac vita esse gloriosa seu glorificata. Apostolus autem loquitur tunc eam futuram sine macula, quādo in conspectu Domini exhibebitur gloriosa. In hac autē vita ipsa est, quę quotidie & sine intermissione orare debet, Dimitte nobis debita nostra, Verum quidem est, quodlibet ecclesię membrum per lauacrum baptismi sanctum efficit & immaculatum, sed non in longum tempus membrum manet tale. Si aquę baptismatis semper super nos, inquit Hieronymus, volitarent, nec interim aliquid illiciti esset, aut in cogitatione, aut in desyderio nostro, semper essemus sine macula & ruga, non per nostram voluntatem, sed per Dei gratiam. Baptismus facit, ut ecclesia tandem fiat sine macula, quia nisi esset baptizata infructuose diceret, Dimitte nobis debita nostra. Proinde Augustinus aperiens intellectū illius scripturę. Vbi cunq; inquit, loquitur scriptura, de ecclesia exhibenda sine macula & ruga, intelligit ecclesiam talem esse futuram, non in hac vita, sed in futura, vbi liberata ab omnibus malis huius seculi erit etiam gloriosa.

Quod dicit Ioannes Apostolus, Qui natus est ex Deo, non peccat, & non potest peccare, intelligit Augustinus secundum id quod natum est, ex Deo est, quia semen Dei conseruat eum. Semen, inquam, id est, charitas, secundum quam natus est ex Deo, non agit peperam, nec cogitat malum. Cum ergo peccat homo, nō secundum charitatem, sed secundum cupiditatem peccat.

Ad sextam rationem dicimus, quod bonus motus voluntatis, interiorisq; gemitus, pœnitentia vtilis, cordisq; conuersio, nō possunt esse in homine sine gratia Dei pręuenientis, qui initium fidei & bonę voluntatis inspirat. Non idcirco miseretur nostri Deus, quia nos initium bonę voluntatis prębuerimus ipsi, sed idcirco intium bonę voluntatis prębemus ei, quia ipse misertus est nostri, initium fidei & charitatis inspirando. Hoc enim significauit Paulus, cū dixit, Non est volentis neq; currentis, sed Dei miserentis, nempe hoc dicit, non quia in operatione bona est hominis atq; voluntatis concursus: neq; item hoc dicit, quasi voluntas hominis nihil boni agat, sed quia homo neq; bene velle, neque bene currere potest, nisi Deus miseretur, sua gratia liberans, gratificans, iustificans, & conuertens prauam hominis voluntatem, ut ex fide confugiat ad medicum Iesum. Atq; ita homo nihil boni vellet, aut ageret, si non gratia Dei pręuenisset, & subsequens adiuuaret. Proinde mirabili cęcitate falluntur hęretici liberi arbitrij defensores improbi, qui diuisionem inter homines facientes, docent alios esse quos gratia Dei saluat: & alios quos lex Moyfi: alios verò esse qui iusti sunt per naturalem vim liberi arbitrij. Quemadmodum Cassianus ait, Christum aliorum esse susceptorē,

Cassiani error.

aliorum

aliorū verò redemptorē, docens per naturā bonū, quod beneficio creatoris indultū est in quibusdā hominibus bonarū voluntatū prodire principia. At verò impiā & hęreticā esse hanc sententiā iam olim declarauit ecclesia, quemadmodū in superioribus diximus. Rectē & sanē sapit quisquis crederit, q̄ Deus pręterdat misericordiā suā, sciētibus eū, q̄ & ipse beneficiat bonis, iustis & rectis corde, q̄ & ipse est propē oibus inuocātibus eū, q̄ credētibus & pœnitentiā agentibus remittat peccata. Sed errat quisquis arbitratur se suis solius virib⁹ posse & scire Deū & inuocare illū, & credere in illū. Nā vt hoies credentes sint & pœnitētes operatur Dei gratia, volentibus nō denegatur gratia, sed vt hoies sint beneuolentes, gratia Dei int⁹ operatur. Beneficiat De⁹ bonis & rectis corde, sed nō potest esse quis rect⁹ corde, & bon⁹ homo, sine Dei dono. Desyderātibus pie, inuocantibus & orantibus domin⁹ propē est, sed gratia Dei miserētis est, quę facit homines pie & rectē inuocare & desyderare. Nā iuxta Pauli doctrinam ex nobis quid oremus, & quemadmodum orare oportet nescimus. Laborātibus, & bene vtentibus talēto, Deus dat mercedē secūdum laborē, sed vt bene vtatur homo acceptis donis, diuina gratia pręuenitur, quę ex impia voluntate facit bonā, largiēs sapientiā, per quam sanati sunt, quicunq; Deo placuerunt ab initio. Ad testimoniū Saluatoris dicentis, Querite & inuenietis, petite & accipietis, pulsate & aperietur vobis: Respōdet Tertul. in lib. de pręscriptionibus hęreticorū, Multi quærunt & nunq̄ inueniūt: quia nō vbi quærendū est quærunt: ibi quærunt, vbi nō est Deus. Multi pulsant, & nemo aperit, quia illic pulsant, vbi nemo est, nō pulsant ad ostiū domus quam inhabitat Deus. Cū autē dicit Saluator, Omni petenti dabitur, ad eos loquitur, qui iā nouerūt ipsum, vt nomē Domini. i. vt Christum Iesum, quod est nomē super omne nomē. Intelligitur ergo omni petēti patrē in nomine meo, dabitur, quemadmodū ait, Si quid petieritis patrē in nomine meo, dabit vobis. Sic autē petere, quærere, & pulsare, nō est in nobis, tanq̄ ex nobis, sed ex fide diuinitus inspirata. Et ita in omnibus bonis operibus, prior est Dei gratia. Velle bonum adiacet nobis ex Dei gratia, sed perficere bonum, ita vt profus permaneamus iusti absq; macula & ruga non inuenimus in hac vita etiam iam & iustificati, & innitentes diuinę gratię. Ex superioribus manifestum est, quod agnoscere morbum animę, quemadmodum oportet & quærere verum medicum, & amare veram salutem nemo posset absque gratia Dei illuminātis tenebras cordis nostri. Et per hoc patet solutio rationum, quas confingunt hęretici, conantes defendere potestatem humanę voluntatis cum iniuria diuinę gratię.

¶ Caput secundum, in quo recitantur, & soluantur argumenta hęreticorum docentium paruulos non habere vllum peccatum, atque ita eos non esse baptizandos in remissionem peccatorum.

Solutis iam Pelagij argumētis, quibus conatus est demonstrare errores suos de liberi arbitrij viribus, & potestate & officijs diuinę gratię. Reliquum est iam recitare argumenta, & solutiones eorum, quibus conatur demonstrare errores suos de originali peccato, & de malis super humanum genus descendentibus, propter vnus hominis inobedientiam. Errores autem eius super hac re, sicuti in superiori libro recitauimus, distinctim collecti erant hac propositione, Peccatum Adę ipsum solum lęsit. Atq; ita nullū potest, inquit, in paruulo esse peccatū, qui nec iustus nascitur, nec iniustus, sed innocentia plenus. Cui baptismus quidē est necessarius, non propter remissionem peccatorum, sed propter obtinendum regnum cęlorum. Habent nempe paruuli, inquit, extra regnum Dei locum salutis vitę aternę, in qua & semper viuunt sine pœna, & suis fruuntur bonis extra regnū cęlorū, etiā si non fuerint baptizati. Adijciunt insuper infantes in eo statu esse,

Errores de originali peccato.

esse, in quo fuissent ante præuaricationē Adæ, & de eo omnis, inquit, in hoc mōdo afflictio, corruptioq; humanæ naturæ veluti mortalitas, passibilitas, efuries, sitis, insunt humano generi ex suæ creationis primordio. Neq; est Adæ peccatum horū malorū causa, sed ecōtrariō potius huiusmodi mala in Adā fuerūt, inquit, primi peccati causa. Vnde & fomes, inquit Pelagius, seu cōcupiscibilitas carnalis voluptatis est bonū naturale, cū quo & conditus est primus homo, fuitq; in paradiso ante peccatū, nec est in ea quod pudeat. Proinde & libido qua sponte sua caro ad voluptatem mouetur bona est, qua & bene, inquit, vtuntur cōiuges ad plis generationē, sed qui male vtuntur huiusmodi libidine culpabiles sunt, sicut bona est natura mēbrorum nostrorū, bona etiā est natura panis & vini, quis volūtas peccet huiusmodi abutendo. Deinde cōcupiscentia carnalis voluptatis à Deo patre est: & idcirco in se est diligēda, licet abusus sit malus: idcirco nō est culpanda voluntas, qua quispiā actui aliās in se licito suum præstat consensum propter carnis voluptatem. Proinde neq; vir peccat, qui loco & tēpore vtitur sua cōiuge solius carnalis voluptatis gratia. Pelagius igitur ad probādum in paruulis nullum esse peccatū diuersa sumit media. Primum. Paruuli non habētes vsū liberæ voluntatis, necessitate naturæ habent quicquid habēt. Omne autē peccatum est voluntariū: non habent ergo paruuli vllum peccatū, qui nullā habent liberā voluntatem. Peccatum, inquit August. adeō est voluntariū, vt si non sit volūtarium, non est peccatum. Et alibi, Peccatum, inquit, est voluntas retinendi vel cōsequēdi, quod iustitia vetat, & vnde liberum est abstinere. Non peccat paruulus in eo quod nascitur, non peccat pater aut mater quod gignit paruulū, aut concipit: nō peccat Deus qui condidit, qui & corpus in vtero matris format, qui & animā rationalem creat carniq; infundit, non peccat amplius Adā in quo propagatur. Per quæ igitur rimas, & à quo inter tot præsidia innocētiæ potest in paruulum intrare vllum peccatum. Deus bonus est creator omniū hominū. Non possunt igitur homines cum peccato nasci. Deus enim non est creator peccati. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Nuptiæ sunt bonæ, & à Deo ordinatæ ad procreandum prolem. Deinde & ipsa carnalis coniugum commixtio bona est, nec instituit eam diabolus, sed Deus eam ordinauit ad prolis generationē, quæ etiā fuisset, si Adam nō peccasset. Videtur ergo non esse mala proles quæ nascitur. Bonum enim non ordinatur à Deo ad procreandum fructum malum, dicente Salvatore, Non potest arbor bona fructus malos facere.

Hereticorū argumenta, quibus probare conantur in paruulis non esse vllum peccatū.
Primum argumentum
Secundū argumentum
Tertiū argumentum
Quartū argumentum
Quintū argumentum
Sextum argumentum

Si peccauimus in Adam, quia eramus in lumbis eius quando peccauit: ergo & pœnitentiam egimus in Adam, quia eramus in lumbis eius quando pœnitentiam egit. Deinde si peccauimus in Adam quando primum peccauit: ergo & peccauimus in Adam, quando secundō peccauit, & eadem ratione peccauimus in parentibus nostris quando peccauerunt, quia eramus in lumbis eorum quando peccauerunt. Præterea nulli naturæ nocent peccata nisi sua, dicente Domino in Ezechiele, Non erit vobis vltra hæc parabola. Patres nostri comederunt vnam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt: Nec enim morietur pater in peccato filij, nec filius in peccato patris, sed anima quæ peccauerit, ipsa morietur.

Si paruulus concipitur & nascitur cum peccato, ergo peccatum est à conditore naturæ: quia omne quod incipit esse cum natura, est à conditore naturæ, & est naturale illi. Præterea nullum peccatum potest esse naturale, quia peccatum est naturæ aduenticiū, naturam corrumpens. Deinde Deus ipse sapientissimus est artifex, non infundit igitur animam in corpus contaminatum, cum nullus etiam homo sapiens, pretiosum liquorem infundat in vasculum immundum, habens paratum vas aliud, in quod liquorem illum fundere valeat.

Si Adæ

Si Adæ peccatum sit tam vniuersale, vt propagetur etiam in paruulos non peccantes: ergo Christi meritum erit tam vniuersale, vt profit omnibus hoibus etiam non credentibus. Nam hæc videtur Apostoli consequentia, ad Rom. 5.

Si per Adæ peccatum facta est caro peccatrix, ita vt omnis caro descendēs ab Adam sit vitiosa: ergo & caro Christi cū sit ab Adam descendens, vitiosa erit, & sub peccato, hoc autem falsum est, Ergo. Præterea Apostolus Petrus iudicauit Christum fuisse innocentē sine peccato & macula, ex hoc quod ipse Christus nec peccatum fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Videtur ergo infantes esse innocentes, qui nihil adhuc mali fecerunt. Ex his arbitratur Pelagius concludendum esse, quod peccatum Adæ ipsum solum læserit, & quod in paruulis nullum sit peccatum, nulla culpa, & quod idcirco paruulis non est necessarium baptisimi sacramentum ad remissionem peccatorum, licet forsitan sit necessariū ad intrandum regnum cœlorum.

Secundō Pelagius sumit sibi media, quibus probare conatur paruulum non nasci vinculo damnationis obstrictum. Primum. Deus bonus dimittit parentibus iustis omnia peccata, etiam ea quæ propria voluntate sunt commissa. Nō damnat ergo in filijs, qui nihil boni fecerūt aut mali, peccata parentū iam olim dimissa. Scriptura sacra, inquit, nusquā dicit eos qui nō fuerunt baptizati damnandos esse, aut in ignem æternum mittendos, sed solum illos nō habituros regnum cœlorum. Scriptura, inquit, nō dicit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto condemnabitur. Neq; dicit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto in ignem æternum mittetur, sed solum dicit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Rursus neq; Saluator dicit, Qui non fuerit baptizatus, condemnabitur, sed ait, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, qui verō non crediderit, condemnabitur. Et ne crederentur paruuli qui nondum possunt credere hoc Saluatoris verbo contineri, præmisit, inquit, Saluator iniungens Apostolis, Euntes in mundum vniuersum prædicate Euāgelium omni creaturæ, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verō non crediderit, condemnabitur. Aperte, vt aiunt, insinuans, qui Euāgelij prædicationem auditam non crediderit, condemnatur: fecus de his, qui neque per ætatem, neque per intellectus discretionem audire possunt, neque per locorum distantiam habent à quo discant. Et ad illud confirmandum detorquent verbum Saluatoris, Si non venissem, & loquutus fuisset eis, peccatum non haberent.

Nullum dānat Deus nisi propter propriū peccatū. Manifestari oportet nos ante tribunal Christi, vt referat quisq; prout in corpore gessit. Vnde dānatos impios in iudicio coarguet propter opera propriæ volūtatis. Et hæc plane videtur significasse scriptura Ezechielis. 18. Ego vnū quemq; iuxta vias suas iudicabo. Filius nō portabit iniquitatē patris, nec pater filij, sed anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Nō erit vobis vltra hæc parabola. Patres nostri comederunt vnam acerbā, & dentes filiorū obstupescunt. Hæc & similia scripturæ sacræ testimonia adduxerunt pro se Pelagiani, arbitantes sacrum baptisima solum dari paruulis propter assequendum regnum cœlorum, & non propter remissionem peccatorum.

Tertiō Pelagius sumit sibi media, quibus probare conatur, fomitem seu concupiscentiam qualitatem: item & concupiscentiam esse naturale bonum, cū quo & conditus, inquit, est primus homo. Concupiscentia carnalis voluptatis fuit in paradiso, inquit, ante peccatum, & proinde est bonum quoddam naturæ insitum à Deo patre. Ioannes autem Apostolus cū dixit, concupiscentiam nō esse à patre: in concupiscentia voluit luxuriam esse intelligēdam. Cōcupiscentia carnalis voluptatis

Septimū argumentum
Octauū argumentum
Hereticorū argumenta, quibus probare conantur paruulos nō esse propter vllum peccatū damnandos
Primum argumentum
Secundū argumentum
Tertiū argumentum
Recitantur argumenta, quibus heretici probare conantur, concupiscentiā esse naturale bonum.

luptatis est bona, sed abusus, inquit, illius est malus: sicut bona est pecunia, sed abusus illicitus. Huiusmodi autem naturalis concupiscentiæ qui modum tenet, bono, inquit, bene utitur: qui modum non tenet, bono male utitur. Qui autem modum sanctæ virginitatis amore contempserit, bono melius non utitur. Neque enim in genere suo, neque in specie, neque in modo, sed in excessu culpa est, quia genus & species ad conditoris opera pertinet. Modus ad arbitrium honestatis: excessus ad vitium pertinet voluptatis. Hactenus Pelagij, Iuliani, Cælestij, cæterorumque hereticorum doctrina, quæ sub præfata forma recitat & reprobatur Aug. in diuersis suis libris. Confringunt autem pro huiusmodi suis erroneis sententijs rationes multas, quarum prima.

Hereticorum rationes, quibus probare conantur, concupiscentiam non esse vitium aut malum.

Cōcupiscentia carnalis voluptatis passio quædam est, quæ exurgit etiam inuita hois voluntate, dicente Apost. Pau. Quod odi malum hoc facio. i. cōtra voluntatē meā concupisco. Propter passiones autem neque laudandus quisquam est, neque vituperandus, ut habet naturalis philosophiæ doctrina. Quemadmodum nemo vituperat eum qui ex natura pronus est ad iram, aut libidinem, sed eum qui huiusmodi naturæ instinctibus cedit & vincitur. Nemo vituperat cæcū sic natū. Quod & ecclesiastici patres tradunt. Vnde Chrysostr. hom. 6. de laudibus Pauli, Non culpatur simplex iracundia, sed iniusta. Comoueri non est malum, sed absque ratione comoueri. August. quoque, 14. de ciuitate Dei, cap. 9. docet passiones non prorsus ex animo tollendas esse sed moderandas. Secunda ratio. Homo iustus bene utitur ipsa concupiscentia, ergo ipsa est bonum quoddam: nam malo nemo potest bene uti: nec oportet si luxuriosus male utatur concupiscentia carnis, quæ idcirco concupiscentia sit mala. Nam & ebriosus abutitur vino, non tamen ob id vinum est malum. Auarus abutitur pecunia, sed tamē ipsa pecunia non est mala. Videtur ergo non ipsa concupiscentia in se, sed excessus atque abusus solū esse vituperabilis. Tertia ratio. Quicquid Deus condidit bonum est, Deus autem & hominem & hominum membra, formas ac qualitates, figuras, colores, membrorum motus, cæteraque hominis accidentia formauit: concupiscentia igitur cum sit qualitas quædam secundum quæ exurgunt desideria quædam carnalia: sicut timiditas est affectionalis qualitas vnde exurgit timor, ut habet August. lib. 6. cōtra Iulianum, cap. 8. Cōsequens videtur concupiscentiā ipsam esse bonum quoddam naturæ insitum. Vnde format Pelag. argumentum. Carnalis appetitus, quæ fontem appellamus, est qualitas quædam in carne: vel ergo Deus eam condidit vel diabolus. Fugienda autem est opinio quæ putat in membris hominum vel sensibus membrorum, diabolū aliquid condidisse, quemadmodum Manichæus credidit: videtur ergo rectè dixisse Pelag. docēs motū genitaliū, & ipsam virilitatē, sine qua non potest esse cōmixtio, à Deo esse institutam. Quarta ratio. Quemadmodum concupiscentia in bestiis est naturalis & consentanea naturæ brutorū: ita & concupiscentia voluptatis in homine consentanea videtur esse naturæ humanæ. Appetit enim caro hominis naturaliter id quod suaue est sibi, & vni quodque membrum secundum naturam, id appetit quod suū sensum delectat. Videtur igitur appetitus voluptatis, quæ est carni naturalis, esse bonum quoddam corpori humano, licet homo male utendo hoc bono peccet. Veluti cum utitur aliquo, ut non oportet, vel ubi non oportet, vel circa materiam non suam, & cæter. Quinta ratio. Deus fecit omnia corporalia propter nos, ut bene sit nobis in sua creatura, quomodo igitur malum est amare id quod Deus fecit bonum, cur malum delectari in eo quod Dei creatura est, nisi quia modus est sine modo. i. excessus in culpa est, præcipue cum testetur propheta, Delectasti me Domine in factura tua, in operibus manuum tuarum exultabo.

Ratio sexta. Si concupiscentia carnis in sensu tactus, sit non à Deo patre, sed à diabolo, Consequens videtur naturales appetitus in cæteris sensibus, ut vidēdi, audiendi, olfaciendi, & gustandi, non à Deo, sed à Diabolo nobis esse insitos. Si desyde-

desyderium voluptatis in sensu tactus sit malum quoddam, quod neque à Deo est, neque in paradiso fuit ante peccatum, Consequens est, ut desiderium videndi pulchræ figuram, vel audiendi sonum suauem non à Deo, sed à diabolo dicatur esse exortum, quod falsum est. Vidit enim Eua ante peccatum quod lignum esset pulchrum & ad vescendum suaue. Ratio septima. Si concupiscentia repugnans legi mentis sit pœna peccati primi hominis: est ergo bona & laudabilis in eo quæ est sceleris vitrix, & Dei vindicantis ministra, ac diuinæ ultionis instrumentum. Vnde & August. in lib. de libero arbitrio, Omnis pœna iusta est, & supplicium nominatur, sed dixeris concupiscentiam malam esse, in eo quod spiritui rebellis est. Contrà, carnis rebellio aduersus spiritum, inobedienti homini iustissime retributa est, quia iustum erat ut non obtemperaretur à seruo, id est, à corpore suo, ei qui non obtemperauerat Domino suo. Patienter igitur toleranda erit & non vituperanda, ne rebelles in Deum videamur, volentes enarrare iustam ab eo illatam sententiam. Si Deus, inquit Iulianus, subiecit hominem diabolo, bonum igitur est hominem esse diabolo subiectum. Malum insuper videtur rebellare eidem ne turbetur ordo diuinæ iustitiæ. Bonum est malos esse in gehenna, quoniam institutus à Deo per hoc ordo seruatur. Cōsequens igitur esse videtur stimulum carnalis concupiscentiæ esse naturale bonum. Et hanc sententiam visi sunt approbare quidam huius temporis amatores voluptatis, ac etiā nouarum rerum inuentores, qui singularitate scientiæ gaudentes perturbant omnia, quæ tradidit nobis veneranda antiquitas, celsentes carnis nostræ pruriginē venerisque stimulos à natura, non à peccato proficisci, quibusdam moti rationibus. Primum quod neque Deus, neque natura quicquam faciunt frustra. Deus genitale membrum condidit & vim gignendi addidit. Deinde matrimonij opus sub innocentia statu, sine ante culpam, sine his stimulis peragi non potuit, ante peccatum cum primum creatum est hominum genus, inquit Deus, Crescite & multiplicamini. Amplius autem & in cæteris animantibus tales stimuli à natura, non à peccato proficiscuntur. Postremum addunt nos huiusmodi pruriginis carnis nostræ reddere imaginatione nostra scedas, quæ suapte natura pulchræ sunt & honestæ.

¶ Secunda pars huius capituli, in qua soluntur supradicta aduersariorum argumenta.

IN superiori libro scripturis sacris multifariā accumulatis, demonstrauimus, articulum fidei esse, paruulos indigere remissione peccatorum, & vitium illud concupiscentiæ, quod Apostolus in epistola ad Roma. peccatum vocat, quod caro concupiscit aduersus spiritum, intrasse in vniuersum genus humanum per vnum hominem peccantem. De hac fide dubitandum non est, dicente Augustino de fide ad Petrum cap. 25. & sequentibus, Firmissime tene & nullatenus dubita, primos homines, id est, Adam & mulierem eius, bonos & rectos & sine peccato creatos esse cum libero arbitrio, quo possent si vellent humili & bona voluntate seruire atque obedire, quo arbitrio etiam possent si vellent propria voluntate peccare, eosque non necessitate, sed propria voluntate peccasse, illoque peccato sic in deterius mutatam esse humanam naturam, ut non solum in ipsis primis hominibus per peccatum mors obtineret regnum, sed etiam in omnes homines transfiret peccati mortisque dominium. Et capite sequenti, Firmissime tene & nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, nasci cum originali peccato, impietati subditum, mortisque subiectum. Et ob hoc natura, irrefilium nasci, de qua dicit Apost. Eramus enim & nos natura filij iræ, sicut & ceteri, à qua ira nullus liberatur nisi per fidem mediatoris hominis Iesu Christi, qui sine peccato conceptus, sine peccato natus, sine peccato mortuus, pro nobis factus est peccatum. i. sacrificium pro peccatis nostris. In veteri quippe testamento, peccata di-

Hominem primitus conditum fuisse liberi arbitrii, firmissima fide tenendum est

cebantur sacrificia, quæ pro peccatis offerebantur. In quibus omnibus fuit significatio Christi: quia ipse est agnus qui tollit peccata mundi. Deinde capite sequenti, Firmissimè tene, & nullatenus dubites, non solum homines iam ratione vtentes, verumetiam paruulos, qui siue in vteris matrum viuere incipiunt & ibi moriuntur, siue cū de matribus nati, sine sacramēto sancti baptismatis, quod datur in nomine patris, filij, & spiritus sancti: de hoc seculo transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos: quia etsi propriæ actionis peccatum nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione & natiuitate traxerunt. Hactenus de originali peccato in paruulis, fidei regulæ ex Augustino fideliter recitatæ, quas & patres in concilio Mileuitano sub anathematis vinculo vniuersis ecclesijs credendas tradiderunt. Vnde in capite trigesimo-quarto huius concilij sic legitur, Quicumque paruulos recentes ab vteris matribus baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lauacro regenerationis expiatur: vnde sit consequens, vt in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit: quoniam non aliter intelligendum est quod ait Apostolus, Per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum, & cæt. Nisi quemadmodum ecclesia catholica vbiq; diffusa semper intellexit.

His indubitata fidei catholicæ regulis præmissis, respondemus ad hæreticorum argumenta.

Responsiones ad
hæreticorum ar-
gumēta de pec-
cato originali.

Ad primum argumentum quo dicitur, Paruuli necessitate naturæ habent quicquid habent, cum nondum habeant liberi arbitrij vsum. Respondeo vtiq; verum esse paruulos habere peccatum ex necessitate naturæ, non quod peccatum sit, aut ex essentia naturæ, aut à conditore naturæ, sed quod contrahatur & assumatur cum natura, quæ est per voluntatē vnius hominis, in quo erat vniuersum genus humanum, vitiatæ & præuaricatrix, seu peccatrix facta, quæ cōdita & instituta, primitus fuit à Deo bona. Hæc est spiritus sancti doctrina ex ore Pauli dicentis, Per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum. Itē, Erasmus & nos natura filij ire sicut & ceteri. Ex ore itē Sapientis loquentis ad Deum, Dabas eis locum pœnitentiæ, sciens quoniam iniqua est natio eorum, & naturalis malitia eorum: & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum, Semen enim erat maledictum ab initio, Sapient. 12. Ecce dicit naturalem fuisse eorum malitiam & cogitationem eorum non posse mutari, quod intellige, sine gratia sancti spiritus ipsam mutari non potuisse, quoniam ipsi erant semen maledictum ab initio cōceptionis suæ facti in Adam auerſi & fugitiui à Deo. Ad cōmunem omnium magistrorum sententiā, definiētiū omne peccatum esse voluntariū: patet solutio ex dictis, quæ & dat Aug. in retractationibus, Verissimam quidem esse peccati definitionē, qua dicitur peccatum esse voluntariū, & peccatum originale in paruulis etiā dici voluntariū, quia cōtractum ex primi hominis mala voluntate, inde factum est nobis quodammodo hereditarium. Et idcirco omnis homo ex Adam nat⁹ natiuitate naturæ quæ trahit ex Adā vitiatam, i. habitualiter à Deo auersam, in terrena deflexam, quæ deberet habere non vitiatā, sed talem qualem eam Deus cōdidit bonam in posteros propagandā, nascitur obnoxius originali peccato. Ad aliam definitionem qua dicitur, Peccatum est voluntas retinendi vel cōsequendi, & cæt. Respondet August. ibidē esse definitum peccatum, quod tātummodo peccatum est, & non etiā pœna peccati.

Ad secundum argumentum dicimus ipsum vtiq; concludere, neque paruulum, neque parentem eius peccare per actum aliquem, vel negligentiam voluntatis Deum offendentis, dum aut concipitur, aut gignitur ipse paruulus, sed non inde sequitur, paruulum dum cōcipitur non cōtrahere peccatum & iniustitiam, quam

quam Deus odit & detestatur in illo, quæ in Adam cōdiderat rectum, & innocentiam, & iustitiam plenam. Vnde paruulus ille peccatum habet, non quatenus est opus Dei conditoris, sed quatenus est opus Adæ peccatoris vt causæ, per quam est natura humana in paruulo destituta originali iustitia, & prona concupiscere cōtra legem Dei. Quæcumq; sunt in paruulo à Deo cōditore, vt pote essentia, rationalis anima & caro, membrorum compositio, vires, sensusq; tam interni, quæ externi, cū sint opera Dei conditoris in se, mala esse non possunt, quatenus autē deficiunt & ex voluntate aliqua, quæ debuit Deo esse subiecta, aliter sese habent, quæ fuerint primitus à Deo instituta, facta sunt obnoxia malitiæ.

Ad tertium argumentum dicimus non valere consequentiam: nam Deus ab initio fecit hominem rectum. Ipse autem homo conditus ab initio rectus, semetipsum fecit curuum, deserens originalem iustitiam, quam pro se, posterisque custodiendam acceperat, vitiansq; naturam à se in posteros propagandam, dicente Paulo Apostolo, Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit: quo fit vt iam liberum arbitrium ad iustitiam, non sit liberum, nisi ex fide in Iesum.

Ad quartum argumentum quo dicitur, Carnalis cōmixtio est bona, quæ & fuisse sub innocentia statu, & nuptiæ sunt bonæ, siquidē ordinatæ ad prolis generationem. Proles igitur non potest esse mala seu vitiatæ, quæ ex cōmixtione & nuptijs nascitur. Respondet August. lib. 5. cōtra Iulianum, cap. 10. ostendens non valere consequentiā. Quemadmodū de opere Dei, quod non habet culpam, nata est culpa angeli, nata est & culpa hominis. Ita proles cuius natura est à Deo condita, ex cōmixtione carnali nascitur vitiatæ. Amplius autem fuisse quidem sub innocentia statu vbi institutum erat matrimonium coniugalis commixtio, sed casta, iusta, & absque vlla libidine. Hæc omnia sunt ex superioribus manifesta.

Ad quintum argumentum quo dicitur, Si peccauimus in Adam, quia eramus in lumbis eius quādo peccauit, ergo & pœnitentiā egimus in Adā, quia eramus in lumbis eius, quādo peccauit, ergo & pœnitentiā egimus in Adam, quia eramus in lumbis eius, quādo pœnituit. Deinde si peccauimus in Adam, quādo primò peccauit, ergo & peccauimus in Adā, quādo secundò peccauit. Dicimus vtrāq; consequentiā non valere. Pro cuius intellectu sciendū est, quod paruulus cū nascitur, habet originale peccatum, non quia homo, non quia persona, non quia fuit in lumbis Adæ, non quia fuit in Adā peccante, sed quia fuit in Adā peccante & vitiatæ naturā humanā in posteros propagandā. Infans habet naturam per voluntariū Adæ peccatum corruptam, originali iustitia destituta: destituta, in quā, per primū Adæ peccatum, non per secundū, non per tertium. Atq; ita non oportet si peccauimus in Adam peccante, quod idcirco peccauerimus in parentibus nostris peccantibus, in quorum lumbis fuimus, quando peccauerunt. Nam Primū peccatum Adæ corripit naturā humanam corruptione transeunte, cū natura propaganda in posteros. Peccata verò aliorum hominum non corrumpunt naturā vlla corruptione transeunte cū natura in posteros propaganda, tamen etiam corrumpunt etiam naturā corruptione quadā in sola persona peccante, quemadmodū alibi declarauimus. Et ad id quod in argumentum assumitur, nulli naturæ nocere peccata, nisi sua, dicimus peccatum originale esse peccatum naturæ ipsius infantis habitas in carne eius. Et ita Christus cū damnat infantem, non illum damnat propter peccata parentum, sed propter peccatum habitans in natura sua, quod cōtraxit ex Adam peccante. In qua sanè natura verū est peccatum, vera culpa, vera iustitia, quæ Deus humanum genus instituit non condidit, & idcirco ipse odit & punit personam quæ habet illam. Et secundum hanc intelligentiam accipiendum est quod dicunt sancti, Peccatum Adæ alienum est & nostrum, alienum proprietate actionis, nostrum contagione propaginis.

Quomodo paruulus incipit habere originale peccatum.

Quaratiō peccauimus in Adā primū peccate, & non peccauimus in eo secundo peccante

Ad sextum argumentū dicimus non valere consequentiam, qua dicitur, Si parvulus cū peccato nascitur, ergo peccatū est à conditore naturæ. Ad probationē quæ assumitur. Omne quod incipit esse cū natura, est à conditore nature, dicimus hoc falsum esse: nā q̄ incipit esse natura iam vitiata, & iusto Dei iudicio dānationi obnoxia, non oportet esse à conditore naturam illā instituentē, dicēte scriptura, Deus mortē nō fecit, quīs pœna & miseria sit à conditore peccatū vindicāte, eadē scriptura dicente, Mors & vita à Domino. Et ad id quod in argumēto assumitur, Nullum peccatū posse esse naturale. Respondet Aug. primo retractationū, cap. 10. distinguens naturā: nam quædā natura est talis, qualis ab initio est cōdita, quæ verē & propriē est natura, & à natura sic accepta, nullum malum potest esse naturale: quia Deus ab initio fecit naturā humanā rectā, ab omni malo culpæ & miseriæ liberam. Translato autē vocabulo etiā utimur, ut naturā dicamus talem, qualī nunc homo nascitur: secundū quā loquutionē dixit Apōsto. Fuimus enim & nos aliquādo natura filij iræ, sicut & cæteri. Et à natura sic accepta potest vitiū aliquod dici naturale, & simul incipere esse cum persona quæ esse incipit. Vnde ex superioribus sciendum est, q̄ rationalis animæ creatio, & infusio eius in carne simul sunt, eodemq; in omēto sunt ab ipso Deo, qui dum creat animā, simul & in carne infundit illam, & idcirco rationalis anima, neq; ex creatione, neq; ex infusione Dei ut creantis, aut infundētis maculatur, alioqui Deus esset peccati causa, qui author est creationis simul & infusionis, sed in quinatur anima per corp⁹ cui infunditur, nō quatenus ipsum est à Deo conditū atq; formatū, sed quatenus est ab Adā propagatū virtute cōtinens humanā naturam per Adæ peccatū originali iustitia dēstituta ac vitiata. Et quīs peccati macula nō sit actū in corpore, seu carne propagata ab Adam, vtiq; tamen est ibi virtute humanæ naturæ, quam talis culpæ macula comitatur.

Ad aliā confirmationē qua dicitur derogari diuinæ sapiētia, dicere q̄ De⁹ infundat animā rationālē in carnē contaminatā, quemadmodū neq; sapiēs videtur artifex, si pretiosum liquorem infundat in vasculum pollutū. Respondet.

Deus nolens genus Adæ prorsus perire aut extinguī, etiam in carnē ex Adam vitiatā, sapientissime infundit rationalem animā, cui & melius est incipere sic esse secundum naturam, quā omnino non esse, præsertim cum possit per gratiā Christi Salvatoris euadere culpam & mortem æternam. Cætera quæ valent ad huius argumenti solutionem, latius sunt in libro præcedente declarata.

Ad septimū argumentū dicit Aug. consequentiā vtiq; valere, si antecēdēs & cōsequens similiter intelligantur. Nam sicut peccatum Adæ propagatur solum in filios ex Adā genitos, & nō in Christū nec in alios, si qui forēt nō propagati ex Adā: ita & iustitia solū ppagatur in filios Christi. i. in filios ex Christo renatos.

Et per hoc etiā patet solutio ad octauū argumentū. Quāvis enim in Adam fuerit natura humana, ex qua descendit Dominus noster Iesus Christus, ipse tamen Christus nō generandi potestate trāsmiſsa ab Adā, sed sola Dei voluntate & operatione diuini spiritus factus est homo. Sed de hoc & in superioribus diximus.

Ad cōfirmationē octauū argumenti, quo dicitur, Apōstolus Petrus iudicauit Christū innocentem, sine peccato & macula, ex hoc q̄ ipse peccatū nō fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Cū igitur infans nō fecerit vllum peccatū, aut dolum, consequēs videtur paruulū nasci innocentē. Respondet Aug. libro. 5. cōtra Iulianum, cap. 39. Iudicium Petri fuisse rectissimum. Nam Christus etiam accessu ætatis peccatum fecisset, si infans habuisset. Propterea nullus præter Christum est homo, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, quia nullus est homo præter illum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu.

Vnde

Vnde apud Augustinum vera est consequentia, Homo si habeat originale peccatum etiam accedente vsu rationis, habet & actuale peccatum. Virgo autem benedicta Dei genitrix ex se quidem digna fuit, quæ contraheret originale peccatum, sed gratia Christi ab ecclesia creditur, ne macularetur, præseruata. Quamuis diuus Bernardus huic sententiæ subscribere noluerit, estimans eā conceptam in originali peccato, nondum super hoc facta ecclesiastica definitione. Et per eadem hæc patet solutio ad argumenta tria, quibus probare conatur infantes nō esse vinculo dānationis obstrictos.

Ad primum enim dicimus Deum bonum & iustum dānare infantes, non propter peccata parentum iam olim dimissa, sed propter sua ipsorum propria. Proinde caro infantis ex Adam propagati est caro peccati, caro autē Christi nō caro peccati, sed obnoxia pœnis peccato nostro debitis, similitudinē habet cum carne peccati. Si caro infantis ex Adam nati nō esset caro peccati, non diceret Apōsto. Deum misisse filiū suum in similitudinē carnis peccati, apertē decernens carnem Christi à carne cæterorum infantium. Deinde quīs Deus ab ipsis parentibus per regenerationis lauacrū abstulerit reatum mali habitantis in carne, ipsum tamen malū seu fomitem, naturæ humanæ vitiū non abstulit, idcirco malum hoc, est vitiū quoddā à natura humana tam inseparabile quod simul cū natura transfunditur in posteros, remanetq; illius vitij reatus, donec fuerit regeneratiōe solutus.

Ad secundum argumentum dicimus negantes antecēdēs. Nam & ex scripturis multis probari potest omnem hominē in Adā perisse. Vnde Apōst. Paulus dicit, Per vnum hominem peccatum in hunc mundū intrauit, in quo omnes peccauerunt, & per vnum hominē in omnes homines in condēnationem. Ex hoc sequitur infantes habere peccatū, mortē quoq; ac dānationem in eos trāsiisse. Deinde ex his quæ Saluator dicit, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, qui non crediderit condemnabitur.

Et iterum. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum. Ex his dico consequens esse fidē in Iesum, & regenerationem in sanguine ipsius esse necessariā cuilibet homini. Nam recta fide creditur Iesus esse liberator & redēptor oim. Ex quo sequitur oem hominē indigere gratia Iesu vt Salvatoris, & sanguinē ei⁹ cuilibet homini necessariū esse ad remissionē peccati. Vnde & alibi scriptura, Per sapientiam sanati sunt, quæcunq; tibi placuerunt ab initio. Ex quo est consequens neminē vnquā Deo placuisse nisi sanatum per Christū incretam sapientiam. Deinde bene sequitur. Ad intrandū in regnum cælorum opus est regeneratione, qua mundetur peccatum quod facit hominem sub diabolo captiuum, ergo omnis homo non regeneratus per sanguinem Christi, est vinculo dānationis obstrictus, & sub potestate principis huius mundi, de quo ipse dicit Saluator, Venit princeps hui⁹ mundi & in me nō habet quicquā. Et iterū, iam princeps huius mundi eijcietur foras. Ad verbum Salvatoris, dicentis, Si non venissem & loquutus eis fuisset peccatum nō haberent. Respondet Aug. Saluatorē intelligere illos non fuisse habituros speciale illud peccatum, quod est infidelitatis, non tamen fuissent ab alijs peccatis immunes.

Ad tertium argumentum respondet Augustinus, Paruulus damnatur propter suum ipsius peccatum, non sua ipsius voluntate commissum, sed ex aliena voluntate propagatum. Peccatum hoc alienum est & nostrum, alienū proprietate actionis, nostrum contagione propaginis, hoc est, per peccatum Adæ natura nostra ex Adam propagata est peccato vitiata, Et idcirco indiget mundatore.

Ad scripturam, qua dicitur, Oportet vnumquemque manifestari ante tribunal Christi vt referat prout gessit in corpore, siue bonū siue malū, respondet Au-

Peccatum originale quomōdo non est naturale.

Deus cui infus dat rationalem animam in carnem vitiatam.

Deus dānat infantem propter ipsius, non propter parentum peccata.

gustinus libro. 6. contra Iulianum capite. 4. docens gesta in corpore intelligenda esse ea, quæ ad vnumquemque in seipso hic viuentem in corpore pertinent. Ad paruulos pertinet quod per corda & ora gestantium siue credunt, siue non credunt. Qui per seipsum credere non potest, si non crediderit per alterum, sacramentum fidei regeneratus cõdemnabitur. Paruuli cum regenerantur, fidem protestantur, baptizari volunt, seculo abrenunciant, non quia sensum credendi & baptizandi habent, sed vi verborum sacramenti & diuinæ gratiæ, quam Deus donauit ecclesiæ, efficiuntur fideles & Christiani, templum spiritus sancti. Et incipiunt esse, inquit Aug. ex numero eorum de quibus dicitur, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Sicut Adam, in quo omnes moriuntur, occulta tabe carnalis concupiscentiæ tabificauit in se omnes de sua stirpe venientes, sic Christus his qui renascuntur dat sui spiritus occultissimam gratiam, quam latenter infundit in paruulis. Hactenus Aug. libro primo de peccatorum meritis, cap. 9. & alijs locis.

Ad scripturam dicentem, Filius non portabit iniquitatem patris, respondet Aug. lib. 6. cõtra Iulianum, capite penultimo, Verbum hoc propheticum esse promissionem noui testamenti & spiritualis hereditatis ad alterum seculum pertinentis. Id enim agit gratia redemptoris, ut paternum chyrographum deleat & vnusquisque per se rationem reddat. Quod apertè Ieremias in spiritu prouidens dixit, In diebus illis non dicet vltra, Patres madauerunt vnam acerbam, &c. sed vnusquisque in suo peccato morietur. Vnde ait, Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & cõsummabo domum Israel & domum Iuda testamentum nouum, non secundum testamentum quod disposui cum patribus eorum. Amplius autem, Infans, cum non regeneratus datur, portat iniquitatem non patris, sed suam propriam, quam trahit ex primo suo patre Adam. Deinde Ezech. 18. causa additur, quare filius non portabit iniquitatem patris, qua videlicet filius iudicium & iustitiam operatus est, quam operari non potest sine fide in Iesum Saluatorem. Proinde spiritus sanctus, docens non vltra futurum esse in Israel prouerbium istud, patres comederunt vnam acerbam, & dentes filiorum obtupefcent, apud Ieremiam, ut iam diximus, docet hoc futurum esse sub testamento gratiæ cum Deus manifestabit pactum nouum, dans legem nouam, id est, spiritum fidei & charitatis in visceribus hominum. Sunt autem hæc manifesta considerantibus suprascripta. Hæc pro solutione argumentorum, quibus hæretici conantur defendere naturam humanam non perijisse in Adam, & ita paruulos nasci innocentes, & non obnoxios damnationis vinculo.

Iam restat soluere argumenta, quibus conantur hæretici probare fomitem, pronitatem carnaliter concupiscendi, & motus inde prodeuntes, ut concupiscentiam & libidinem hominis concupiscentis carnalem voluptatem, esse naturale bonum, & habere ortum à Deo humanum genus instituentem.

Ad primum argumentum quo dicitur, Concupiscentia est passio quædam, propter passionem autem nemo est vituperandus, ergo & cætera.

Respondet. Passio quæ exurgit nobis cõtra legem mentis, idcirco est mala, quia repugnat legi mentis, auertens rationalem animam à Deo creatore sine suo beatifico. Vnde huiuscemodi desyderia appellantur in scripturis desyderia diaboli, quia non Deo patre sed diabolo suggerente fiunt in nobis. Suggestione diaboli caro talis est facta, ut spiritui rebellis sit & inimica. Verum iuxta Apostolicam doctrinam ob huiuscemodi passiones suborietes inuita voluntate nihil, damnationis est hominibus qui sunt in Christo Iesu regenerati, qui non secundum carnem ambulat, quia non sensus illiciti, inquit Bernardus, sed consensus illiciti peccatum est. Philosophi autem ignorantes genus humanum propter Adæ peccatum esse damnatum, arbitrati sunt homines ex natiuitate nec iustos nec iniustos, sed accedere vsu rationis

rationis ex se fieri iustos, si legibus rationis interne huiuscemodi passiones temperent. Vnde Aristoteles in postpredicamentis, & in Ethicis, Prauus ad meliora exercitia sese transmutans fit iustus, & cætera. Verum Aristoteles, ceterique philosophi ignorantes Dei iustitiam, veram iustitiam à peccato liberantem & gratificantem, vitam æternam non sunt assequuti, & idcirco aliter docet fides Christiana.

Ad secundum argumentum quo dicitur iustus bene vititur sua concupiscentia. Est igitur concupiscentia in eo bona, quia malo nemo bene vititur.

Respondet Augustinus consequentiam non valere, Propositio autem ad probandum assumpta est falsa. Nam Deus bene vititur malo, utpote mala tyrannorum voluntate, tum ad correptionem & promotionem salutis errantium peccatorum, tum ad vltionem seu correctionem impiorum. Quemadmodum mala Nabuchodonosor voluntate vsus est Deus ad Iudæorum correctionem, dicente Iſaia propheta, Virga furoris mei Assur, Vnde & vir sapiens plerumque ministro vititur imprudente, Non oportet ergo stimulum carnis appetentis voluptatem esse bonum, tamen prudens vir in sua vxore vitatur stimulo illo, vel ad prolis generationem, vel ad vitandum fornicationem. Neque est simile de vino & pecunia & de ipsa concupiscentia. Nam neque vinum neque pecunia est motus, secundum quem homo contra bonum spiritum concupiscit. Concupiscentia autem, de qua loquimur, est motus ipsius hominis, sollicitans & stimulans contra Dei spiritum.

Ad tertium argumentum dicimus membra nostra non sunt diabolica, quantum ad corporales sensus, ad figuras, colores, & substantiam. Nam hæc omnia Deus condidit instruendo corpus humanum. Appellantur quidem membra quædam post peccatum inhonestas, sed Deus illa instituerat honestas. Motum genitalium, inquit Augustinus, sine quo non potest esse commixtio, Deus sic instituit, ut nihil haberet pudendum, neque talis fuit, ut creatura de opere sui erubesceret creatoris. Ante peccatum poterat genitale membrum moueri ad carnis commixtionem, sed non erat, neque indecens, neque pudendum, quando mouebat illud non caro concupiscens aduersus spiritum, sed voluntatis imperium. Aliud, inquit Augustinus, est sensus voluptatis carnis, sine quo nullus potest esse homo viuus, Aliud concupiscentia carnis aduersus spiritum, sine qua fuit primus homo ante peccatum. Et cum in argumeto assumitur, non solus sensus, seu potentia sensitiva, sed & ipsa etiã concupiscentia, seu ipse carnalis appetitus, secundum quem caro prona est concupiscere aduersus spiritum ea quæ corporales sensus oblectant, est qualitas quædam in homine, vel ergo eã diabolus condidit, vel Deus, Respondet, ipsos sensus, & appetitus sensitivos in hominibus Deus condidit, sed tales qui neque mouerent contra legem mentis, neque contra rationis imperium. Sentiendi potentiam, eiusque viuacitatem, & vtilitatem Deus condidit, instruendo corpus humanum, sed non condidit sentiendi libidinem, quæ est contraria sapientiæ, & virtuti inimica. Primus homo in paradiso deliciarum erat conditus, vbi erat omnium sensuum in præceptione sensibilibus rerum oblectatio, sed cum plena omnium virium obedientia sub Deo, qui (ut ait scriptura) dederat primo homini virtutem cõtinendi omnia. Iam verò factus est homo carnalis, vñundatus, inquit Apostolus, sub peccato, habens legem carnis repugnantem legi mentis suæ. Neque oportet impræsentiarum superuacue immorando discutere an huiuscemodi malum habitans in carne quod Apost. legem carnis appellat, quod & nos fomitem consueuimus appellare, addat, seu ponat qualitatem aliquam vitiosam super naturæ principia. Neque enim multum refert ad scripturæ sacræ intelligentiã siue peccatum, seu malum habitans in carne, dixeris esse

Paruuli sunt in numero eorum, de quibus dicitur, Qui crediderit & baptizatus, &c. Gratia latenter paruulo cum baptizatur infunditur.

Alia solutio.

Desyderia diaboli.

Iustitia Dei longe diuersa à iustitia morali.

Membra carnis non continentur pudenda.

De malo habitante in carne.

esse qualitatem quandam homini malā ex peccato primi parentis contractam, & subortam post peccatum Adā vitiantis humanam naturam, siue dixeris ipsum esse sensualem appetitum, cum quo & conditus sit primus homo, qui iam per Adā peccatum sit vitiat, & pronus deficere ab obediētia diuini spiritus. Nam quemadmodum in superioribus diximus, si uolueris defendere malum illud esse qualitatem quandam vitiosam, dices illam non esse à Deo, ut naturam humanam instituentem, sed ut vindicāte peccatum Adā. Si verò nullam supponat qualitatem, sed ponatur esse appetit⁹ sensualis iam factus spiritui rebellis, dices eum quidem conditum à Deo naturā instituentem, sed non erat talis, qualis nunc est rebellis spiritui. Et hæc videtur intentio fuisse Aug. cōtra Iulianū, ubi interpretatur libidinem esse carnis inobedientiam, Libido, inquit, id est, carnis inobedientia pœna peccati est. Item & lib. de nuptijs & concupiscentijs, sub innocentia statu fuisset quidē motus genitalis mēbri, sine quo nō possunt cōiuges misceri, sed uoluntati rationali generale membrum seruiuisset non libidini. Per peccatum verò membrorum, & motuum sequuta est inobedientia. Obediēter & ordinatē imperio voluntatis ad generationem proles seruiuisset genitale membrū, quod nunc inobediēter, & inordinatē mouetur. Atq; ita neq; seminis decisio, neque carnalis commixtio est in se scēda aut inhonestā.

Hic iam si dixeris, Semen secundum medicos est tertiæ digestionis superfluitas. Homo autem, si absq; peccato perseuerasset in bona uoluntate non grauaretur vlla superfluitate, ergo nec humore seminario, qui superfluus ipsi in diuiduo eijciendus venit. Videtur igitur ante peccatum non potuisse esse commixtionem cum seminis emissionem. Respondeo Seminarius humor erat quidem superfluus ipsi in diuiduo generanti, & idcirco poterat in commixtione carnali emitti absq; eiusdē hominis generatōis corruptione, & nocumēto. Verū nō erat humor ille superfluus speciei humanæ, sed potētiæ generatiuæ necessarius. Vnde & ante peccatū fuissent superfluitates egestionis, & vrinæ, quas & natura ciccisisset absq; vllō fetore, absq; vlla pœna, & grauanine, & absq; vlla scēditate. Nunc autē quia natura humana corruptioni obnoxia est, aut ex natiuitate scēdum malā corporis complexionē, aut ex nimia cibi & potus abundātia multa sunt superfluitates violentæ & pœnales tam in seminarijs vasis, quam in cæteris mēbris, utpote in epate, splene, stomacho, intestinis, in venis vnde generantur cathari, rheumata, sudores, cæteri; morbi, qui non fuissent ante peccatum.

Ad quintum argumentum respondet Aug. lib. 4. contra Iulianum cap. 5. docēs consequentiam esse inualidam. Idcirco enim beluis concupiscentia non est malum, quia secundum eam in eis caro non concupiscit aduersus spiritum, quippe quæ non esse possunt spiritualium operationum capaces. Bonum est ut in perceptione sensibilium rerum delectetur illa natura, cui non potest inesse sapientia. Libido, inquit Aug. idcirco malū non est in beluis, quoniā non repugnat rationi, qua carēt. Hominiibus autē in paradiso cōstitutis ante peccatū diuinitus cōcessum erat, ut aut trāquilla cōmōtione, ac cōmixtione sine vlla libidine filios pcrearēt, aut in eis libido saltē talis esset cuius motus, nec præueniret, seu præcederet, nec excederet uolūtatis imperiū. Cōcupiscentia nō est in porcis malū, quia in eis, inquit, caro non concupiscit aduersus spiritū, sed eorū potius oblectat spiritū. Bonum est, ut se oblectet illa natura, cui non potest inesse sapientiæ concupiscentia, cui nullus est, qui possit obnubilari, interior homo.

Et cum in argumento assumitur. Vnumquodq; membrū id appetit, quod sensum delectat. Respondeo, id verum esse. Vnde & sub innocentia statu cōuenientia sensibilium suos oblectassent sensus, sed serenitatē nō turbassent interioris hominis.

minis. Ad carnis voluptatē nullus, aut superuacuuus, aut importunus extitisset motus, nec in carne seu sensualitate nec in anima, seu rationali uoluntate. Nunc autem concupiscentia carnis, aduersus quam bonus pugnat spiritus, est peccatum, quia inest illi obedientia contra dominatum mentis.

Et per eadem patet solutio ad argumentum quintum. Deus creauit omnia corporalia propter nos, id est, ad vsum nostrum, nō ut ijs fruamur, sed ut utamur his veluti nutribus quibusdam, speculis, & vestigijs, quibus moueamur in Deum conditorem nostrum, & tanquam annulis, in quibus memores simus spōsi nostri, ut per creaturas visibiles spectemus Dei inuisibilia. Idcirco tam pulchra, inquit Ambrosius, condidit Deus astra, ut ex his, quā admirabilis sit eorum creator, possit confyderari. Quemadmodum autem sponsus, suum offendit sponsum, si accepto desponsationis annulo magis in ipso q̄ in sponso delectetur, ita & rationalis anima multum offendit Christū sponsum, si magis in creatura, q̄ in creatore conetur delectari. Sponsus rationalis animæ est Christus, cuius soli⁹ amplexibus per fidem & charitatem interior homo ad Dei imaginem & similitudinē conditus, suum spirituales accipit vigorem.

Ad sextum argumentū respondet August. cōtra Iulianū, ostendens consequentiam non valere: nam in corpore humano, ut saepe iam diximus. Aliud, inquit, est sentiendi viuacitas, utilitas, necessitas, vel sensus voluptatis: aliud sentiendi libido. Per omnes sensus libido voluptatis est mala, & magis vel min⁹ mala in eo qd magis vel minus deijcit mētem à Deo in terrena. Per omnia autem membra voluptatis sensus, & viuacitas sentiendi à Deo sunt, & idcirco mala non sunt. Aliud ergo est appetitus, seu uoluntas sentiēdi aliquid propter utilitatem vel necessitatem: aliud appetitus sentiendi voluptatem: aliud sensus, id est, perceptio voluptatis. Tolerandus est voluptatis sensus, id est, perceptio, si non tanta sit voluptas, ut serenitatē mentis obnubilet, vel impediat à meditatione cœlestiū rerum, qualis in sentiendis picturis, in diuinis canticis, cæterisq; similibus augētib; in Deum pietatis affectum. Cæterum aliud est pulchritudinis sensibilis creatura, siue visibilis, siue audibilis confyderatio, quam habere nō potest, nisi rationalis anima. Aliud commotio libidinis. Hæc ratio est frēnanda, & prorsus mortificanda, illa verò est moderanda.

Ad septimum argumentum dicimus non valere consequentiam, si concupiscentia sit pœna peccati, quod idcirco sit bona & laudabilis. Nam iuxta Apostoli Paul. doctrinam, passiones ignominia, & vitia cōtra naturam, sunt pœnæ antecedentium peccatorum. Vnde Aug. tractans illud Psal. Dedit illos Deus in concupiscentias cordis eorum. Fuit quædam, inquit, cōcupiscentia antecedēs, non cui traditi sunt iudicio Dei, sed qua digni sunt, qui traderentur in cōcupiscentias reliquas, quia antecedentē concupiscentiā vincere noluerūt. Deinde & hoc sciendū, triplicē esse pœnā antecedētis peccati, quædā contracta, ut peccatū seu malū habitās in carne, quædā acta Deo nō iubēte, sed phibente potius, & tamē permittēte, ut passiones ignominia, grauioraq; peccata, in quæ traditur homo, Deo illum deferente, propter merita præcedentiū peccatorum, quædam inflicta, ut gehenna ignis, aut percussio seu tribulatio huius uitæ ob meritum culpæ. Vnde August. lib. 5. contra Iulianū, cap. 3. & in alijs locis docet, q̄ eam pœnā quæ nec error est, nec libido, debeat tolerare patientia: pœnam verò quæ vel peccatum est, vel ad peccatum incitat, ut concupiscentiam seu libidinem carnalis voluptatis, prorsus odio habere debemus, & exterminare. Concupiscentia aduersus quā bonus concupiscit spiritus, & peccatū est, & pœna peccati, & causa peccati. Peccatum quidem, quia inest illi inobediētia contra dominatum mentis; Pœna verò peccati,

T
quia

Concupiscentia
est peccati.

De concupiscentia.

De libidine.

Triplex pœna.

quia reddita est meritis Adæ inobedientis. Causa verò peccati aut contagione nascentis, aut excitatione & illectione consentientis.

Ad confirmationē qua dicitur, Bonum est subditum esse diabolo, quoniā in hoc institutum à Deo ordo seruatur, Respondet Aug. libro. 6. cōtra Iulianū cap. 9. hoc cōsequentiā esse inualidā. Nam idcirco poti⁹ debemus diabolo repugnare, ne fauendo, aut consentiendo concupiscentijs rebelles contra Dei legem simus. Non voluit nos Deus esse sub potestate diaboli vt illi obediamus, sed voluit nos pati à diabolo, iubens vt contra eum sit nobis quotidiana pugna. Neque ob id resistimus Deo, aut institutum ab eo ordinem turbamus, quòd reluctamur diabolo, & malo cōcupiscentiæ in carne nostra habitantis, cui iusto Dei iudicio traditi sumus. Quemadmodum agricolę neq; resistunt Deo, neq; turbant ordinem diuinæ iustitiæ, purgando agros à spinis & tribulis, quæ ille peccatori bus nasci iussit in pœnam. Quamquam ergo neq; rectè possumus odisse iustitiæ ordinem, secundum quem iusto Dei iudicio traditum est humanum genus in varias tentationes, venundatum sub peccato, neq; aduersus Deum murmurare ob hoc, quòd sub lege peccati omnes nascimur, Nec cōtra rem manifestissimā disputare, vtique tamen in nobis odisse debemus ea quæ contra Dei legem sūt, & ad illicitum nos suggerunt. Neq; consequēs est nos resistere Deo, & ordini illius, si rebellamus diabolo. Siquidem diabolus & nobis & Deo est inimicus. Ipse Deum odians & nostræ inuidens salutem, nostras conatur seducere voluntates, & seductas iā sub suo tenere imperio, vt contra legem agant Dei præcipientis, & idcirco rebellare diabolo per gratiā Christi redemptoris, est nō resistere, sed obedire Deo. Melius quidē fuerat hostem non habere, q̄ rebellare & vincere. Sed quia peccati merito natura humana subiecta est hosti, vt aduersus eū pugnare possit, prius ab eius eruitur potestate, deinde certans adiuuatur vt superet. Postremum victo hoste beatificatur vt regnet. Ex hoc poteris consyderare falsitatem Lutherani sententiæ, qua dicitur, rebellare Turcæ & resistere Deo. Sed super hoc vide resolutionē in lib. de libertate Christiana. Non oportet igitur cōsequens esse, si concupiscentia sit pœna peccati, quòd idcirco bona sit & laudabilis. Vnū nempe & idē potest esse pœna peccati, & peccatum, & causa peccati. Neq; ob id hoies Deus cōdidit, vt à diabolo teneantur captiui. Quāuis enim sub diaboli potestate nascuntur infantes, tamē ad hoc nō fecit illos Deus, vt à diabolo habeantur captiui, sed bonitate sua ita naturas rerum gubernat, vt leges nō auferat proprias vniuscuiusq; speciei. Ex suprascriptis igitur patet, vnū idēq; malū diaboli iniquitate & Dei equitate ingeri peccantibus, cum ipse diabolus ppria iniquitate, infestus sit hoibus, & Dei iudicio id facere aut finatur, aut iubeatur. Et quemadmodum tyranni, diaboli & angeli eius, non ideo iustē agunt, quia ex eorum actionibus pœna iusta infligitur dignis, sic appetitus sensualis in membris, aut ipse homo secundum carnem concupiscens contra legem mentis, non ideo iustē agit, quia per eū iusta pœna infligitur ipsi. Sicut nec idcirco tyrānus laude est dignus, q̄ per eū iusta pœna infligitur impio. Neq; enim tyrānus sic arbitratur, neq; eius intētio est, vt ex amore iustitię aut corrigat, aut puniat delinquentes. Ita ipse homo cōcupiscens carnis voluptatē, nō idcirco rectè concupiscit, non idcirco iustē agit, quòd sic cōcupiscens pœnā sustinet inobediētis Adæ, cuius inobediētis merito sentit in se sua mēbra sibi nō obedire, Sed huiuscemodi pœnā iusto iudicio Dei patiens, & in se sentiens, debet illi resistere, vt obediat & adhæreat Deo, ne si huiuscemodi malo pœnæ cōsentiatur, rebellis in Deū fiat. Quāuis igitur primus homo dū peccauit, fuerit causa huiuscemodi rebellionis, quæ nos angit inuitos, De⁹ tamē suo quodā modo est illius causa, dū ipse vindicās peccatū iusto suo iudicio voluit, q̄ homo secundū carnem

Nota huius argumenti solus vnus

Agricola purgans agros à spinis, quas Deus umbrans peccatum, nasci iussit, non resistit Deo.

nem esset contrarius & sibi, & Deo, quemadmodum ad Dominum loquens sanctus Iob inquit, Quare me posuisti cōtrarium tibi, & factus sum mihi metipsi grauis: tu me, inquit, posuisti cōtrarium tibi, quia te non prohibēte ego me posui cōtrarium tibi, atq; ita iustissimē factum est, vt hostis tuus sit, & hostis mihi. Huiuscemodi ergo motus concupiscentiæ exurgens à carne contra legem mentis, quæ est malum quod Deo vindicante peccatum patimur ex Adæ merito, tamen nō est patiēter tolerāda. Secus est in malis illis, de quibus Saluator, Si quis angaria uerit te mille passus, vade cum eo duo millia. Item si quis percusserit te in maxillam, & cæt. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum. Hæc sunt mala quæ oportet tolerare: alia sunt quibus mox totis viribus oportet occurrere, resistere, mox destruere & mortificare, de quibus dicit scriptura, Post concupiscentias tuas non vadas. Mortificate membra vestra, & cæt. Ex huius consyderatione poteris perspicere cōcordiam scripturarum, quæ inter se pugnare videntur. Cum in eis inrerdum Deus legitur quædam non facere, quæ tamen ab ipso leguntur fieri. Sicut scriptum est, Deus mortem non fecit, & tamē vita & mors à Domino. Deinde & desyderia mala, cæteraq; peccata odit Dominus, & tamen ipse dicitur homines tradere in desyderia praua, quia ipse hæc non vt naturæ institutor, sed vt iudex & peccati vltor infert peccantibus. Poteris ergo consyderare, quam ratione scriptura interdum tribuat Deo iniquitates hominum & peccata. Ipse Deus dat spiritum mendacij in ore omnium prophetarum, obcæcat, indurat. Propheta cū errauerit & loquutus fuerit verbum, Ego Dominus decepi prophetam illum. Mi scuit Dominus spiritū vertiginis, & errare fecit Ægyptum in opere suo. Omnem lagunculam implet ebrietate, Tradit in reprobum sensum, Mittit in quosdā operationē erroris vt credat mendacio. Hæc omnia tribuuntur Deo, cui tamen dicit propheta, Nō De⁹ volēs iniquitatē tu es. Huiuscemodi scripturis significatur, quòd Deus aliqua voluntate vult huiuscemodi mala fieri, videlicet volūtate retributionis dum peccatum peccato iustissimē punit, non impartiendo malitiam voluntati bonæ, sed vel permittendo, & nō corrigēdo voluntatē malam, vel etiā ingerendo causas & occasiones, quibus homo non à Deo, sed à sua voluntate factus malus, secundum suam malam voluntatem propensus feratur in peccata. Sed de his in sequenti tractatu, & latius in libro de diuina prouidentia in capitulo, vbi ostenditur Deum non esse peccati authorem.

Quomodo peccata in scripturis Deo tribuuntur.

Ad ea quæ ad roborandum Pelagij hæresim adiciuntur in argumentis ex sententia Erasmi docentis, pruriginem carnis, stimulosque veneris non à peccato, sed à natura proficisci, facilis est respōsio ex præmissis consyderatis. Verum enim est matrimonium præcessisse culpam, & fuisse sub innocētiæ statu, sed in actu matrimonij sub illo statu, nullus fuisset contra legem mentis indecens motus, nullus veneris seu carnalis voluptatis stimulus, conturbans serenitatem interioris hominis, fuisset concupiscentia quædam bona. Nam & est spiritalis quædam concupiscentia, qua concupiscitur sapientia, & esuritur iustitia. Si nulla fuisset pudenda concupiscentia, fuisset motus corporum, & commixtio sexuum, fuisset & opus matrimonij peractum stimulo genitalis membri, sed illud fuisset motum ad rationis rectę arbitrium, fuissetque opus generationis, nulla libidine concitatum, sicut manus mouetur non æstu libidinis, sed ex arbitrio voluntatis. Nec conuincit argumentum Erasmi, Si in cæteris animantibus stimulus iste carnis ad coitum sit à natura, quòd propterea in homine etiam à natura proficiscitur, non à peccato, quia homo conditus est à Deo rectus cum virtute continendi omnia, & in plena obedientia virium inferiorum ad rationem, quamdiu ipse cōditori suo maneret subiectus. Et ideo quòd caro concupiscit aduersus spiritum, vt non quæcunque

Stimulus carnis ad voluptatem nō talis erat ante peccatum.

volumus faciamus, non est à Deo conditore naturæ, sed à peccato. Nec solum scē de sunt huiusmodi carnis pruriginēs ex nostra imaginatione, sed propterea quòd obfuscant tranquillitatem mentis, & aduersentur dominatui rationis, quod in alijs animantibus nō faciunt, in quibus nulla est potentia superior, quæ in sua operatione impediatur. Quanquam ex nostra imaginatione reddantur culpabiles, sine qua in culpam non imputarentur.

¶ *Tertius huius libri tractatus, in quo recitantur & solvuntur argumenta Manicheorum, qui liberum arbitrium prorsus negabant, simul & veram Dei gratiam auferebant, confingentes nouas quasdam de Christo Domino insanias.*

Solutis iam argumētis Pelagianorum, qui liberum hominis arbitrium ita conabantur defendere, vt iniuriam facerent diuinæ gratiæ, eamq; ferme prorsus tollerent, superest iam recitare & soluere argumenta hæreticorum eorū, qui liberum arbitrium prorsus tollunt, & simul gratiam Christi miserentis euacuant. Huius hæresis inuētores fuerunt iam olim Manichæi, qui vt in superioribus libris diximus, duo statuebant principia prima inter se contraria: vnū videlicet ipsum primum bonum appellantes Deum bonum, qui fons est & principium omnium particularium bonorum: alterum videlicet primum malum appellantes demonē, à quo deriuari inquit omnes malignos spiritus, omnia corruptibilia, omniaq; mala, carnem mortalem, perfidiam, rixitiam, dolorem. Ad dunt in homine duas esse animas, duasq; voluntates: vnā secundum se bonam & immutabilem à Deo bono deriuatam, imò & particulam quandam esse ipsius diuinitatis: alteram secundum se malam, & à malitia sua immutabilem à deo malo, hoc est ex ipso dæmone esse factam, eamq; esse quandam primi dæmonis particulam commixtam naturæ bonæ in homine. Atq; ita praua desyderia, concupiscentias & peccata, inquit, non esse vllius Dei creaturæ opera, sed malæ mentis officia. Atque ita concludentes in homine non esse vllam animam, aut voluntatem mutabilem ex malitia in bonitatem, aut ex bonitate in malitiam, prorsus abstulerunt hominis liberum arbitrium, simul & gratiam Christi miserentis, per quā homo ex malitia mutatur in bonitatem, vas quod in Adam, vel per propriam voluntatem factum est vas contumeliæ, fit vas misericordiæ, vna eademq; anima ac voluntate, ex impietate & iniustitia, ex potestate dæmonis trāsata in regnū iustitiæ & charitatis. Huiusmodi hæreses recitant ecclesiastici patres, & præcipuè August. in diuersis suis libris, & id signanter quidem in libro de hæresibus, cap. 46. Item in lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum, planè ostendēs, in quibus punctis inter se Manichæi & pelagiani dissentiant. Omnes autem suas huiusmodi insanias, ipsi Manichæi vetus testamentū prorsus abnegātes, probare nituntur testimonijs scripturæ nouæ legis. Quæ sanè testimonia Manichæi deprauata & corrupta in medium adferebant, prætermittentes particulas valentes contra suas ipsorum sententias. Nos autem in ipsorum argumentis scripturas citabimus integras, vt magis videantur eorundem argumenta nihil prorsus concludere. Nec displiceat quæso lectori, quòd prolixius forsità recitemus friuolas istorum rationes, id enim fecimus ex industria, non tam ad destruendum eorundem hæreticorū insanias, quàm ad intelligendum scripturas sacras, eas præsertim quæ ad intelligendam doctrinam de gratia & libero hominis arbitrio conducunt.

Argumentum primum. In scripturis, inquit, dicitur alius esse princeps huius mundi, & princeps potestatis aeris huius, & deus huius seculi, qui & legitur totius malitiæ author, & mendacij pater, qui vt ait Apostolus, & in carne nostra habitat, operans concupiscentias, prauaque desyderia, & omnē malum in filios

hos diffidentia. Alius autem in eisdem scripturis legitur esse Deus verus, qui & pater dicitur esse veritatis, præsidens rationali menti, qui in ea operatur, pugnas semper contra vitia & malignitatis spiritum. Regnum meum non est de hoc mundo, Ioan. 14. Item Ioan. 12. Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Huiusmodi verba cum sint eloquia Christi, qui rex est gloriæ & Deus lucis, consequens videtur, Deus bonus non esse conditor & rector mundi huius. Non enim diabolus appellaretur à Christo huius mundi princeps, si non obtineret principatum & dominium supra mundum istum: quemadmodum & ipse assumens Christum in monte, ostensis ei omnibus huius mundi regnis, & gloria eorum, dixit ad illum, Hæc omnia sunt mea, & cui volo do ea, hæc tibi dabo omnia, si procidens adoraueris me. Lucæ. 4.

Argumentum secundum, quo conantur defendere suas fallas insanias ex doctrina Pauli Apostoli, Semper enim, inquit, secundum Pauli doctrinam, in quantumlibet sanctis hominibus, caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Si bonus est spiritus, qui concupiscit aduersus carnem, & bonus spiritus non concupiscit aduersus bonum. Mala est igitur caro, contra quam bonus spiritus concupiscit. Non quod volo bonum hoc ago, inquit Apostolus, sed quod odi malum hoc facio. Item, Scio quia non habitat in me, hoc est in carne mea bonum. Inuenio legē in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Vnde & Apostolus causam ipsius motus concupiscentiæ dicit esse non ipsam mentem rationalem, sed peccatum seu malum habitans in carne sua. Iam non ego, inquit Paulus ad Roma. septimo, operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Item occasione accepta peccatum per mādaturatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Item ad Ephes. scribens cap. 2. Vos, inquit, conuiuificauit cum essetis mortui delictis & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum seculum mundi huius, secundum principem potestatis aeris huius, qui est spiritus nunc operans in filios diffidentia, inter quos & nos aliquando conuersati sumus in desyderijs carnis nostræ, facientes secundum voluntatem carnis & cogitationum nostrarum natura filij iræ, sicut & cæteri. Ecce dicit Apostolus, inquit, spiritum rationalis mentis pugnare contra carnem. Deinde in carne habitare spiritum malitiæ. Tertio, peccata & delicta fieri in homine à spiritu, cui potestas est aeris huius, & mundi huius, qui nunc operatur concupiscentias, prauaque desyderia in filios diffidentia. Quarto nos esse naturaliter filios iræ. Natura ergo quedam in nobis est mala, quam Deus in nobis odit & detestatur, quæ iuxta Apostolum peccatum dicitur, operans in nobis omnem concupiscentiam. Ad Corinth. scribens, Deus, inquit, huius seculi excæcauit mentes infidelium. Item duos esse spiritus inter se cōtrarios, alibi aperte docuisse videtur Apostolus, Non spiritum, inquit, huius mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Ex hisce ac similibus scripturis tale confingunt sibi argumentum. Illud non est à Deo conditum, quod & aggrauat animam rationalem, & obuiat ac contradicit illi, & à quo petunt sancti in hac vita liberari, sed caro seu corpus nostrum est huiusmodi, dicente scriptura, Corpus quod corrumpitur aggrauat animam. Vnde orauit Apostolus, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius. Item Apost. Ioannes, Omne quod est in mundo, videlicet concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ, nō est à Deo patre. Præterea Apostolus Paulus passim in suis scripturis ab operibus spiritus boni separat carnis opera, attribuēs carni opera praua atq; peccata, spiritui autem opera bona. Quemadmodum ad Galathas scribens, Manifesta, inquit, sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria.

Fructus autem spiritus sunt, charitas, gaudium, pax.

Tertio videtur idem probari ex doctrina Christi docentis omnes iniquos esse filios diaboli, & ab initio diabolum fuisse malum, & patrem esse omnis mali. Ad Iudæos loquens, dicit, Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me. Ego enim ex Deo patre processi, vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vultis perficere. Ille homicida fuit ab initio, & in veritate non stetit, quia veritas in eo non est. Cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est & pater eius, Ioan. octavo. Iudæi ergo si non ex Deo fuerunt, sed ex diabolo, & diabolus sit pravorum desideriorum author: si ex se homicida ac mendax fuerit ab initio, hoc est, nullo unquam tempore vel momento fuerit in veritate, si mendacium loqui sit ei proprium & naturale, si nedom ipse, sed & pater eius sit mendax, consequens profecto videtur, ipsum diabolum esse naturam quandam inmutabiliter malam, à qua trahant originem ipsi maligni spiritus, qui nunquam boni extiterunt. Vnde ex huiusmodi doctrina Christi tale potest formari argumentum. Maligni spiritus ab initio suæ conditionis fuerunt mali, dicente Salvatore, Ille homicida ab initio fuit, & in veritate non stetit. Et alibi, Diabolus ab initio peccat. Si ergo Deus bonus sit eorum principium, consequens erit Deum bonum esse principium malorum, non solum substantiarum malarum, sed & maliciarum in substantijs. Consequentia videtur manifesta: nam quidquid inceptit esse cum natura rei, hoc est illi ab agente, à quo habet esse natura. Præterea si Deus bonus odit omne malum, non est malorum Deus conditor, dicente scriptura, Nihil eorum odisti quæ fecisti. Ex huiusmodi ergo & similibus scripturis confingunt ipsi Manichæi esse principem quandam omnium mali, qui non ab ullo pendens principio omnium mali, ut aiunt, est author, sub quo & agunt huius mundi principes, & potestates tenebrarum, contra quos hortatur scriptura luctandum esse, pugnandum, & certandum. Cæterum & adferunt Manichæi pro suarum insaniarum defensione rationes, quas in diuersis suis doctrinis recitarunt ecclesiastici patres, & præsertim Augustinus.

Prima. Cuius causa, inquit Manichæus, inuariabilis est, ipsum quoque est inuariabile, cum ergo bonus Deus prorsus sit inuariabilis, dicente scriptura, Apud quem non est transmutatio, aut vicissitudo in obumbratio, non poterit esse variabilium rerum causa.

Secunda. Quoddam est summum bonum, quod est omnium bonorum principium: quoddam igitur est summum malum, omnium malorum principium. Contrariorum nempe contraria sunt principia. Cum ergo bonum & malum sunt contraria, consequens est & contraria esse eorum principia.

Tertia. Eadem nequit esse causa destructiua, & constructiua eiusdem: Deus autem est omnium malorum destructiua causa, quemadmodum dicunt scripturæ, Deum abominari ac nolle malum, & ipsum quoque accidere contra eius voluntatem. Quod & scriptura veteris legis, quam ipsi Manichæi non admittunt, approbare videtur. Deus, inquit scriptura, mortem non fecit. Ipse quoque odit non solum impietatem, sed & impios ipsos, dicente scriptura, Similiter odio sunt Deo impii & impietas eius. Item, Iniquos, inquit, odio habui. Perfecto odio oderam illos. Rursus, Illa non sunt à Deo, quæ facta sunt in odium Dei, & in mœscipulam pedibus insipientium. Sed creaturæ, inquit Sapiens, factæ sunt in odium Dei, & cæc. Sapient. 14. Præterea nihil omnino eorum quæ bonus Deus condidit est odium, sed diligendum: sed Christus prohibuit ne mundum istum, & ea quæ in mundo sunt diligamus, iussit quoque ut eundem mundum contempnamus: videtur igitur mundus iste non esse à bono Deo conditus.

Quarta

Quarta ratio. Ex eo quod aliquid est bonum per participationem, i. aliquid habens seu participans de bonitate rectè concluditur, aliquid esse bonum per essentiam, quod sit ipsum summum bonum, à quo singulorum bonitas deriuatur. Quamobrem aliquid dicitur magis vel minus bonum, in quantum magis vel minus accedit ad ipsum summum bonum. Cum ergo aliquid sit malum per participationem, consequens videtur, aliquid esse malum per essentiam, quod sit ipsum summum malum, omnis malitiæ fons, & origo, à quo malitiæ deriuentur singulorum, quæ dicuntur magis vel minus mala, secundum quod magis vel minus accedunt ad ipsum summum malum. Hactenus de Manichæorum insanijs.

Ad primum quo dicitur, In scripturis legitur alius esse princeps huius mundi, & pater mendacij, alius Deus cælorum pater veritatis. Solutio. Princeps huius mundi dicitur diabolus, non quia cæli & terræ sit conditor & rector, sicut arbitrantur Manichæi, sed quia super homines, qui mundum hunc faciunt domum habitationis suæ, id est patriam & finem vitæ suæ, habet datam sibi à Deo potestatem, & ita dicitur princeps huius mundi, id est, princeps hominum qui mundum hunc diligunt. Nam mundana & carnalis hominum conuersatio non est à Deo patre, qui regnat per gratiam benedictionis suæ, non in malis, quorum est vana in hoc mundo conuersatio, sed in bonis iustisq; hominibus, quorum conuersatio in cælestibus est, ad hunc sensum, inquit Christus, Regnum meum non est de hoc mundo.

Ad secundum argumentum patet solutio ex supradictis. Spiritus illic ab Apostolo accipitur vel pro ipso spiritu sancto, vel pro spiritu humano seu anima, quæ spiritu sancto agitur vel ducitur, sed qualitercunq; accipiatur, nihil confert Manichæo, nam dum caro, i. homo concupiscit aduersus spiritum sanctum, & spiritus sanctus aduersus carnem, vtraque natura est bona, homo secundum naturam est bonus, sed ipse per peccatum factus est malus, factus est sibi metipso grauis, sibi contrarius secundum carnalem sensum appetens ea quæ sunt huius mundi: secundum diuini autem spiritus instinctum appetens ea quæ Dei sunt. Visus est autem Apostolus ibidem locutus fuisse de spiritu sancto, nam & de illo videtur præmississe per charitatem spiritus, Seruite inuicem, Spiritu ambulate & desideria carnis non perficietis. Et postea paucis interpositis dicit, Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax. Item, Si spiritu ducimini, non estis sub lege. Charitas, pax, fides, castitas, & id genus alia sunt spiritus sancti dona. Veruntamen non aberrat à sententia Apostoli, qui dicit spiritum accipi pro homine seu pro anima, quæ spiritu Dei agitur. Nam & in eandem recurrit sententiam. Spiritus enim humanus, quamuis per se vanus sit, hac illacq; fluctuans, tamē cum ducitur Dei spiritu desiderijs secundum carnales sensus concitatis reluctatur. Sicut parturientis cor tuum phantasias patitur inquit Sapiens, nisi ab altissimo facta fuerit visitatio. Eccle. 34. Vnde & spiritus bonus concupiscit aduersus carnem, in eo quod facit hominem concupiscere aduersus carnem. Illam dico carnem, de qua dicebat idem Apostolus ibidem, Manifesta sunt opera carnis, carnem appellas, vel totum hominem, vel ipsam animam, quæ se iungens carni, inquit Hieronymus, caro dicitur. Deinde quemadmodum spiritus sanctus legitur postulare, orare, & ingemiscere in homine, quia facit hominem hæc facere, ita spiritus sanctus dicitur concupiscere in homine, quia facit hominem concupiscere aduersus sua desideria. Idem ergo homo concupiscit contra semetipsum. Eadem est anima quæ diuersis æstuat affectionibus, & ita bona natura concupiscit aduersus bonam naturam. Carnalis sensus sua facit officia, & mentem rationalem ad se rapere conatur, etiam interiori homine secundum Dei spiritum reluctante. Huiusmodi autem contrarios motus, contrari-

T iiij asque

asque affectiones & concupiscentias, non esse contrariarum naturarum, sed eiusdem naturæ accidentia aperte significauit Apосто. Paulus, cum dicit, Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum hoc facio, ac si dicat, Non aliena natura in me, sed mea terra est, quæ profert mihi spinas & tribulos. Ego sum qui concupisco, ego sum peccator, ego sum iniquus, & homo malus, à quo liberari cupio dum oro. Quis me liberabit de manu peccatoris, de manu contra legem agentis & iniqui? Ego, inquit Augustinus, sum peccator iste exlex & iniquus. Eripe me Domine ab homine malo, eripe me à memetipso. Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Non de carne cupit liberari, quæ bona est, sed de corruptione & mortalitate carnis, vt absorbeatur quod mortale est. Eripe me de inimicis meis Deus meus, hoc est, à prauis desiderijs & concupiscentijs. Quòd si malum habitans in carne, velis intelligere Satanam, quem & Saluator in Euangelio dicit esse inimicū hominem, qui in agro dominico superseminauit zizaniā hominibus dormiētibus, à quo & liberari cupimus, orātes, Eripe me Domine ab homine malo, à viro iniquo libera me. Nihil obest intelligentiæ. satanas autem habitans in carne mea, est quidem aliena natura, sed condita à Deo bona, facta est mala ex voluntate propria, prauas mihi cogitationes ac concupiscentias suggerens, sed non formans illas in me, & secundum illas ego ipse sum qui concupisco, non satanas. Apóstolum autem dicentem, Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum, non esse sibi cōtrarium, in eo quod dicit, Quod odi malum, hoc facio, crebrò iam diximus.

Ad verbum autem eiusdem dicentis Apóstoli, Deus huius seculi excæcauit mentes infidelium, Respondet, Irenæus libro tertio, aduersus hæreses Valent. cap. 6 docens textum Apóstoli esse ordinandum hoc pacto, Deus excæcauit mentes infidelium huius seculi, vt genitiuus huius seculi intelligatur regi non à Deus, sed ab eo quod sequitur, mentes infidelium scilicet. Sic & Augustinus distinguit eadem Apóstoli verba in libro cōtra Faustum, Discutere quomodo Dominus Deus dicatur excæcare mentes infidelium, non est præsentis speculationis. Verùm posset & istud interpretari, vt & diabolus esse dicatur Deus huius seculi, quem admodum à Saluatore appellatur princeps huius seculi.

Ad reliqua in argumento, quibus dicitur, Bonus spiritus aduersus bonū, quod est à Deo conditum, non aggrauat animam. Dicimus quòd mortalitas, miseria, & vitia hæc, quibus homo est ad carnaliter concupiscendum procliuus contra legem mentis, non sunt à Deo naturam instituēte, sed suborta sunt post peccatum, Deo peccatum vindicante. Miseria humani generis non pertineret, inquit Augustinus ad iustum Dei iudiciū, si nullum præcessisset peccatum. Appellat Augustinus iustum Dei iudiciū, quod ex retributione fit Dei vt iudicis, secundum antecessens rationalis creaturæ meritum. Deus mortem & miseriam non fecit, humanum genus instituens, tamen hominem, quem propria voluntate Deo inobedientem vidit, morte dignum, miserum fecit, & occidit.

Ad ea quæ obijciuntur in secundo argumēto dicimus, quòd Saluator cum dicit, Diabolus ab initio fuit homicida, & in veritate nō stetit, intelligitur ab initio non quo incepit esse, sed quo incepit peccare. Ab initio quo peccat vsq; nunc interficere animas hominum nō cessat, & in veritate non stetit. Non stetit inquam, id est, non permansit, non perseuerauit.

Hic si obieceris. Voluntas in primo instanti quo incipit esse, simul potest & incipere operari. Sicut sol in primo momento sui esse produxit lumen in aere, cur ergo angelus non potuit peccare in principio sui esse. Et hoc videtur significasse Apóstolus Ioānes, Ab initio inquit, diabolus peccat. Vnde & Aug. ii. de ciuitate

Dei

Dei capite. iii. recitat sententiam eorum, qui dicebant diabolus ab initio suæ creationis peccasse, & ab initio quo creatus est, iustitiam recusasse, addens: Huic sententiæ quisquis acquiescit, non cum manicheis sapit. Sed ad hoc dicit quidā, quāuis res aliqua in primo momento sui esse, potest incipere, simul & operari, tamen operatio illa, quæ simul incipit cum esse rei, est ei ab agente, à quo habet esse. Sed contrā forsā obieceris. Anima rationalis paruuli infantis simul creatur & inquinatur, ipsoque momento quo habet esse, simul haberet peccatum, iniustitiam, & iniquitatem, qua rea est damnationis æternæ, & tamen non sequitur Deū esse causam peccati paruulorum, sicuti in superioribus est declaratum. Non videtur igitur absurdum, si dicamus angelum in principio sui esse habere peccatum, neque inde consequens esse, Si angelus in primo momēto sui esse peccauerit, & eiusdem peccati Deus author extiterit. Præterea Aug. in lib. de libero arb. Deus, inquit, si talem ante peccatum ab initio condidisset hominē qualis nunc est, nemo posset inde diuinā bonitatē accusare, ergo potuit ab initio hominem in peccato condidisse.

Respondeo non esse simile de originali peccato, quod absq; propria voluntate contrahitur ex carne per Adæ peccatum vitiata, & de peccato quod propria voluntate committitur. Ad testimonium Aug. dicimus, quòd homo nō haberet culpam aut iniustitiam, si illum Deus ab initio condidisset talem, qualis nunc est, mortalem, & in carne concupiscente aduersus spiritum, quemadmodum & nūc homo per gratiā Christi regeneratus est à culpa originalis peccati immunis. Nobis igitur videtur dicendū, quāuis dicētes diabolū ab initio suæ creationis fuisse malum, non sapiant cum Manich. tamen scripturarū & sanctorum testimonijs cōtradiciunt, quibus traditur oēm creaturam ab initio à Deo conditā fuisse bonam. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erāt valde bona. Vnde & Isaias sub figurata persona principis Baby. diabolū notans, Quomodo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris. Et Ezech. In delitijs paradisi fuisi omni lapide prætioso ornatus. Vbi si velimus diabolū figurari, intelligitur fuisse aliquādo sine peccato. Vnde Petr. Deus angelis peccantibus non pepercit. Ad id autē qd obijcitur, Vos ex patre diaboli estis, manifesta est solutio. Intelligitur enim diabolus esse pater impiorū, nō quia creauit aut genuit, sed quia persuasit & tenuit. Vnde & in scripturis sacris filij nomen trifariam reperitur accipi, secundum naturam, secundum doctrinam, & tertio secundum imitationem. Qui imitatur diabolus, filij sunt diaboli, non natura sed vitio. Sapiens autem cum dicit, Creature facte sunt in odium, & in tentationem animæ hominum, & in mulpulam pedibus insipientium, loquitur de creaturis præsentibus Idolis nationum, quales sunt demones, qui à Deo quidē conditi sunt boni, sed iam facti propria voluntate mali, subuertunt & seducunt insipientium hominum animos. Speculationes autem quibus solet perscrutari, vtrū diabolus potuit peccare in primo momēto sui esse, breuitatis gratia prætermitto. Neq; enim operē prætiū est cōsiderare quid fieri potuit, sed quid factū sit.

Ad rationes autem Manich. facilis est solutio. Primæ rationis falsa est propositio, quæ assumitur. Manifestū est enim ab vno inuariabili principio omnia variabilia esse, & ob id omnia esse variabilia & corruptibilia, quia Deus inuariabilis, nō de sua inuariabili substantia, sed de nihilo produxit omnia, & quia de nihilo, idcirco & redire possunt in nihilū. Suus autem filius substantia est inuariabilis, quia illū de sua genuit substantia, eandē dans illi quam ab æterno habuit naturā, sapientiam, potestatem, & bonitatem. Et quia Manichæus credidit Deum de sua substantia produxisse omnia bona, idcirco & credidit omnia bona esse immutabiliter bona. Ad secundam rationem dicimus consequentiam esse inualidam, quia malū cū sit priuatio boni, non oportet fieri à principio quod contrariatur bono.

Quem-

IOANNIS DRIEDONIS

Quemadmodum nec lumen & tenebræ à contrarijs fiunt principijs, Ita nec iustitia & iustitiæ absentia, seu carentia, à contrarijs fiunt causis in rationali anima.

Ad tertiam rationem patet solutio ex supradictis. Deus enim secundum rationem suæ sapientiæ nunc ædificat, nunc ædificata destruit, omnia autem propter electos, veruntamen ipse neminem ex bono facit malum, & idcirco malum culpæ non est transcribendum in Deum. Solvantur autem scripturæ in argumento citatæ per distinctionem gemini mali in scripturis repertâ, videlicet mali aduersitatis, & mali peruersitatis. Aduersitatis Deus est causa ex voluntate retributionis puniens peccata, non ex voluntate creationis seu institutionis naturæ. Nam ab initio cunctis creatis benedixit Deus, benefaciens cunctis, vt tibi Deus in omnibus commendaretur bonus. Maledicere adhuc diuinus sermo non nouerat, peccato autem commisso subintrauit maledictionis verbû. Maledicta terra in opere tuo.

Ad quartam rationem patet consequentiam esse inualidâ ex supradictis, Odit Deus impios, non naturam quam in eis condidit, sed impietates quas ipse in eis non condidit.

FINIS.

*Excussum Louanij in officina Bartholomæi Grawij,
An. M. CCCC. XLVII.*

